Ex libris Fr. Joachimi
de Cipretia O. M. O.



VENETIIS
Sumptibus Sebaſtiani Combi.
et Ioannis La Nou.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

MEDVLLA
THEOLOGICA
EX SACRIS SCRIPTVRIS,
Conciliorum Pontificumque Decretis,
ET SANCTORVM PATRVM
ac Doctorum placitis expreſſa.

IN QVA QVIDQVID, TVM AD FIDEI MYSTERIA ſanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibuſuis ſecernenda, tum ad Sacramenta debitè conficienda & miniſtranda, tum ad actiones humanas iuxta diuinæ legis normam dirigendas, ſpectare poteſt, facili ac compendiaria methodo explicatur.

AVTHORE
LVDOVICO ABELLY
Epiſcopo Ruthenenſi,

EDITIO NONA, & POSTREMA.

Ab ipſo authore emendata, & quamplurimis Capitibus & Sectionibus aucta: adiectis etiam varijs Indicibus, nec non Methodica catecheſi, ex ipſius Medullæ Theologicæ effatis concinnata.

PARS PRIMA.



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

VENETIIS, MDCLXXX.

Sumptibus Combi & LaNouij.
SVPERIORVM PERMISSV, AC PRIVILEGIO.

IESV CHRISTO
ÆTERNO SACERDOTI,
PRINCIPI PASTORVM,
Animarum Epiſcopo,
DEO VERO,
VERI DEI FILIO.

DIgnus es, Domine, accipere Librum, & aperire ſignacula eius; quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo: *Librum equidem illum, æternæ veritatis tuæ arcana con-*

tinentem, nemo neque in Cœlo, neque in Terra, neque ſubtus terram, aperire, nedum reſpicere dignus erat. Abſcondita erat in myſterio Sapientiæ, nec vlli Principum huius ſæculi peruia; donec veniſti, & viciſti, Librumque de dextera ſedentis in Throno accepiſti, ac illius ſignacula omnia reſeraſti. Cui ergo myſtici illius Libri hoc qualecumque fragmentum offerrem ac dicarem, quàm tibi? In quo, & ex quo ſunt omnes Theſauri Sapientiæ; & ad quem proinde, tanquam ad proprium fontem, Sapientia Omnis Angelica & humana recurrere debet. Quamuis autem Diuinitatis tuæ lucem inacceſsibilem reuereatur & reformidet tam exilis opuſculi tenuitas; inuitat tamen, imò attrahit ſingularis illa tua, & ineffabilis prorsùs benignitas, ac humanitas, quæ apparuit omnibus hominibus, erudiens illos. Certè ad priſci illius

tui

tui tabernaculi fores, non gemmea ſolùm, & aurea vaſa; ſed etiam caprarum pili; & alia perexigua munuſcula, rerumque viliſsimarum libamina, offerebantur; nec minuta illa duo in gazophylacium miſſa, tibi diſplicuerunt. En igitur, ne vacuus omninò in tuæ Majeſtatis conſpectu appaream, Libellum hunc ſupplex offero, & obnoxiè precor, vt qui vilia & contemptibilia eligere conſueuiſti, vt fortia quæque confundas; id etiamnum præſtare digneris, meque non in gladio, haſta, aut clypeo: ſed in funda tantùm, & lapide, contra errorem ac peccatum decertantem, dexteræ tuæ virtute confirmes, omneſque quibus opuſculum iſtud vtcumque vſui eſſe poterit, gratiæ tuæ benedictionibus adeò copioſis præuenias, excites, & adiuues; vt veritatis tuæ lucem agnoſcere & amplecti; illi firmiter inhærere,

 tibi-

tibique in ſanctitate & iuſtitia omnibus diebus deſeruire valeant, *ac in æuum confiteri* : *quoniam* Dignus es accipere virtutem, & Diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.

PRÆFATIO,

IN QVA EXPLICATVR

Quis ſit huius operis ſcopus , quodue authoris conſilium .

CVM inter plurima & maxima, quæ propria ſunt Sacerdotis munera , illud in primis recenſeatur ; quod(ſicut olim per Prophetam ſanciuit Deus Malach. 2.) doctrinã legis ab illius ore populus requirere debeat : ideòque (vt ſanctus Leo Papa edixit Epiſt. 23.)inſcitia in ſacerdotibus nec excuſatione digna ſit, nec venia : cum illa (vt habetur in Concil. Tolet.4.cap.24.)cunctorum errorum mater, imò innumerorum propè malorum in Eccleſia radix ſit & origo . Inde inferri poteſt , qua ratione illi , quos in ſortem ſuam Chriſtus Dominus elegit, & quibus docendi, ducendique alios officium commiſit, ſcientiam illam diuinæ legis , non ſolùm ſedulò adipiſci, ſed & adeptam ſollicitè cuſtodire teneantur .

Quæ

Quæ cùm ita ſe habeant, experientia nihilominùs ſatis manifeſta compertum eſt, plurimos ſacrorum Ordinum charactere inſignitos, diuinæ illius ſcientiæ ſtudium, vel omninò abiicere; vel ſi annos aliquot in eo impendunt, illis elapſis, continuò libros ac ſcripta deponere, & eorum obliuionem paulatim incurrere, quorum cognitionem ſibi non ſine labore comparauerant.

Idcircò quibuſdam ſpectatæ virtutis viris, ac in eo doctrinæ genere verſatiſſimis viſum eſt, ordini ſacerdotali conſultiſſimum fore; ſi ex vniuerſa Theologia, tam ſpeculatiua, ſeu (vt vocant) Scholaſtica, quàm practica ſeu morali, ea potiſſimùm ſeligerentur, ac in quoddam veluti compendium redigerentur, quæ ab vniuerſis ſacerdotibus maximè ſciri oporteret, vt muneri ſuo ſatisfacere, omneſque iniuncti ſibi officij partes, vt par eſt, adimplere poſſent. Qua ratione ijs aliquo pacto prouideretur, qui iam ad ſacerdotium promoti, huius tamen diuinæ ſciẽtiæ notitiam, temporis iniuria, aut rerum ſibi ad id neceſſariarũ defectu, aut alia quauis ex cauſa comparare, vel neglexerunt, vel nulla-

tenus

tenus potuerunt. Ac etiam alij, qui Theologiæ operam nauarunt, illiuſque ſtadium, aut totum, aut in partem emenſi ſunt; ex plurimis & varijs, quæ in Palęſtra Theologica didicerunt, ea potiſſimùm ob oculos haberent, quæ maximè ipſis vtilia, imò & neceſſaria eſſe cenſentur.

Hinc patet, quiſnam ſit huius operis ſcopus: nimirum his & illis æquè conſulere: & ad hoc præcipuas ac ſcitu maximè neceſſarias veritates ex vaſtiſſimo illo Theologicæ ſcientiæ ſinu, veluti pretioſas quaſdam margaritas colligere, ipſiſque in mente recondendas offerre.

Vt verò hunc finem ac ſcopum author aſſequeretur, ea potiſſimùm in hac Theologica ſynopſi ſeligere propoſitum illi fuit, quæ tum ad fidei myſteria, ſanè ac rectè intelligenda, & à quibuſuis erroribus ſecernenda; tum ad Sacramenta debitè conficienda & miniſtranda, tum ad actiones humanas, iuxta diuinæ legis normam dirigendas conducere poſſunt: omiſſis alijs difficilioribus & ſubtilioribus ipſius Theologiæ quæſtionibus: non quidem vt inutilibus; quippe quæ mul-

tùm ſplendoris ac roboris huic diuinæ ſcientiæ afferre poſſunt, ideòq; à ſapientiſſimis Magiſtris & Doctoribus cum vberrimo ingeniorum fructu tractantur: ſed vt fini à ſe intento minùs neceſſarijs.

In hac autem prima huius operis parte, quam exhibet, quæque præcipuarum veritatum ad fidei myſteria ſpectantium elucidationem complectitur: hunc ſibi maioris facilitatis gratia ordinem præfixit. Vt ſcilicet 1. explicaret ea, quæ ad ipſius fidei rationem ſpectant: cùm hæc virtus ſit veluti baſis ac fundamentum, non modò rerum ſperandarum (quod dixit Apoſtolus Hebr. 11.) ſed etiam veritatum cognoſcendarum: tum de primario illius fidei obiecto ageret, nempe Deo, ſiue vt in eſſentia vno, aut trino in perſonis. Exinde rerum omnium emanationem ab ipſo Deo; & ſic Angelorum naturam, primi hominis conditionem, eiuſdemque ac ſimul totius humani generis lapſum exponeret, poſtea de ipſius humani generis per diuini Verbi incarnationem reparatione. Ac demum de pręcipuo ipſius Incarnationis

fru-

fructu, nimirùm gratia diuina tractaret. Et ſic hæc prima Pars in ſex tractatus diuideretur: quorum primus eſſet de Fide: ſecundus de Deo, vt in eſſentia vno: tertius de eodem, vt trino in perſonis: quartus de creatione Angeli & hominis, & vtriuſque lapſu: quintus de humani generis reparatione per Verbi diuini Incarnationem: ſextus denique & vltimus de gratia diuina eiuſque effectibus, nempe iuſtificatione ac merito.

Hoc etiam in quolibet tractatu ſibi peculiari ſtudio ſeruandum propoſuit, vt, quantùm fieri poteſt, res veras à falſis, & certas ab incertis diſcerneret: Ac etiam, vt quoties aliquæ veritates probandæ occurrerent, illæ præſertim, quæ erroribus ab Eccleſia proſcriptis ſunt oppoſitæ; ad earum probationem primò adhiberet Scripturas, tum Conciliorum aut Pontificum decreta (ſi quæ ſint) exinde ſanctorum Patrum authoritates, ac demum argumenta aliqua Theologica: ſeruata tamen ſemper in omnibus ea breuitate ac facilitate, quam compendij ratio exigit.

Ex quibus intelligi poteſt., quare opuſculum iſtud, *Medullæ Theologicæ* titulo inſcriptum ſit: quia nimirùm ſepoſitis omnibus alijs (vt ſuprà dictum eſt,) quæ myſticam Theologiæ arborem inſtar corticis circumueſtiunt, aut vice frondium vel florum exornant, ſola hìc illius veluti medulla expreſſa reperitur. Et eò libentiùs titulus is vſurpatus eſt, quò inſolentiùs eundem ante aliquot annos pſeudo Theologus quidam Amſtelodamenſis libello varijs erroribus & mendacijs conſarcinato affixerat; illum videlicet hac ratione ab iniuſto poſſeſſore vindicando, & veræ ac legitimæ Theologiæ reſtituendo.

Non deerunt fortaſſis, qui poſt tot & tam nobiles inſignium Theologorum elucubrationes, opuſculum iſtud fruſtrà & inutiliter in lucem prodire arbitrētur; præſertim cum iàm aliàs & etiam nuper viri doctiſſimi in Theologia compendiario modo explicanda operam poſuerint, eiuſque ſynopſim abſolutiſſimam ediderint; ita vt idem iterum attentare, nihil aliud eſſe videatur, quàm actū agere. Verùm ex ijs, quæ ſuprà dicta ſunt, facilè quiuis intelligere poterit, ſcopum huic

operi

operi propoſitum longè diuerſum eſſe ab eo, quem alij ſpectaſſe videntur. Illi ſiquidem hoc pręſertim intenderunt, vt ipſius Theologiæ arcana omnia, etiam reconditiſſima & ſubtiliſſima, euoluerent, lectoremque aptum & idoneum efficerent, ad exercitationes in Theologicis palæſtris aſſuetas. At verò in hoc opuſculo, omiſſis omnibus alijs, neceſſitati ſoli conſultum eſt: idque præſertim intentum, vt illi, qui ordinibus ſacris aſcripti ſunt, eam (quam ſcientiam ſalutis Propheta vocat) probè teneant: ſicque & ſeipſos, & alios, quos iuuare & inſtituere tenentur, ſaluos facere poſſint.

Cæterùm, an ſcopum illum ſibi propoſitum author attigerit, pio atque beneuolo lectori iudicandum relinquit; hocque ab illo ſolum enixè precatur, vt ſi quid in hoc qualicumque opuſculo improbandum occurrat (quod vtiquefore non diffitetur) id ſibi tanquam Chriſtiano, Chriſtianus condonet & ignoſcat: ſi quid vtile aut aptum, illud omne Deo Optimo Maximo, eiuſque gratiæ aſcribat, eique proinde laudem omnem & gloriam, illi ſoli debitam, rependat.

OBSERVATIO

SVPER HIS, QVÆ IN hac nona editione ab Authore præſtita ſunt.

CVM in anterioribus editionibus plurima errata, præli vitio, in hunc librum irrepſerint, hoc præſertim ſibi in hac nona editione Author propoſuit, vt quàm emendatiſſima prodiret, ideòque in relegendis, emendandiſque exemplaribus operam ipſe ſuam impendit, eàmque prætereà varijs capitibus, ſectionibus, paragraphis, obſeruationibus, &c. auxit, tum ad clariorem lucem eorum, quæ in hoc libro continentur, tum ad vberiorem ipſorum legentium profectum & vtilitatem: quæ quidem Aſteriſco notauit, vt faciliùs quiuis agnoſcat, quæ huic editioni de nouo acceſſerunt. Addidit prætereà varios indices qui in prioribus editionibus deſiderabantur: Ac demum ad calcem ſecundæ partis Catecheſim methodicam, ex ipſius Medullæ Theologicæ effatis concinnatam appoſuit, vt ex huius libri lectione Eccleſiaſtici viri non modò ea, quæ propriæ inſtitutioni, ſed & quæ aliorum ædificationi & inſtructioni proficua ſunt, haurire poſſint.

INDEX

I N D E X
TRACTATVVM, CAPITVM,
& Sectionum primæ Partis.

QVÆSTIONES PROOEMIALES
de ipſa Theologia.

Sect. I. *Quid ſit Theologia & quodnam ſit eius obiectum.*
§. II. *Ex quibus locis argumenta Theologica educantur.*
§. III. *Quenam ſit cõcluſionum Theologicarum certitudo.*
§. IV. *Quenam diſpoſitiones requirantur in eo, qui inueſtigandis Theologicis veritatibus incumbit.*

TRACTATVS I.
DE FIDE.
CAPVT I.
De Fidei neceſſitate.

Sect. I. *Quid ſit, & quotuplici modo ſumatur fides.* fol. 2
II. *An fides neceſſaria ſit ad ſalutem neceſſitate præcepti.* 4
III. *An fides neceſſaria ſit ad ſalutem neceſſitate medij.* 5
IV. *An ad ſalutem ſit neceſſarium explicitam myſteriorum aliquorum fidem habere, & quorum.* 6
V. *An fides externa ſit ad ſalutem neceſſaria.* 9

CAPVT II.
De obiecto materiali fidei.

Sect. I. *Quinam libri ſacræ Scripturæ ſint canonici.* 12
II. *De varijs ſacræ Scripturæ editionibus & quænam ſit ex authentica.* 14
III. *Ad quem pertineat definire verum & legitimum ſacræ Scripturæ ſenſum.* 14

*IV. *Quænam ſit vera Eccleſia, ad quam pertinet verum & legitimum Scripturæ ſenſum definire, & quibus notis illa dignoſcatur.* 16
V. *An præter canonicas Scripturas ſint aliquæ traditiones fide diuina credendæ.* 19
VI. *De Symbolo Fidei.* 21
VII. *An obiecta fidei creuerint ſucceſſu temporis.* 22

CAPVT III.

De obiecto formali fidei.

Sect. I. *AN Deus quatenus eſt ſuprema & infallibilis veritas reuelans, ſit formale obiectum fidei.* 24
II. *An reuelatio diuina vt ſit formale obiectum fidei, debeat eſſe obſcura & ineuidens.* 26
III. *An diuina reuelatio debeat eſſe publica, vel priuata.* 28
IV. *Vnde poſſit dignoſci an reuelatio priuata ſit à Deo: ac proinde ſufficiens pro eliciendo actu fidei.* 29
V. *An fidei diuinæ poſſit ſubeſſe falſum.* 32
VI. *An ſit aliqua euidentia credibilitatis in ijs veritatibus, quæ fide ſupernaturali credi debent.* 35
VII. *Quibus argumentis ſeu motiuis veritates noſtræ fidei ſint euidenter credibiles.*
VIII. *Quodnam ſit illud in quod vltimò fides reſoluitur.* 38
IX. *Quomodo actus fidei ſit in praxim redigendus.* 40

CAPVT IV.

* De vitijs fidei oppoſitis.

* Sect. I. *AN infidelitas ſit peccatum.* 42
* II. *Quot ſint ſpecies infidelitatis.* 44
* III. *Quid ſit hæreſis.* 45
* IV. *Quanam ratione dignoſci poſſit an doctrina aliqua ſeu propoſitio ſit hæretica.* 46
* §.I. *Ad illud dignoſcendum certiſſimam regulam eſſe authoritatem ſacræ Scripturæ, ac diuinæ traditionis.* 48
* §.II. *Authoritatem Eccleſiæ ad id quoque neceſſariam eſſe.* 49
* §.III. *Conciliorum vniuerſalium decreta eſſe quoque medium certiſſimum ad dignoſcendos errores.* 50
* §.IV. *Pontificis Romani authoritatem in ijs, quæ fidem ſpectant, eſſe etiam medium certiſſimum ad doctrinam orthodoxam ab hæretica diſcernendam.* 51
* §.V. *Quomodo iuxta ea quæ dicta ſunt, quiuis Theologus de doctrina aliqua iudicium ferre poſſit.* 54

TRA-

INDEX.

TRACTATVS II.

DE DEO.

CAPVT I.
De exiſtentia Dei.

Sect. I. Quibus rationibus probari poſſit Deum eſſe. 56
II. Quibus rationibus demonſtrari poſſit vnum eſſe Deum, & non plures. 58
III. An poſſit à nobis aliquod nomen Deo imponi, & qualiter nominari debeat. 59

CAPVT II.
De atributis diuinis.

Sect. I. An, & quomodo Atributa Dei inter ſe, & ab eius eſſentia diſtinguantur. 61
II. An diuina eſſentia ſit omninò ſimplex. 63
III. An & qua ratione diuina eſſentia in ſua ſimplicitate contineat omnes rerum omnium perfectiones. 64
IV. An Deus ſit immutabilis. 65
V. An Deus ſit æternus. 66
VI. An, & qua ratione Deus ſit vbique præſens. 67
VII. An Deus ſit in omni genere perfectionis infinitus. 69

CAPVT III.
De Scientia Dei.

Sect. I. An ſit in Deo ſcientia, & qualis illa ſit. 70
II. Quodnam ſit obiectum ſcientiæ diuinæ, ſeu quaſnam res Deus cognoſcat. 72
III. Quomodo Deus cognoſcat futura contingentia. 73
IV. An Deus cognoſcat futura conditionata. 76
V. An aliqua rerum creatarum ideæ in Deo ſint. 78

CAPVT IV.
De voluntate Dei.

Sect. I. An ſit in Deo voluntas, & qualis. 79
II. Quænam ſint obiecta diuinæ voluntatis. 81
III. An voluntas Dei ſit libera. 83
IV. Quænam ſit diuinæ voluntatis efficacitas. 86
V. An, & qua ratione in diuina voluntate amor, odium, miſericordia, iuſtitia, & ſimiles affectus reperiantur. 88
VI. An ſit in Deo prouidentia, & ad quæ ſe extendat. 90

* * 2 CA-

CAPVT V.

De Prædeſtinatione.

Sect. I. *QVid prædeſtinationis, quid item reprobationis nomine debeat intelligi.* 92
II. *Quid fides Catholica de prædeſtinatione, & reprobatione credendum proponat.* 94
*III. *An ſolùm peccatum originale ſit cauſa reprobationis poſitiue tam adultorum quàm infantium.* 98
IV. *An prædeſtinatio ad gloriam ſit ante, vel poſt præuiſa merita.* 101
V. *Quid ſuper quæſtione in ſectione præcedenti propoſita ſentiendum videatur.* 104
VI. *Quinã ſint effectus prædeſtinationis & reprobationis.* 108
VII. *An prædeſtinatio ſit certa, & an à prædeſtinatis cognoſci poſſit.* 108

CAPVT VI.

De cognoſcibilitate Dei, ſeu de modo, quo ab intellectu creato Deus clarè cognoſci poteſt.

Sect. I. *AN clara Dei cognitio ſit intellectui creato poſſibilis.* 110
II. *An de facto nunc beati eſſentiam Dei clarè videant.* 113
*III. *An intellectus creatus indigeat ſpecie aliqua intelligibili ad videndum Deum.* 114
IV. *An ad Deum clarè videndum intellectus creatus lumine aliquo ſupernaturali indigeat.* 116
V. *Quid intellectus lumine gloriæ illuſtratus in diuina eſſentia videat.* 118
VI. *Quaſnam res præter Deum in ſtatu gloriæ beati cognoſcant.* 120
VII. *An omnes beati æqualiter Deum videant.* 122

TRACTATVS III.

De Sanctiſſimæ Trinitatis myſterio.

CAPVT I.

De ijs, quæ ſpectant ad myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis in genere.

Sect. I. *AN myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis naturali ratione cognoſci poſſit.* 125

II.

II. *An ſint plures in Deo perſonæ.* 127
III. *An ſint aliquæ proceſſiones in perſonis diuinis, & quot?* 129
IV. *An ſint aliquæ relationes inter perſonas diuinas, quot & quales?* 131
V. *An ſint admittendæ aliquæ notiones in perſonis diuinis, & quæ?* 133
* VI. *Quot in diuinis ſubſtantiæ, quot exiſtentiæ, quot item ſubſiſtentiæ & hypoſtaſes admittendæ ſint.* 135

CAPVT II.

De perſonis diuinis in particulari.

Sect. I. *QVanam nomina prima in diuinis perſonæ propriè conueniant.* 137
II. *Quid fides Catholica de ſecunda ſanctiſſimæ Trinitatis perſona credendum proponat.* 139
III. *Ob quam rationem Filij proceſſio dicatur, & verè ſit generatio; Spiritus ſancti verò nec ſit, nec dici poſſit.* 141
IV. *Quo ſenſu ſecunda in diuinis Perſona vocetur Verbum.* 143
V. *Quid fides Catholica de tertia in diuinis perſona credendum proponat.* 145
VI. *Quo ſenſu Spiritus ſanctus vocetur amor.* 148
VII. *Qua ratione Perſona vna in diuinis mitti dicatur ab alia.* 149
VIII. *Quomodo de ſãctiſſimæ Trinitatis myſterio ſit loquendũ.* 151

TRACTATVS IV.

De creatione hominis, & Angeli, ac vtriuſque lapſu.

CAPVT I.

De creatione rerum in genere.

Sect. I. *AN Deus ſit cauſa efficiens rerum omnium.* 154
II. *An ſolius Dei proprium ſit creare.* 156
III. *An aliquæ creaturæ fuerint, vel eſſe potuerint ab æterno.* 157

CAPVT II.

De creatione Angelorum, eorumque natura.

Sect. I. *QVandonam Angeli creati ſint.* 158
II. *Vbinam creati ſint Angeli.* 160
III. *An Angeli ſint omninò incorporei.* 161
IV. *Quid de loco & motu Angelorum ſentiendum ſit.* 164
V. *Quomodo Angeli cognoſcant ſe, vel alias res.* 165
VI. *Quaſnam res Angeli cognoſcant.* 169
VII. *Qualis ſit Angelorum voluntas.* 174
VIII. *Quomodo Angeli inter ſe loquantur.* 175
IX. *Quid de ordinibus Angelorum ſentiendum ſit.* 177

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CAPVT III.

De bonorum Angelorum merito ac beatitudine, & malorum peccato ac damnatione.

Sect. I. QVodnam fuit Angelorum bonorum meritum, & malorum peccatum. 179
II. Quiſnam ſit ſtatus Angelorum in gloria. 182
III. Qualia ſint officia Angelorum beatorum erga homines. 183
IV. Qualis ſit ſtatus damnationis reproborum Angelorum. 186
V. Quæ ſit dæmonum conditio quoad intellectum & voluntatem. 189
VI. Quomodo à dæmonibus homines impugnentur. 191

CAPVT IV.

De creatione hominis in ſtatu innocentiæ.

Sect. I. QVid de creatione hominis ſentiendum ſit, & qualis ſit eius anima, an incorporea & immortalis. 192
II. Qualis fuerit conditio primi hominis quo ad intellectum. 195
III. Qualis fuerit conditio primi hominis quoad voluntatem, & alias animi potentias. 196
IV. An in ſtatu innocentiæ homo fuiſſet immortalis. 199

CAPVT V.

De lapſu hominis & peccato originali.

Sect. I. QVale fuerit primorum parentum peccatum. 201
II. An peccatum primi hominis in eius poſteros traducatur. 203
III. Quid ſit propriè peccatum originale. 205
IV. Quinam ſint effectus peccati originalis in hac vita. 208
V. Quinam ſint effectus peccati originalis in futura vita. 211

TRACTATVS V.

De Generis humani reparatione, per Verbi Diuini Incarnationem.

CAPVT I.

De veritate myſterij Incarnationis.

Sect. I. QVid nomine Incarnationis Verbi diuini intelligendum ſit. 214
II. Quomodo huius myſterij veritas contra Ethnicos probari poſſit. 215
III. Quomodo eiuſdem myſterij probari poſſit veritas contra Iudæos. 218
IV. Quomodo eadem veritas poſſit contra hæreticos propugnari. 220
V. An conueniens fuerit Incarnationis myſterium. 222

VI. *An Incarnationis myſterium fuerit neceſſarium.* 223

VII. *An ſi homo non peccaſſet, Filius Dei incarnatus fuiſſet.* 227

CAPVT II.

De modo quo peractum eſt Incarnationis myſterium.

Sect.I. *QVid ſit vnio hypoſtatica.* 230

II. *An ſola Filij perſona naturam humanam aſſumpſerit.* 231

III. *An poſt duarum in Chriſto naturarum vnionem manſerit proprietatum vtriuſque naturæ diſtinctio.* 233

IV. *Quænam humanæ naturæ partes à Verbo aſſumptæ ſint.* 234

V. *Quo ordine partes humanæ naturæ à Verbo aſſūptæ ſint.* 237

VI. *An Chriſtus aliquos corporis defectus aſſumpſerit.* 238

VII. *An Chriſtus in anima ſua defectus aliquos habuerit.* 239

CAPVT III.

De modo quo de myſterio Incarnationis loquendum eſt.

Sect.I. *AN in Chriſto aliqua communicatio idiomatum admittenda ſit.* 242

II. *Traduntur quædam regulæ in hac communicatione idiomatum enunciandæ obſeruandæ.* 243

III. *Obſeruationes aliquæ traduntur ſuper regulis ſuperiori ſectione propoſitis.* 245

CAPVT IV.

De Gratia Chriſti.

Sect.I. *QValis fuerit gratia Chriſti.* 247

II. *An in Chriſto fuerint virtutes & dona Spiritûs ſancti.* 250

CAPVT V.

De Scientia Dei.

Sect.I. *QValis fuerit ſcientia Chriſti.* 252

II. *Ad quaſnam res Chriſti ſcientia ſe extenderit.* 254

CAPVT VI.

De voluntate & merito Chriſti.

Sect.I. *AN Chriſti voluntas fuerit libera.* 256

II. *Qua ratione Chriſti voluntas libera fuerit.* 258

III. *An & qua ratione Chriſti actiones fuerint meritoriæ.* 260

IV. *Quid Chriſtus Dominus ſibi, & quid nobis meruerit.* 263

V. *An & qua ratione Chriſti merita omnibus hominibus applicentur.* 265

VI. *Quomodo Chriſtus Deum Patrem orauerit.* 270

CAPVT VII.

De vitæ ac mortis Chriſti Domini myſterijs.

Sect.I. *DE Chriſti Domini ingreſſu in hunc mundum.* 272

II. *De Circumciſione, & impoſitione nominis Ieſu.* 274

III. *De progreſſu vitæ Chriſti Domini in hoc mundo.* 270
IV. *De regreſſu Chriſti Domini ex hoc mundo.* 277
V. *De Chriſti Domini deſcenſu ad inferos.* 280
VI. *De Chriſti Domini reſurrectione.* 282
VII. *De Chriſti Domini in cœlos aſcenſione & ad dexteram Patris ſeſſione.* 283
VIII. *De regia Chriſti poteſtate.* 284
IX. *De iudiciaria Chriſti Domini poteſtate.* 285
X. *De dignitate capitis, quæ Chriſto Domino competit, reſpectu tam Angelorum quàm hominum.* 287
XI. *De Sacerdotio Chriſti.* 289
XII. *De eximio & honorifico Redemptoris & Mediatoris titulo, qui in Scripturis Chriſto Domino tribuitur.* 291

CAPVT VIII.

De adoratione Chriſto Domino debita, nec non de veneratione ſanctiſſimæ Matris eius, cæteriſque Sanctis ac eorum Reliquijs & imaginibus exhibenda.

Sect.I. *QVanam adoratio humanitati Chriſti debeatur.* 295
II. *Quomodo Sancti à nobis colendi ſint.* 298
III. *Qualis cultus ſanctiſſimæ Virgini Deiparæ Mariæ debeatur.* 301
IV. *Qualis veneratio imaginibus & Reliquijs exhibenda ſit.* 306

TRACTATVS VI.

CAPVT I.

De neceſſitate gratiæ diuinæ.

Sect.I. *QVid nomine gratiæ intelligatur.* 301
II. *Quinam fuerint errores Pelagianorum circa gratiæ neceſſitatem.* 314
§. I. *Quid de Pelagianorum erroribus cenſuerint Africana Concilia, Cartaginenſe ac Mileuitanum,* 315
§. II. *Quale iudicium fuerit Innocentij Papæ ſuper ijſdem erroribus.* 316
§. III. *Quid contra eoſdem errores in altero Concilio Carthaginenſi ſtatutum fuerit.* 317
§. IV. *Quid ſuper Pelagianorum & Semipelagianorum erroribus edixerit Cœleſtinus Papa.* 319
§. V. *Quid Gelaſius Papa, Quid item Concilium Arauſicanum ſecundum, contra Pelagianorum & Semipelagianorum reliquias decreuerint.* 320
III. *De varijs humanæ naturæ ſtatibus.* 322

IV. *An & qua ratione gratia, quæ in ſtatu innocētiæ collata fuit, differat ab illa, qua in ſtatu naturæ lapſæ confertur.* 325
V. *An gratia neceſſaria ſit ad cognoſcēdum quodlibet verū.* 327
VI. *An poſſit homo velle aut facere bonū aliquod ſine gratia* 329
VI. *An poſſit homo ſine gratia habituali bonum aliquod opus exercere.* 332
VII. *An ſine fide poſſit aliquod opus moraliter bonū exerceri.* 334
VIII. *An homo iuſtus indigeat gratiæ actualis auxilio ad operandū*
IX. *bonum, & ad finalem perſeuerantiam conſequendam.* 337

CAPVT II.

De Gratia ſufficienti.

Sect. I. *Quid ſit gratia præueniens, excitans & operans.* 339
II. *Quid ſit gratia adiuuans, cooperans, comitans, & ſubſequens.* 341
VII. *An detur gratia aliqua ſufficiens.* 343
§. I. *Gratiam ſufficientem, quæ in ſtatu naturæ lapſæ homini datur talem eſſe vt illi reſiſtere poſſit, & de facto aliquando reſiſtat, probatur ex varijs Scripturæ locis.* 345
§. II. *Eadem ſententia Conciliorum authoritate probatur.* 347
§. III. *Probatur eadem ſententia ex ſanctis Patribus.* 347
§. IV. *Soluuntur obiectiones.* 348
§. II. *An cuilibet homini detur gratia ſufficiens ad ſalutem.* 351
V. *An Deus velit omnes homines ſaluos fieri.* 353
* VI. *Deturne gratia ſufficiens ad mandata Dei ſeruanda omnibus illis, qui ea ſeruare tenentur, & peccant non ſeruando.* 355
* VII. *Deturne peccatoribus obduratis auxilium gratiæ ſufficiens ad conuerſionem.* 358
*VIII. *An verè dici poſſit etiam paruulis abſque Baptiſmo decedentibus, dari media ad ſalutem ſufficientia.* 362

CAPVT III.

De gratia efficaci.

Sect. I. *Quid ſit gratia efficax, & qua ratione à ſufficienti diſtinguatur.* 363
II. *In quo propriè conſiſtat ipſius gratiæ efficacia.* 366

CAPVT IV.

De gratiæ effectibus, ac in primis de iuſtificatione.

Sect. I. *In quo propriè & formaliter conſiſtat hominis iuſtificatio.* 368

I. Qui-

II. *Quinam ſint effectus gratiæ habitualis ſanctificantis.* 372
III. *An ſimul cum habituali gratia aliqui virtutum habitus in animam infundantur.* 374
IV. *An gratia habitualis à charitate diſtincta ſit.* 376
V. *An aliquæ diſpoſitiones ad iuſtificationem requirantur, & quæ.* 378
VI. *An gratia habitualis ſeu charitas augeri, vel minui, vel amitti poſſit.* 381
VII. *An aliquis certò ſcire poſſit ſe eſſe iuſtificatum.* 382

CAPVT V.

De altero gratiæ effectu ſeu de merito.

Sect. I. *An poſſit homo aliquid à Deo mereri.* 384
II. *An meritum rectè diuidatur in meritum de condigno, & meritum de congruo.* 385
III. *Quænam conditiones requirantur ad meritum ex parte illius qui meretur.* 386
IV. *Quænam cõditiones requirantur ex parte actus meritorij.* 387
V. *Quænam res cadant ſub meritum.* 391
VI. *An iuſtus de condigno mereri vitam æternam poſſit.* 394
VII. *An vnus poſſit alteri mereri primam gratiam, & alia dona ad ſalutem neceſſaria.* 397
* *Relatio Gallicanorum Epiſcoporum ad Pontificem Max. Innocentium X.* 399
* *Conſtitutio SS. in Chriſto, P. ac D.N.D. Innocentij Papæ X. qua declarantur & definiuntur quinque propoſitiones in materia fidei.* 401
* *Reſcriptum SS. D.N. Innocentij Papæ X. ad vniuerſos Archiepiſcopos & Epiſcopos Galliæ.* 403
* *Epiſtola Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Galliæ in Pariſienſi vrbe congregatorum.* 404
* *Alia eorumdem Epiſtola.* 406
* *Alia eorumdem Epiſtola.* 407
* *Aliud Reſcriptum SS. D.N. Innocentij Papæ X.* 410
* *Epiſtola Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Galliæ in generalibus Cleri comitijs.* 411
* *Conſtitutio SS. in Chriſto P. ac D.N.D. Alexandri Papæ VII.* 414
* *Alia Epiſtola Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Galliæ in generalibus Cleri Comitijs.* 417
* *Reſcriptum SS. D. Alexandri Papæ VII.* 421

QVÆ-

QVÆSTIONES PROOEMIALES

de ipſa Theologia.

QVÆSTIO I.

Quid ſit Theologia, & quodnam ſit eius obiectum.

NOMEN Theologiæ ſi vim & ſignificationem illius ſpectemus, pro quacumque de Deo ac rebus diuinis doctrina ſumi poteſt, vt docet S. Aug. lib. 8. de Ciuit. cap. 1. Vnde & ipſi Ethnici ſcriptores, qui de rebus diuinis tractauerunt, olim Theologi dicti ſunt, vt obſeruat idem S. Pater lib. 18. de Ciuit. cap. 14. Si verò illius nominis apud Scriptores Eccleſiaſticos communem acceptionem attendamus, Theologiæ nomine eam ſolùm de Deo ac rebus diuinis doctrinam ſignificari inueniemus; quæ, non ſolo rationis lumine comparatur, ſed diuina præſertim reuelatione nititur.

Eſt autem duplex doctrina, quæ diuina reuelatione innixa eſt. Vna eſt ipſa fides; qua res diuinitùs reuelatas intelligimus. Altera, qua res ipſas per fidem intellectas explicare, perſuadere, ac contra hæreticos, & alios ipſius fidei aduerſarios propugnare poſſumus. De vtraque loqnitur idem S. Aug. lib. 14. de Trin. cap. 1. *Aliud eſt*, inquit, *ſcire, quid credere debeamus; quod docet fides: aliud autem ſcire, quemadmodum hoc ipſum, & pijs opituletur, & contra impios defendatur, quod proprio appellare vocabulo ſcientiam videtur Apoſtolus.* Et hæc ſecunda doctrina ſpecies, ſecundùm receptum communiter vſum, proprio nomine Theologia vocatur. De qua proinde quæritur, an ſit ſcientia, an verò ad aliquam aliam virtutem intellectualem pertineat? Pro reſolutione

Dicendum 1. Theologiam non eſſe ſcientiam ſtrictè ſumptam, eo modo, quo ſcientiæ nomen à Philoſophis ſumi ſolet.

Ad rationē enim ſcientiæ ſecundùm illos requiritur vt ſit cognitio certa & euidens. Quamuis autem Theologia ſit certiſſima, imò ſcientias quaſcunque certitudine antecellat: non eſt tamen euidens; cùm eius principia, quæ à fide petuntur, obſcura ſint, & ineuidentia.

Dicendum 2. Theologiam non eſſe fidem diuinam; quamuis eam præſup-

præſupponat ipſique innitatur.

Theologica ſiquidem doctrina diſcurſiua eſt; fides autem nullo vtitur diſcurſu, ſed in ipſa reuelatione diuina ſimpliciter acquieſcit.

Dicendum 3. Theologiam, quamuis, nec ſcientia propriè dicta, nec fides ſit; ex vtraque tamen aliquid participare, ex fide quidem certitudinem, cum ineuidentia: ex ſcientia verò, tum certitudinem, tum diſcurrendi rationem.

Quatenùs enim nititur principiis per diuinam reuelationem cognitis, ex fide habet quòd ſit certiſſima, licet ineuidens. Quatenus verò concluſiones aliquas ex illis principiis per diſcurſum elicit ex ſcientia habet quod ſit diſcurſiua ſeu argumentatiua; ſimulque ex illa certitudinem illam accipit, quæ per ipſam diſcurrendi rationem haberi poteſt.

Dicendum 4. Theologiam, ſi alicuius intellectualis habitus nomine appellanda ſit, dici poſſe ſapientiam.

Proprietates ſiquidem omnes, quæ ſapientiæ communiter tribuuntur, maximè illi conueniunt. Sunt autem quatuor præcipuæ à Philoſopho libro 1. Metaph. capite ſecundo enumeratæ.

Prima eſt, ſapientiam eſſe cognitionem vniuerſaliſſimam. At nulla doctrina vniuerſalior eſſe poteſt ipſa Theologia, quæ Deum ipſum, qui eſt prima & vniuerſaliſſima cauſa, tanquam principale obiectum ſuum conſiderat. Vnde etiam aliquo modo ſpectat ad illam agere de omnibus rebus, quatenùs à Deo ſunt, tanquam à cauſa prima efficiente, vel ad ipſum, tanquam ad vltimum finem referuntur.

Secunda ſapientiæ proprietas eſt, quod ſit circa res difficillimas, & maximè à ſenſibus remotas. Et hoc Theologiæ conuenit; cum verſetur circa cognitionem rerum ſupernaturalium, quæ ſunt, non ſolùm à ſenſibus, ſed etiam ab ipſa ratione humana maximè remotæ, ac proinde difficillimæ: cùm ad illorum intelligentiam captiuandus ſit intellectus in obſequium fidei.

Tertia ſapientiæ proprietas eſt, quod ſit certiſſima & procedat ex principiis certiſſimis. Et hoc etiam Theologiæ competit, vt ex antè dictis patet.

Quarta denique ſapientiæ proprietas eſt, vt ad nullam aliam cognitionem ordinetur, ſed aliis omnibus præſit, eaſque dirigat. Et hoc etiam habet Theologia: ad nullam enim aliam ſcientiam ſuperiorem ordinatur; imo aliis ſcientiis tanquam ancillis vtitur, iuxta illud Prou. 9. *Miſit ancillas ſuas vocare ad arcem:* hoc eſt, quod alias ſcientias ad altiorem finem dirigit & ordinat: v.g. moralis Philoſophiæ cognitionem, ad aſſecutionem vitæ eternæ. Sicque Theologia rectè dici poteſt vera & perfecta hominis ſapientia.

Iam

Iam quod ſpectat ad ipſius Theologiæ obiectum.

Dicimus 1. illius obiectum materiale, hoc eſt, id quod, primò & per ſe ab ipſa Theologia conſideratur, & in ordine ad illud cætera omnia, eſſe; Deum. Cætera enim, de quibus præter ipſum Deum agit Theologia, referuntur & ordinem dicunt ad illum, vel vt eſt principium, vel vt eſt finis rerum omnium creatarum.

Dicimus 2. obiectum formale ipſius Theologiæ eſſe ipſummet Deum; quatenùs de illo, aliiſve rebus, quæ ad illum dicunt ordinem aliquid demonſtrari poteſt per diſcurſum reuelationi diuinæ innixum.

Hac enim ratione Theologia diſtinguitur ab omnibus aliis ſcientiis, quæ circa Deum quocumque modo verſari poſſunt: illum enim ſolummodo conſiderant, quatenùs ex principiis naturali lumine notis aliquid de ipſo demonſtrari poteſt.

QVÆSTIO II.

Ex quibus locis argumenta Theologica educantur.

PER locos Theologicos intelligimus ſedes, ac veluti promptuaria, ex quibus ipſi Theologi argumenta ſibi propria deſumunt.

Varii autem ſunt illi loci, & variè à Doctoribus recenſentur: alii ſiquidem plures; alii pauciores enumerant. Probabiliſſimè loqui videntur ii, qui proprios locos Theologicos, tres præſertim eſſe aſſerunt: ex quibus argumenta Theologica certiſſima educantur.

Primus locus eſt ipſa ſacra Scriptura in Bibliis contenta; quæque ab Eccleſia tanquam canonica proponitur. De cuius authoritate, interpretatione, aliiſque ad eam ſpectantibus agetur infrà, tract. 1. cap. 2.

Secundus locus eſt traditio diuina; quæ (vt loquitur Conc. Trid. ſeſſ. 4.) *ex ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis accepta, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu ſancto dictante, quaſi per manus tradita ad nos vſque peruenit*. Et de hac etiam agetur infrà loco proximè citato.

Tertius denique locus eſt authoritas ipſius Eccleſiæ, ſiue per Concilia generalia, ſiue per ſummos Pontifices, loquatur. Cum enim ipſa ſit (vt dicit Apoſtolus) *Columna & firmamentum veritatis*; eius proinde authoritas infallibilis eſt; & argumenta illi innixa non poſſunt non eſſe certiſſima.

Ad hos tres Theologicos locos proximè accedit authoritas ſanctorum Patrum, quæ maximi ſemper ponderis fuit apud Catholicos; & ex qua proinde argumenta Theologica rectè deſumi poſſunt. Vnde S. Auguſt. paſſim in libris contra Iulianum adhibet authoritatem ſanctorum Irenæi, Athanaſij, Nazianzeni, Chryſoſtomi, & alio-

rum

rum ad propugnandas veritates circa materiam gratiæ, quas Pelagiani hæretici (quorum anteſignanus erat ille Iulianus) impugnabant.

Eſt tamen obſeruandum (ſicut rectè monet idem S. Auguſtinus lib. 11. contra Fauſtum cap. 5.) authoritatem SS. Patrum, quamuis maximi faciendam, *Nullo modo tamen canonicæ ſacrarum literarum authoritati coæquari. Et quod, quamuis in illorum libris inueniatur eadem veritas, longe tamen eſt impar authoritas.* Et Epiſt. 19. ad S. Hieronym. *Alios*, inquit, *ita lego, vt, quantalibet ſanctitate doctrinaque præpolleant: non ideò verum putem quia ipſi ita ſenſerunt.* Et Epiſt. III. *Neque enim quorumlibet diſputationes, velut Scripturas canonicas habere debemus, vt nobis non liceat, ſalua honorificentia quæ illis debetur hominibus, aliud in eorum ſcriptis improbare, aut reſpuere, &c. Talis ego ſum in ſcriptis aliorum; tales volo eſſe intellectores meorum.*

Præter ſuprà dictos locos, argumenta etiam deduci poſſunt ad confirmationem veritatum Theologicarum ex hiſtoria, non ſolùm Eccleſiaſtica, ſed etiam prophana, præſertim aduerſus ipſos Ethnicos: qui nec Scripturas ſacras, nec traditiones, aut Eccleſiæ authoritatem recipiunt. Idem etiam dicendum eſt de dogmatibus philoſophicis & ipſa naturali ratione. Videmus ſiquidem multos antiquos Patres variis argumentationibus & ratiocinijs ex Philoſophia petitis ad elucidandas noſtræ fidei veritates vſos fuiſſe, quoties aduerſus Ethnicos agendum illis fuit: vt à S. Iuſtino martyre, Arnobio, Lactantio, Tertulliano, & aliis factum eſſe, in eorum ſcriptis comperimus.

QVÆSTIO III.

Quænam ſit concluſionum Theologicarum certitudo.

NOMINE concluſionis Theologicæ intelligimus propoſitionem illam, cui aſſentitur intellectus ratione diſcurſus Theologici, ſeu ex vi aſſenſus, quem illius præmiſſis, tanquam ex fide veris & certis, præbuit. Hoc prænotato,

Dicendum 1. concluſionem Theologicam, etiam ex duabus præmiſſis fide diuina cognitis, deductam, inferioris tamen eſſe certitudinis, quàm ſint ipſæ veritates immediatè à Deo reuelatæ, & per Eccleſiam ad credendum propoſitæ.

Hæc aſſertio conſtat, non ſolùm ex eo quòd (vt dicunt Philoſophi) maior ſit ſemper certitudo principiorum, quàm concluſionis quæ ex illis deducitur; ſed præſertim quia veritates fidei immediatè diuina reuelatione innituntur, quæ eſt omninò infallibilis; at concluſiones

cluſiones Theologicæ non niſi mediante diſcurſu, qui cum ſit operatio intellectus creati, æqualem cum veritatibus fidei certitudinem habere non poteſt; cùm omnis intellectus creatus in operationibus ſibi propriis falli & decipi poſſit.

Dicendum 2. concluſionem Theologicam certiorem ſemper eſſe quauis alia concluſione cuiuslibet ſcientiæ naturalis.

Id patet ex eo quòd motiuum quo Theologica concluſio innititur, ſemper eſt certius motiuo cuiuſcumque concluſionis cuiuslibet ſcientiæ naturalis, cùm hæc ſolo lumine & ratione naturali; illa verò lumine fidei & atteſtatione diuina innitatur.

QVÆSTIO IV.

Quænam diſpoſitiones requirantur in eo, qui inueſtigandis veritatibus Theologicis incumbit.

PRIMA diſpoſitio, ad Theologiæ notitiam rectè capeſſendam, eſt ſana fides. Cum enim (vt diximus) primarium & præcipuum Theologiæ fundamentum ſit ipſa fides: niſi ſana ſit, & inconcuſſa teneatur, reliquum ipſius Theologiæ ædificium, quod ſuperſtructum fuerit, conſiſtere non poteſt.

Secunda diſpoſitio eſt cordis munditiès. Quod ipſe Chriſtus Dominus ſatis apertè innuit, cùm dixit Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Vnde S. Gregorius Nazianz. orat. 33. aduerſus Eunomianos rectè monet: *Non omnium eſſe de Deo diſputare; ſed eorum duntaxat, qui explorati ſunt, ac contemplando longè proceſſerunt: ac priùs etiam tam corpus quàm animum repurgarunt, aut ſaltem purgare iam inſtituunt. Impuro enim rem puram attingere, fortaſſe ne tutum eſt quidem; quemadmodum nec ægris oculis ſolis radios intueri.*

Tertia diſpoſitio eſt ipſius intentionis rectitudo. Cùm enim (vt æquè ſapienter ac verè dixit Chriſtus Dominus Matth. 6.) ex oculi, id eſt, intentionis ſimplicitate ac rectitudine, totius corporis, id eſt totius operis claritas ac perfectio pendeat: quiſquis in huius cæleſtis diſciplinæ inueſtigatione proficere deſiderat, is oculum mentis ſimplicem ac rectum habere debet; qui neque ad lucri emolumenta, neque ad honoris blandimenta reflectatur; ſed recta intentione in ſolum Deum feratur, illiuſque gloriam, tanquam vltimum ac vnicum ſibi finem propoſitum, ſpectet.

His ad Theologiam capeſſendam præcipuis & maximè neceſſariis diſpoſitionibus breuiter explicatis, duo adhuc monita ſubiungenda ſunt.

Primum eſt (quod rectè docuit Theodoretus præfatione in Can-

tica)

tica) ad hoc, vt quis diuinas veritates peruidere, & in huius altiſſimæ ſcientiæ arcana penetrare poſſit, mentem agilem ac veluti pennis quibuſdam inſtructam requiri; neque ſegniter aut perfunctorie ſed totis ingenii viribus maximaque ſedulitate ac diligentia ſtudiis Theologicis eſſe incumbendum: Aliàs nullus profectus, imo non leue periculum: ne in illa cœleſti diſciplina vel inſcii vel ſemidocti (quod non raro euenit) falſum pro vero, dubium pro certo accipiant: ac poſteà non ſine fidei Catholicæ detrimento aliis venditent.

Secundum eſt, in diſquiſitionibus veritatum Theologicarum modum quemdam eſſe ſeruandum illudque humiliter tenendum quod præmonuit Apoſtolus Rom. 12. *Non plus ſapere quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem: vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei. Vt igitur* (ſicut loquitur S. Hilarius lib. 10. de Trinit.) *Sol ita videndus eſt, vt poſſit videri tantuſque excipiendus lumine eſt, quantus admittitur: ne ſi plus velimus expetere, minus quoque quam poſſumus conſequamur: ita & ratio cæleſtis in tantum intelligenda eſt, in quantum ſe permittit intelligi: in tantùm expetenda eſt, in quantum apprehendendam ſe dedit; ne ſi contenti indulgentiæ moderatione non ſimus, amittamus indulta.*

MEDVLLA

MEDVLLA THEOLOGICA

EX SACRIS SCRIPTVRIS,

Conciliorum, Pontificumque Decretis, & ſanctorum Patrum, ac Doctorum placitis expreſſa.

TRACTATVS PRIMVS.

DE FIDE.

CVm fides (vt ait ſanctus Baſilius in Pſal. 115.) *ſit ſacrorum, quæ de Deo ſunt, eloquiorum dux*; vel (vt ſanctus Bernardus loquitur ſer. 75. in Cant. ea ſit, quæ *attingit inacceſſa, deprehendit ignota, comprehendit immenſa, apprehendit nouiſſima, ipſam denique æternitatem ſuo illo vaſtiſſimo ſinu quodammodo circumcludet*: nobis, quibus in hoc veritatum Theologicarum compendio, de Deo, eiuſque perfectionibus, nec non de decretis & operationibus diuinis, de donis ſupernaturalibus, de Sacramentis diuinitus inſtitutis, alijſque ſimilibus rebus rationi humanæ inacceſſis & ignotis, agendum incumbit; hac cæleſti face imprimis opus eſſe exiſtimauimus, quæ depulſis errorum quorumlibet tenebris, veritatis certum ac ſecurum tramitem oſtendat.

Vt igitur, ſicut propoſitum nobis eſt, compendiaria via procedamus, ex multis, quæ à Theologis diſputari de Fide ſolent, pauca tantum excerpemus, quæ magis neceſſaria viſa ſunt, & ad tria capita reuocabimus. In quorum primo videbimus, quæ ſit neceſſitas fidei. In ſecundo, quodnam ſit ejus obiectum materiale. In tertio denique quodnam ſit eiuſdem obiectum formale. Seu, quod in idem recidit, An ſit ad ſalutem neceſſarium credere: quid oporteat credere: quomodo, & qua ratione oporteat credere, quibus & caput quartum ſubiungemus de vitijs fidei oppoſitis.

CAPVT PRIMVM.

De Fidei neceſſitate

SECTIO I.

Quid ſit, & quotuplici modo ſumatur Fides.

1 OMiſſis varijs, ac multiplicibus modis, quibus paſſim in ſacra Scriptura nomen Fidei accipitur; nos hic per Fidem intelligimus virtutem illam ſupernaturalem, per quam (vt Catechiſmus Romanus loquitur Part. 1. c. 11.) *id ratum habemus, quod à Deo traditum eſſe ſanctiſſimæ Matris Eccleſiæ authoritas comprobauit.*

* Eo ſenſu accepta fides communiter à Theologis definitur, *Virtus ſupernaturalis, & Theologica, qua homo firmiter aſſentitur ijs quæ Deus reuelauit, & per Eccleſiam credenda propoſuit, ſiue ſcripta illa ſint, ſiue non ſint.*

Dicitur 1. *virtus ſupernaturalis*, quia naturæ vires excedit, hominemque eleuat ad cognitionem earum rerum, ad quas naturali capacitate pertingere non poteſt.

Dicitur 2. *Theologica*, quia Deum immediate pro objecto reſpicit, vt inferiùs explicabitur.

Dicitur 3. *qua homo firmiter aſſentitur ijs quæ Deus reuelauit*, quia cùm ratio formalis qua mouetur homo ad aſſentiendum, ſit ſuprema & infallibilis Dei veritas, vt ſupponimus ex dicendis, hinc ſequitur aſſenſum illum fidei debere ita eſſe firmum, vt omnem prorſus dubitationem excludat. Vnde D. Bernardus epiſt. 190. *Abſit* (inquit) *vt putemus in fide noſtra eſſe aliquid dubia æſtimatione penduium, & non magis, tótum quod in ea eſt, certa & ſolida veritate ſubnixum.*

Dicitur 4. *& per Eccleſiam credenda propoſuit*, quia ad Eccleſiam pertinet ea definire & proponere quæ fide credenda ſunt: & (vt loquitur S. Hieronymus in cap. 1. epiſt. ad Galatas) *didicimus ab ea, quæ firmamentum eſt & columna veritatis, Eccleſia, in illius interpretatione definitioneque acquieſcere, neque fluctuare atque omni vento doctrinæ circumferri.*

Dicitur denique *ſiue illa ſcripta ſint, ſiue non ſint*, quia vt Concilium Tridentinum definiuit: ſeſſ. 4. in decreto de lib. canon. *Veritas & diſciplina Chriſtiana continetur in libris ſcriptis, & ſine ſcripto traditionibus.*

2 Porrò

2 Porrò Fides multipliciter à Theologis diuidi ſolet; quod hìc præmittendum eſſe duximus; vt quæ de illius neceſſitate dicenda ſunt, diſtinctiùs & clariùs poſſint intelligi. Alia ſiquidem eſt fides habitualis, alia actualis. Alia fides externa, alia interna. Alia explicita, alia implicita. Alia formata, ſiue viua, alia informis, ſiue mortua.

Fides habitualis eſt ipſe fidei habitus, qui cùm ſit ſupernaturalis, non producitur per actus, ſicut alii habitus naturales; ſed à Deo infunditur in animam. Vnde ab Apoſtolo Epheſ. 2. vocatur donum Dei: *Gratia*, inquit, *ſaluati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum eſt*.

Habitus autem ille fidei, non tantùm in intellectu, ſed etiam in voluntate tanquam in ſubjecto recipitur, vt docet S. Thomas 2. 2. q. 4. a. 2. In intellectu quidem, quia aſſenſus fidei pertinet ad potentiam cognoſcitiuam, cùm habeat verum pro objecto. In voluntate autem; quia mouere debet intellectum ad aſſentiendum, vt liberè aſſentiatur; alioquin aſſenſus ille fidei, virtutis actus eſſe non poſſet: vnde Auguſt. lib. de Prædeſt. Sanct. c. 5. dicit, quod fides *in credentium voluntate conſiſtit*.

Fides actualis eſt aſſenſus ipſe liberè elicitus, quo quis credit actu alicui veritati diuinitùs reuelatæ, propter auctoritatem Dei reuelantis. Qui quidem aſſenſus eſt ſupernaturalis, tùm ratione objecti formalis, cui innititur (de quo infra dicendum eſt) tùm etiam ratione principij, à quo producitur: non enim per ſolas naturæ vires produci poteſt, ſed ad hoc ſupernaturali aliquo auxilio opus eſt, ſupponimus ex tractatu de Gratia.

3 In illo autem aſſenſu fidei triplex communiter notatur à Theologis reſpectus circa Deum; quod ab illis ex S. Auguſt. tract. 29. in Ioan. deſumptum eſt. Primus eſt circa Deum, tanquam obiectum materiale, quod creditur. Secundus circa Deum, tanquàm obiectum formale, quo creditur. Tertius denique circa Deum, tanquam finem vltimum, in quem aſſenſus fidei dirigitur. Vnde intelligi poteſt, quid ſit credere Deum, credere Deo, & credere in Deum.

Fides interna eſt ille idem aſſenſus fidei, quatenus in animo ſolo liberè concipitur, nec vllis verbis, aut ſignis exterioribus ſe prodit.

Fides verò externa eſt illius aſſenſus interni per verba aut ſigna exteriora manifeſtatio. De vtraque loquitur Apoſtolus Rom. 10. dicens: *Corde creditur ad iuſtitiam; ore autem confeſſio fit ad ſalutem*.

Fides implicita eſt ea, qua quis in genere aſſentitur ijs omnibus veritatibus, quas Deus reuelauit, & per Eccleſiam credendas pro-

 poſuit,

poſuit, licet nullam illarum in particulari, vel cogitet, vel cognoſcat.

Fides verò explicita eſt, qua aſſentitur in particulari veritati alicui à Deo reuelatæ; vt cùm quis credit eſſe Deum vnum in eſſentia, trinum in Perſonis.

Denique, fides formata & viua, eſt illa, quæ cum gratia & charitate coniuncta eſt, qualis in iuſtis reperitur.

Fides verò informis & mortua, eſt ea, quæ à gratia & charitate ſeiuncta eſt; ſine qua cum operationes vitales, ſeu æternæ vitæ meritorias, habere non poſſit, rectè ab Apoſtolo Iacobo mortua appellatur.

SECTIO II.

An fides neceſſaria ſit ad ſalutem neceſſitate præcepti.

Quæſtio intelligenda eſt de fide actuali interna (de externa enim agetur poſtea) reſpectu adultorum. Nam ſi de paruulis ſermo ſit, cùm ſine actuali baptiſmi ſuſceptione ſalui eſſe non poſſint, (vt ſupponimus ex tractatu de Sacramentis) & in baptiſmo, ſimul cum gratia ſanctificante, habitus fidei aliarumque virtutum ſupernaturalium ijs infundantur; vt Concilium Tridentinum expreſſe declarat ſeſſ.6.c.7. certum eſt illos, cùm fidei actualis incapaces ſint, ſine fide habituali tamen non poſſe ſalutem conſequi.

Notandum autem eſt ad huius quæſtionis ſolutionem, aliquid duplici modo dici poſſe ad ſalutem neceſſarium, vel neceſſitate medij; vel neceſſitate præcepti. Illud dicitur neceſſarium ad ſalutem neceſſitate medij, quod ſecundùm legem ordinariam ita neceſſarium eſt, vt ſine illo ſalus obtineri nullatenùs poſſit. Illud autem dicitur neceſſarium neceſſitate præcepti, quod ea ſolùm ratione neceſſarium eſt, quia præceptum eſt. Vnde, quæ priori modo ſunt neceſſaria, licet aliquando in noſtra poteſtate non ſint, eamdem tamen ſemper inferunt neceſſitatem: quæ autem poſteriori, ſi poſſibilia eſſe deſinant, deſinunt etiam eſſe neceſſaria. Hac diſtinctione ſuppoſita, ad quæſtionis propoſitæ ſolutionem,

2 Dicendum eſt 1. impoſitum eſſe hominibus à Deo præceptum in genere, de actu aliquo fidei ſupernaturalis eliciendo.

Hoc conſtat 1. ex his Chriſti verbis, Matth. vlt. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Neque enim damnaretur quis ob alicuius actus omiſſionem, niſi præceptum aliquod de illo eliciendo impoſitum eſſet.

Præterea, cùm omnibus hominibus impoſitum ſit præceptum de Deo ex toto corde diligendo, quod quidem Chriſtus Matth. 22. vocat

vocat primum & maximum; ex præcepto illo diligendi, rectè inferri poteſt præceptum credendi: ſi quidem dilectio ſupernaturalis Dei, eiuſdem cognitionem ſupernaturalem neceſſariò præſupponit. Vnde Apoſtolus Hebr. 11. dicit: *Accedentem ad Deum credere oportet*. Et hac de cauſa (vt rectè obſeruat S.Thomas 2.2.quæſt.16. a. 1.) præceptum de credendo in Deum, in primo decalogi præcepto contineri cenſetur, tanquam fundamentum, ac principium totius legis diuinæ & ſine quo cætera religionis & charitatis officia, quæ Deum ſpectant, impleri nullatenùs poſſunt.

3 Dicendum 2. Præceptum fidei duplex eſſe: vnum affirmatiuum, vt credamus ea omnia quæ à Deo reuelata ſunt, & vt talia nobis ab Eccleſia proponuntur: alterum negatiuum, vt erroneis dogmatibus diuinæ veritati contrarijs, & ab Eccleſia proſcriptis, fidem non adhibeamus.

Vtrumque illud præceptum primis Decalogi verbis inſinuatur; in quibus vna ex parte præcipitur, vt vnum Deum per fidem agnoſcamus; & ex altera prohibetur, ne dijs alienis & falſis fides habeatur.

SECTIO III.

An fides neceſſaria ſit ad ſalutem neceſſitate medij.

1 LICET quidam Doctores, vt Andreas Vega, & Dominicus à Soto, exiſtimauerint fidem eſſe tantùm neceſſariam ratione præcepti diuini; ac proinde illos, qui myſteriorum per eam credendorum ignorantia inuincibili laborant; ſi tamen aliunde ſecundùm rectam rationem viuant, & Deum vt authorem naturæ cognoſcant, & ament; poſſe nihilominùs ſalutem conſequi. Contraria tamen ſententia communis eſt inter Theologos, ac proinde vt certa tenenda eſt, prout in ſequenti aſſertione declarabitur.

2 Dicendum eſt igitur actum fidei ſupernaturalis eſſe ad ſalutem neceſſarium neceſſitate, non tantùm præcepti, ſed etiam medij; ita vt nullus adultus poſſit ſine tali actu iuſtificari.

Probatur 1. ex Apoſtolo in Epiſtola ad Hebr.cap. 11. vbi dicit, quod *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo:* quæ verba non niſi de medij neceſſitate intelligi poſſunt; cùm omnem poſſibilitatem placendi Deo excludant, niſi per fidem tanquam per medium abſolutè neceſſarium.

Probatur 2. ex Concilio Tridentino ſeſſ.6.c.7. vbi poſtquam dixit: baptiſmum eſſe Sacramentum fidei, addit: *ſine qua nulli vnquam contigit iuſtificatio.* Et capite octauo: *Fides eſt humanæ ſalutis initium: &*

radix omnis iuſtificationis: ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & ad filiorum eius conſortium peruenire. quæ verba Concilium deſumpſit ex ſancto Auguſtino ſerm. 38. de tempore, vbi hæc quæ ſequuntur addit: *ſine fide nullus in hoc ſæculo iuſtificationis conſequitur gratiam, nec in futuro vitam poſſidebit æternam.*

3 Obijcies, multos fuiſſe olim, & hodie adhuc eſſe infideles in variis mundi partibus, qui de Chriſto & Euangelio nihil prorſus audierint, omniaque fidei myſteria inuincibiliter ignorauerint, & adhuc ignorent: quibus proinde ad conſequendam ſalutem ſufficere videtur, vt Deum, prout poſſunt, cognoſcant, & ſuper omnia diligant, cùm aliud præſtare non poſſint; & ad impoſſibile nemo teneatur.

Reſpondetur ignorantiam illam in prædictis infidelibus vincibilem eſſe, ſi non proximè & immediatè, ſaltem remotè & mediatè; in quantum ſcilicet ſufficiens diuinæ gratiæ auxilium ipſis offertur ad legem naturæ ſeruandam (vt ex tractatu de Gratia ſupponimus) cui ſi fideliter cooperentur, ipſamque naturæ legem ſeruent, Deus pro ſua ineffabili bonitate vberiora illis gratiæ ſuæ præſtabit auxilia, & alia media externa neceſſaria præparabit, quibus tandem ad fidem recipiendam ſufficienter diſponentur.

Id colligi poteſt ex capite primo Euangelij S. Ioannis, vbi dicitur quòd Deus *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; hoc eſt (vt explicat S. Chryſoſtomus in eum locum) quòd Deus, quantum in ipſo eſt, illuminat omnem hominem; ſi qui non illuminantur, ideo non illuminantur, quia lumen oblatum recipere nolunt. Ita etiam ſentit S. Baſil. in regulis breuioribus, Regula 224. & S. Thom. quæſt. 14. de veritate art. 11. ad 1. vbi agit de paruulo infante, qui in medijs ſyluis procul à cœtu & commercio Chriſtianorum educaretur; dicitque certiſſimè tenendum eſſe, quòd ſi rationis naturalis ductum ſequeretur, Deus ei, vel per internam inſpirationem reuelaret ea quæ credenda ſunt; vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, ſicut miſit S. Petrum ad Cornelium.

SECTIO IV.

An ſit ad ſalutem neceſſarium, explicitam myſteriorum aliquorum fidem habere, & quorum.

1 DVo certa ſunt.

Primum eſt, Chriſtianos adultos, ad credenda omnia & ſingula myſteria generaliter fide implicità obligari. Hoc enim nihil aliud eſt, quàm aſſentiri debere huic generali principio, quo aſſe-

aſſeritur omne, quod Deus Eccleſiæ reuelauit, eſſe infallibiliter verum: quod qui negaret, fidelis & Chriſtianus dici non poſſet.

Secundum, non omnes Chriſtianos obligari ad habendam fidem explicitam de omnibus & ſingulis fidei dogmatibus: aliàs non eſſet opus Doctoribus; & fruſtrà dixiſſet S. Paulus 1. Cor. 12. aliis dari per ſpiritum ſermonem ſcientiæ, aliis ſermonem ſapientiæ, &c. ſi omnes æquè ſcientes & ſapientes in rebus fidei eſſe deberent.

Quæſtio eſt igitur, an omnes adulti teneantur aliqua fidei noſtræ myſteria explicitè & diſtinctè credere; & quænam illa ſint. Pro cuius reſolutione.

2 Dicendum 1. omnes adultos obligari ad aliquid credendum explicitè, ac in primis, vnum eſſe Deum, illumque iuſtum remuneratorem decernere præmia iuſtis, & ſupplicia improbis, non tantùm in hac vita, ſed potiſſimum in futura.

Hæc veritas conſtat manifeſtè ex verbis S. Pauli in Epiſtola ad Hebræos cap. 11. vbi, poſtquam dixit quòd *impoſſibile eſt ſine fide placere Deo*, mox declarans quænam ſit illa fides, per quam Deo poſſimus placere, ſubiungit: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*: qualis autem ſit illa remuneratio, declarat Chriſtus S. Matthæi c. 25. his verbis: *Ibunt hi in ſupplicium æternum, Iuſti autem in vitam æternam.*

3 Dicendum 2. omnes adultos teneri ſimiliter ad habendam fidem explicitam de myſterio ſanctiſſimæ Trinitatis. Ita S. Thomas 2. 2. q. 2. a. 8.

Conſtat 1. ex verbis Chriſti, qui mittens Apoſtolos iniungit illis expreſsè, vt docerent omnes gentes, & baptizarent in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

Conſtat 2. ex S. Athanaſio in Symbolo; vbi poſtquam dixit fidem Catholicam ab eo tenendam eſſe, qui velit eſſe ſaluus, ſubiungit; *Fides autem Catholica hæc eſt, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur.* Et etiam ex S. Cyrillo lib. 1. in Ioan. cap. 16. vbi ſic loquitur: *Non ſufficit nobis cognitio Dei abſque cognitione Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

Conſtat 3. ex ritu ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ, quæ neminem ad baptiſmum recipit: quin priùs diligenter inquirat, an credat in Deum Patrem? an credat in Ieſum Chriſtum Filium eius? an credat in Spiritum ſanctum? qua ceremonia ſatis apertè declarat, neminem gratiæ baptiſmalis, ac proinde iuſtificationis eſſe capacem, qui non explicitam & diſtinctam de ſanctiſſimæ Trinitatis myſterio fidem habeat.

4 Dicendum 3. omnes adultos præterea teneri ad habendam fidem explicitam de myſterio Incarnationis.

Probatur 1.ex varijs locis noui Teſtamenti id expreſsè declarantibus, vt S.Ioan.cap.1. *Dedit poteſtatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius*, non alijs. Eiuſdem cap.3. *Qui non credit iudicatus eſt: quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei.* Item cap.17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Act.cap.8.S.Philippus baptiſmum Eunucho poſtulanti conferre noluit, quin priùs profeſſus fuiſſet expreſſis verbis: *Credo filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum.* Denique videmus Chriſtum Dominum paſſim in Euangelijs exactè petijſſe à cæco nato & pluribus alijs, vt diſtinctè, & explicitè in ſe crederent.

Probatur 2.ex Symbolo S.Athanaſij ſuprà citato, in quo propoſito myſterio ſanctiſſimæ Trinitatis, adiungit poſteà: *Sed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem, & incarnationem quoque Domini noſtri Ieſu Chriſti fideliter credat.*

Probatur 3.ex ſanctis Patribus. S.Hieron.in cap.3.Epiſt.ad Epheſ. *Non poſſumus*, inquit, *eſſe filij per adoptionem, niſi priùs fidem Filij Dei, & intelligentiam recipiamus.* Et S.Aug.lib. de bono perſeuerant.cap.1. *Nullum*, inquit, *veriùs initium Chriſtiani hominis, quàm credere in Chriſtum.*

Obſeruandum eſt autem ea quæ diximus, intelligenda eſſe tantùm reſpectu temporis conſequentis Chriſti incarnationem. Alia enim ratio eſt eorum, qui ſiue in lege Moyſi, ſiue in lege naturæ vixerunt.

Plurimorum enim Theologorum ſententia eſt, fidem explicitam Trinitatis tunc illis non fuiſſe neceſſariam, nec medij, nec præcepti neceſſitate: licet quidam exiſtiment Pontifices, Sacerdotes, ac legis Doctores ad illam fidem fuiſſe obligatos, vtpotè ſibi ſufficienter in Scripturis propoſitam.

Quod verò ſpectat ad myſterium Incarnationis, plurimi exiſtimant ante Chriſti aduentum, fuiſſe neceſſariam fidem aliquam generalem & implicitam de Mediatore ac Redemptore futuro, non verò diſtinctam & explicitam eo modo, quo nunc ad eam obligamur.

5 Quæres an præter illa myſteria ſint adhuc alia de quibus explicita fides ab omnibus adultis habenda ſit?

Reſpondetur, omnes adultos obligari prætereà,

Primò ad ea omnia ſcienda & credenda, quę tum in Symbolo Apoſtolorum, tum in Oratione Dominica continentur. Hoc manifeſtè colligitur ex Catechiſmo Concilij Tridentini part.2. cap. 11. vbi dicitur teneri patrinos ad Symbolum & Orationem Dominicam eos docendum, quos de fonte leuauerint: ergo ſi illi ad docendum tenentur, ij qui baptizantur, ad diſcendum adhuc ſtrictiùs tenebuntur. Idem expreſsè declaratur de conſecrat. diſtinct.

4.cap.

4.cap.*vos ante omnia:* vbi hæc verba ex S.Auguſt.ſerm.6.de Temp. deſumpta ad patrinos diriguntur: *Ante omnia Symbolum & Orationem Dominicam & vos ipſi tenete; & illis quos de ſacro fonte ſuſcepiſtis, oſtendite.*

Secundò ad ea cognoſcenda & credenda, quæ in Decalogo continentur: cùm illorum obſeruatio ad ſalutem ſit neceſſaria, dicente Chriſto Matth 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata:* ſeruari autem non poſſunt, ſi ignorentur.

Tertiò ad ea etiam cognoſcenda & credenda, quæ ad eorum Sacramentorum rationem pertinent, quorum ſuſceptio illis eſt ad ſalutem neceſſaria. Cùm enim (vt ex tractatu de Sacramentis ſupponimus) prima diſpoſitio ad Sacramentum aliquod dignè ſuſcipiendum, in adultis, ſit fides reſpectu Sacramenti illius quod ſuſcipi debet; ſequitur quod obligatio illius Sacramenti ſuſcipiendi, neceſſariò ſecum inferat obligationem habendæ fidei explicitæ reſpectu illius. Quod & ſimiliter dicendum eſt de his Sacramentis ad quæ ſuſcipienda, non obligatio, ſed ſola deuotio impellit; cùm vtrobique ſit par ratio.

Quartò denique ad ea omnia & ſingula explicitè credenda, quæ ſecundùm exigentiam peculiarem cuiuſque ſtatus & conditionis, ad ſalutem conſequendam, iuxta diuinæ legis præſcriptum neceſſaria ſunt. Et ea ratione Paſtoribus & Doctoribus Eccleſiæ, fides haud dubiè magis explicita requiritur, quàm in alijs qui eorum curæ ſunt commiſſi; in Sacerdotibus item magis, quàm in laicis. quia ſine fide illa magis explicita, omnibus officij ſui partibus dignè, vt par eſt, fungi non poſſunt.

SECTIO V.

An fides externa ſit ad ſalutem neceſſaria.

1 Dicendum eſt, externam fidei confeſſionem eſſe neceſſariam ad ſalutem, neceſſitate præcepti affirmatiui.

Probatur 1. ex Chriſti verbis S.Matth.c.10. *Qui me negauerit coram hominibus & ego negabo eum coram Patre meo qui in cælis eſt.* Et S.Lucæ 9. *Qui me erubuerit & ſermones meos; hunc filius hominis erubeſcet, cum venerit in maieſtate ſua.* Item ex verbis Apoſtoli Ro. 10. *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.*

Probatur 2. ex S.Aug.lib.de fide & Symbolo, *Fides*, inquit, *à nobis exigit duplex officium, cordis & linguæ: nec ſalui eſſe poſſumus, niſi fidem ore profiteamur, quam corde gerimus.*

Probatur 3. exemplo ſanctorum Martyrum, qui potiùs elegerunt tormenta omnia, & ipſam mortem ſubire, quàm Chri-

ſti fidem, vel ad momentum negare. Quòd ſi quis atrocitate tormentorum victus fidem negauiſſet aut diſſimulaſſet, eijciebatur ab Eccleſia, tanquam grauiſſimi peccati reus; nec niſi publica pœnitentia peracta, in eam recipiebatur, vt conſtat ex ſancto Cypriano lib. de lapſis cap. 3. & Ambr. lib. de pœnitentia.

Hæc autem aſſertio eſt de fide; cui oppoſita olim fuit hæreſis Elceſaitarum dicentium negari poſſe fidem exteriùs, inſtante perſecutione, etiam addito iuramento; ac ſufficere vt tunc in animo interiùs retineretur; vt docet Euſebius lib. 6. cap. 31. Quæ quidem hæreſis damnata fuit in Concilio Romano ſub S. Cornelio Papa, vt colligi poteſt ex ijs, quæ habentur apud Baron. ad ann. 254. & 255. Vbi dicitur in illo Concilio (cuius quidem acta interciderunt) firmo decreto ſtabilitum fuiſſe non alia ratione ijs, qui etiam ore tenùs fidem eiurauerant, veniam eſſe concedendam, niſi poſt grauem pœnitentiam ab illis impletam: vnde ſequitur apoſtaſiam, etiam ore tenùs factam, tanquam grauiſſimum peccatum, damnatam fuiſſe.

Diximus in aſſertione, præceptum obligans ad externam fidei confeſſionem eſſe affirmatiuum: quę eſt S. Thomæ doctrina 2. 2. q. 3. a. 2o. ex qua proinde ſequitur, illud non obligare omni tempore, ſed tantùm certo ac determinato. Vt ergo diſtingui poſſit, quo tempore obliget,

2 Dicendum 2. tunc non obligari ad externam fidei confeſſionem, quando neceſſaria eſt, vel ad honorem Dei, vel ad vtilitatem proximi.

Ita S. Thomas loco citato: quod probat in reſponſione ad primum, ex eo quòd finis noſtræ fidei, ſicut & aliarum virtutum, referri debet ad finem charitatis, qui eſt amor Dei ac proximi: & ideò, quando Dei honor, vel proximi vtilitas id requirit, non debet eſſe contentus homo (vt ait S. Doctor) vt per fidem ſuam ipſi veritati diuinæ coniungatur; ſed fidem illam debet exteriùs profiteri.

Dicendum 3. etſi nunquam liceat vllo modo negare fidem Chriſti, tamen quando, ſpectatis circumſtantijs, nulla honori diuino irrogatur iniuria, nec vllum proximi ſaluti damnum infertur; non ſolùm licitum eſſe: ſed etiam aliquando neceſſarium fidem occultare.

Ita S. Doctor loco citato in reſponſione ad tertium: vbi dicit quòd, quando ex confeſſione fidei manifeſta, turbatio aliqua infidelium oriretur, in tali caſu laudabile non eſſet fidem publicè confiteri. Et ad hoc probandum affert verba Chriſti dicentis, Matth. 7. *Nolite ſanctum dare canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne conuerſi dirumpant vos.*

Cùm

Cùm autem occultatio illa fidei varijs modis fieri poſſit, vel fugiendo, vel aliquo ſigno exteriori fidem diſſimulando:

3 Dicendum 4. licitum eſſe homini Chriſtiano, tempore perſecutionis fugere.

Hoc permiſit Chriſtus dicens, Matth. 20. *Cùm perſequentur vos in ciuitate iſta, fugite in aliam*.

Hoc tamen limitandum eſt, niſi ex hac fuga damnum aliquod redundet in honorem Dei, vel proximi ſalutem: vt ſi Epiſcopus, aut Paſtor tempore perſecutionis fugiat, cùm tunc maximè illius ope ſubditi indigeant. Nam, vt rectè dicit Nicolaus Papa cap. *ſciſcitaris* 7. quæſt. 1. *Si gubernator nauis in tranquillitate non debet deſerere nauim, multo minus in tempeſtate*.

Dicendum 5. licitum quidem eſſe occultare fidem ſignis, quæ ex ſe ſint indifferentia; non verò illis, quæ ad profitendam falſam religionem inſtituta ſint. Eſt communis Doctorum ſententia, præſertim S. Antonini parte 2. titulo 12. c. 6. Alexandri Halenſis par. quęſt. 183. Nauarr. lib. 5. Conciliorum tit. de hær. cap. 10. & in Manuali cap. 11. num. 25. & aliorum.

Prior aſſertionis pars probatur: quia hæc ſigna cum ſint ex ſe indifferentia, nihil in ſe mali habent, qualia ſunt illa, quibus natio vna ab altera ſecernitur, vel ſtatus vnus ab altero: militis v. g. à mercatore diſtinguitur: nec lædunt honorem diuinum, nec proximi conſcientiam feriunt. Sic S. Sebaſtianus in aula Diocletiani Imperatoris ethnica (vt obſeruat S. Thomas 2. 2. qu. 10. a. 10. ad 2.) fidem ſuam ſub militari ſago & chlamide occultabat, vt Chriſtianis commodiùs opitulari poſſet, eoſque in tormentis confortaret.

Poſterior verò pars aſſertionis probatur ex eo quod qui talibus ſignis vteretur, cenſeretur, non ſolum veram religionem occultare, ſed falſam profiteri: quod omnino illicitum eſt. Vnde lib. 2. Machab. cap. 6. Eleazarus non tantùm porcinas carnes in lege prohibitas; ſed & alias idolis immolatas manducare noluit: quia illa manducatio licet ex ſe indifferens (vt dicit S. Auguſt.) tamen inſtituta cenſebatur ad falſam religionem profitendam. Quę etiam fuit ratio, cur olim præceperint Apoſtoli, Act. 15. vt omnes ab immolatis ſimulachrorum abſtinerent. Et eo ſenſu veſtes Paganorum illicitas eſſe dixit Tertullianus lib. de Idol. cap. 18. nempe eas, quibus homo aſtringitur officijs, vel ſacerdotijs idolorum: quas ideo aſſerit, *Profanationis ſuæ maculam habere, & neminem poſſe eſſe mundum, qui tunicam inquinatam induerit*.

DE FIDE.

CAPVT II.

De obiecto materiali fidei.

AD clariorem intelligentiam eorum quæ dicenda ſunt: notandum eſt, nos hìc ſumere nomen obiecti, ſiue materialis, ſiue formalis, eo ſenſu, quo à S. Thoma ſumitur 2.2.q.1.art.10. & quo etiam communiter à Philoſophis & Theologis ſumi ſolet. Scilicet per obiectum materiale alicuius habitus cognoſcitiui; intelligimus id omne, quod cognoſcitur: & per obiectum formale, id, per quod illud cognoſcitur. Vnde per obiectum materiale fidei intelligimus ea omnia quæ fide diuina creduntur, aut credi debent: per obiectum verò formale, illud per quod, ſeu ratione cuius, ijs omnibus aſſentimur.

Cùm igitur quærimus, quodnam ſit obiectum materiale fidei, idem eſt ac ſi quæramus, quænam ſint ea, quæ nobis à Deo reuelata ſunt, ac proinde quæ fide credenda ſunt.

Hæc autem Concilium Tridentinum ſeſſ.4. contineri dixit, partim in ſacris & canonicis Scripturis, partim in traditionibus non ſcriptis, quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu ſancto dictante, quaſi per manus traditæ, ad nos vſque peruenerunt. De vtriſque proinde in ſequentibus ſectionibus agendum nobis eſt.

SECTIO I.

Quinam libri ſacræ Scripturæ ſint canonici.

1 CVM Concilium Tridentinum ſeſſ.4. ſuprà citata, ſacram Scripturam vocet canonicam, eiuſque legitimos libros iam olim appellari conſueuiſſe canonicos teſtetur S. Auguſt. Epiſt.19. ad S. Hieronymum cap.2. Obſeruandum, eſt ad faciliorem intelligentiam eorum quæ dicenda ſunt, ſic appellari duabus de cauſis, ex duplici vocabuli (canonis) ſignificatione deſumptis.

Canon enim ſignificat normam aliquam, ſeu regulam, & præterea catalogum ſeu numerum aliquarum rerum, Scripturæ ſacræ igitur vocantur canonicæ, & earum libri canonici: tum quia continent normam ſeu regulam, quam in fide & moribus ſequi debemus: tum etiam quia, cùm hæretici à primis Chriſtianiſmi temporibus, vt veritati fucum facerent, erroribuſque ſuis patrocinarentur, aliquando falſas Scripturas pro veris ſupponerent, aliquando veras pro libito repudiarent: Eccleſia eorum fraudibus, & impijs conati-

bus

bus obſiſtere volens, certum canonem & catalogum librorum ſacræ Scripturæ conſtituit: vnde libri illi, quos Eccleſia pro veris & legitimis agnouit, canonici dicti ſunt.

Hoc colligi poteſt ex varijs Concilijs, præſertim ex Concilio Carthaginenſi tertio, quod celebratum eſt temporibus Siricij Papæ, circa annum Domini 397. in cuius canone 47. hæc verba leguntur: *Placuit, vt præter Scripturas Canonicas, nihil in Eccleſia legatur ſub nomine diuinarum ſcripturarum: ſunt autem canonicæ ſcripturæ Geneſis, Exodus, Leuiticus, &c.* Vbi eoſdem libros canonicos enumerat, qui poſtmodum in Concilio Tridentino ſeſſione ſupra citata recenſiti ſunt.

2 De ijs autem libris canonicis duo ſunt hîc obſeruanda.

Primum eſt, ad Eccleſiam pertinere, veram & legitimam Scripturam canonicam populo Chriſtiano, vt talem proponere, eamque à falſa & ſuppoſita ſcriptura diſcernere.

Hoc conſtat 1. ex vſu ipſius Eccleſiæ ſupra relato, quo illius Scripturæ canonem conſtituendi ius atque authoritatem perpetuò ſibi vindicauit.

Conſtat ex S. Aug. lib. contra Epiſt. fundamenti cap. 5. vbi ſic loquitur: *Euangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoueret authoritas.* Et paulo poſt loquens de libro Actuum Apoſtolorum: *Cui libro*, inquit, *neceſſe eſt vt credam, ſi credo Euangelio: quoniam vtramque Scripturam ſimiliter mihi Catholica commendat authoritas.*

Secundum eſt nihil in Scriptura Canonica contineri, quod non fide diuina tenendum ſit.

Hoc expreſsè definitum eſt in Concilio Tridentino loco citato, vbi poſt enumerationem librorum canonicorum hæc habentur: *Siquis autem libros integros, cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueuerunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro ſacris & canonicis non ſuſceperit, anathema ſit.*

Vnde patet omnino repudiandum eſſe id, quod Eraſmus dixit in Annotationibus ſuis ſuper cap. 2. & 27 S. Matth. poſſe aliquem errorem leuem in ſacris libris reperiri: & ſanctos Euangeliſtas aliquando memoria lapſos eſſe. Quantò humilius & ſapientius dixit S. Auguſtinus ſcribens ad S. Hieron. Epiſtola ſupra citata, cap. 1. *Ego*, inquit, *fateor charitati tuæ, quòd libris illis Scripturarum, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, vt nullum eorum authorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſimè credam: at ſi aliquid in eis libris offendero, quod contrarium videatur veritati; nihil aliud quàm, vel mendoſum codicem, vel interpretem non aſſecutum eſſe quod dictum eſt, vel me minimè intellexiſſe, nôn ambigam.*

SECTIO II.

De varijs ſacræ Scripturæ editionibus, & quænam ex illis ſit authentica.

1 NOtandum eſt ſacræ Scripturæ libros varijs linguis, & idiomatibus editos fuiſſe.

Ac in primis vetus Teſtamentum, licet primum lingua Hebraica à Moyſe, Prophetis & alijs Authoribus conſcriptum ſit; varijs tamen ex cauſis Caldaicè, Syriacè, Græcè & Latinè temporum ſucceſſu tranſlatum, & editum fuiſſe.

Quod autem ſpectat ad nouum Teſtamentum, conſtat omnes eius libros fuiſſe primùm Græcè conſcriptos, ſi tres tantùm excipias; ſcilicet S. Matthæi Euangelium, quod Hebraicè primùm ab illo ſcriptum fuit: Euangelium S. Marci, quod multi exiſtimant Latina lingua primùm ab illo editum fuiſſe; & Epiſtolam ad Hebræos; de qua ambigitur, an primùm Hebraicè, an verò Græcè ſcripta fuerit. De his omnibus agit fuſiſſimè Bellarm. lib. 2. de Verbo Dei cap. 1. & ſequentibus. Hac obſeruatione præſuppoſita,

2 Dicendum eſt ex his omnibus Scripturæ ſacræ editionibus, ſolam vulgatam editionem Latinam, decreto Concilij Tridentini & Romani Pontificis auctoritate factam, eſſe veram, legitimam & authenticam canonicam Scripturam.

Hoc expreſsè definitum eſt in Concilio Tridentino, in decreto ſuprà ſæpiùs citato ſeſſ. 4. his verbis: *Inſuper eadem ſacro ſancta Synodus conſiderans non parum vtilitatis accedere poſſe Eccleſiæ Dei, ſi ex omnibus Latinis editionibus, quæ circunferuntur ſacrorum librorum, quænam pro authentica habenda ſit, innoteſcat: ſtatuit & declarat, vt hæc ipſa vetus & vulgata editio, quæ longo tot ſæculorum vſu in ipſa Eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus pro authentica habeatur.*

Illud idem prætereà conſtat ex comparatione ipſius vulgatæ editionis & aliarum, quæ ſuprà memoratæ ſunt.

Hebraicam enim editionem, partim negligentia librariorum, partim Rabbinorum ignorantia (qui puncta addiderunt, quæ vocalium litterarum, quibus carebant Hæbræi, ſupplerent vicem) fuiſſe aliquo pacto deprauatam, & quoſdam etiam in eam errores irrepſiſſe certum eſt, vt notat Bellarm. loco citato.

Quod ſpectat ad editionem, vel potiùs paraphraſim Caldaicam (ſi paucos libros veteris Teſtamenti excipias, ſcilicet Tobiæ, & Iudith, & aliquam Eſdræ & Danielis partem, qui libri exiſtimantur fuiſſe primùm Caldaicè editi) tota illa paraphraſis (quæ Targum

à Rab-

à Rabbinis vocatur) nullius vnquam momenti fuit in Eccleſia: cùm in ea multa reperiantur Chriſtianæ veritati parùm conſentanea.

Editio Syriaca (quæ fuit tantùm noui Teſtamenti, & quorumdam librorum veteris) licet ab illius linguæ peritis probetur, nunquam tamen ab Eccleſia, authentica declarata eſt.

Quod pertinet ad Græcam; cùm plures editiones lingua illa prodierint ex variis Authoribus, vt Aquila, Theodotione, Symmacho, & aliis; editio tamen Græca quæ à Septuaginta Interpretibus in Ægypto, tempore Ptolemæi Philadelphi facta eſt, omnibus aliis Græcis meritò anteponenda cenſetur. Quia tamen etiam illam vitiatam eſſe, & corruptam multis in locis conſtat: vt teſtatur S. Iuſtinus Martyr in dialogo cum Triphone, & S. Hieronymus præfatione in libros Paralipomenon & in Eſdram.

3 Reſtat editio Latina, quæ quidem multoties & multipliciter etiam facta eſt, ita vt ante tempora S. Hieronymi innumerabiles propè reperirentur verſiones & editiones Latinæ, vt teſtatur S. Auguſtinus lib. 2. de Doctrina Chriſtiana, cap. 11. verùm vna fuit inter omnes illas, quæ ſpecialem ſemper in Eccleſia authoritatem obtinuit; quæ vetus & vulgata editio dicebatur: vt conſtat ex S. Gregorio præfatione in lib. Moralium, cap. 5. & ex S. Hieronymo in cap. 14. & 49. Iſaiæ: quam etiam S. Auguſtinus lib. citato cap. 15. Italam vocat, & omnibus aliis anteponit.

* Eſt autem difficultas inter Doctores, an editio Latina vulgata, quæ nunc in vſu eſt apud Catholicos, ſit eadem cum illa editione veteri, an verò diuerſa ab illa. Quidam contendunt eſſe diuerſam, aſſeruntque editionem hanc noſtram vulgatam eſſe S. Hieronymi: alij contra eandem eſſe volunt cum illa veteri, ſolumque à S. Hieronymo fuiſſe emendatam: alij denique (quod probabilius exiſtimamus) cenſent vulgatam hanc noſtram editionem mixtam eſſe ex vtraque, & partim eandem eſſe cum veteri, partim verò eſſe ex tranſlatione S. Hieronymi. Quod etiam aſſerit Bellarminus ſup. cap. 9. vbi docet nouum Teſtamentum editionis noſtræ vulgatæ eſſe ex antiqua illa editione quam S. Hieronymus emendauit; ſimiliter & pſalterium Dauidicum, ab eodem etiam emendatum, nec non & libros Sapientię, Eccleſiaſtici & Machabæorum: reliquos ante ſcripturæ libros noſtræ editionis, eſſe ex verſione eiuſdem S. Hieronymi.

Porrò quiſquis editionis huius noſtrę vulgatæ author ſit, certum eſt illam ab Eccleſia vniuerſa receptam, & nouiſſimè in Concilio Tridentino authenticam eſſe declaratam; proindeque in illa verum & legitimum Dei verbum contineri. Vnde ſequitur omnia, & ſingula quæ in Canonicis ſacræ Scripturæ libris ſecundùm illam authenticam editionem continentur, pertinere ad fidei diuinæ obie-

ctum,

ctum, & tanquam diuinitùs reuelata & atteſtata, ab omnibus eſſe recipienda & credenda.

SECTIO III.

Ad quem pertineat definire verum & legitimum Scripturæ ſenſum.

ANtequam ad propoſitam quæſtionem reſpondeamus, ſupponendum eſt tanquam certum, multis in locis, ſacræ Scripturæ ſenſum eſſe maximè reconditum & abſtruſum; vnde fit vt non ſine magna difficultate percipi & intelligi poſſit.

Hoc conſtat ex Epiſt. 2. S. Petri cap. vltimo, vbi loquens de Epiſtolis S. Pauli, dicit, in illis *eſſe quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditionem.* Et S. Ambroſius Epiſtola 44. ad Conſtãt. *Mare,* inquit, *eſt Scriptura diuina, habens in ſe ſenſus profundos, altitudinem Propheticorum Ænigmatum, &c.* Sanctus item Auguſtinus lib. 2. de Doctr. cap. 7. poſtquam dixit Scripturam ſacram plenam eſſe multiplicibus obſcuritatibus & ambiguitatibus, addit hæc verba: *Quod totum prouiſum diuinitus eſſe non dubito, ad edomandam labore ſuperbiam, & intellectum à faſtidio reuocandum, cui facile inueſtigata plerumque viluerunt.*

Ex quibus patet quàm falsò hæretici huius temporis dicant Scripturas eſſe apertas, & cuiuis ad intelligendum facillimas: nempè vt eo prætextu eas ad libitum contorqueant.

Cùm igitur Scriptura ſacra obſcura ſit, & interpretatione indigeat, quæritur vnde petenda ſit illa interpretatio; & ad quem pertineat eius verum ac legitimum ſenſum definire. Pro cuius quæſtionis reſolutione,

3 Dicendum 1. verum ac legitimum Scripturæ ſenſum petendum non eſſe ab ingenio ac iudicio priuato cuiuſque hominis.

Probatur ex verbis Hierem. cap. 23. *Nolite audire Prophetas qui loquuntur de corde ſuo* Et ex Epiſt. 2. S. Petri, cap. 1. vbi dicit quod *Omnis Prophetia diuinitus inſpirata, propria interpretatione non fit.* Quibus verbis (vt exponit gloſſa ordinaria, ſuper hunc locum) declarat Scripturæ expoſitionem & interpretationem petendam non eſſe ex proprio ingenio. Quod confirmatur ex verbis proximè ſequentibus, ex quibus ſic poſſumus argumentari: Eodem ingenio ac iudicio libri ſacri interpretandi ſunt, quo ſcripti fuerunt; atqui humano ingenio ac iudicio non fuerint conſcripti: ergo non ſunt ingenio aut iudicio humano explicandi ſeu interpretandi.

4 Dicendum 2. ad Eccleſiam pertinere de vero & legitimo ſenſu Scripturarum iudicare.

Id con-

Id conſtat ex Concilio Tridentino in decreto ſæpius iam citato ſeſſ.4. vbi hæc verba habentur: *Præterea adcoercenda petulantia ingenia, decernit ſancta Synodus vt nemo ſua prudentia innixus, in rebus fidei, & morum, ad ædificationem Chriſtianæ Doctrinæ pertinentium, ſacram ſcripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum, quem tenuit & tenet ſancta Mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu & interpretatione Scripturarum ſanctarum; aut etiam contra vnanimem conſenſum Patrum, ipſam Scripturam ſacram interpretari audeat.*

Vnde appoſitè ad huius veritatis cenfirmationem S. Auguſtinus contra Creſconium cap. 33. *Tunc*, inquit, *Scripturarum à nobis tenetur veritas, cum id facimus quod vniuerſæ placuit Eccleſiæ, quam ipſa Scripturarum commendat authoritas.*

SECTIO IV.

* *Quænam ſit vera Eccleſia, ad quam pertineat verum & legitimum ſcripturæ ſenſum definire, & quibus notis illa dignoſcatur.*

1 NOmine Eccleſiæ (vt explicat Bellarm. lib. de Eccl. milit. cap.2. & cum eo communiter Theologi) intelligitur cœtus hominum baptizatorum, eiuſdem fidei profeſſione, & eorumdem ſacramentorum communione inter ſe vnitorum, ſub regimine legitimorum Paſtorum, ac præcipuè vnius ſummi Paſtoris, Romani ſcilicet Pontificis, qui in terris Chriſti vices gerit.

Dicitur 1. (cœtus hominum baptizatorum) vt excludantur Iudæi Turcæ, Pagani, & alij eiuſmodi infideles, qui nuſquam in Eccleſiam fuerunt per baptiſmi Sacramentum admiſſi.

Dicitur 2. (eiuſdem fidei profeſſione, & eorumdem Sacramentorum participatione vnitorum) vt excludantur hæretici & apoſtatæ, qui licet fuerint baptizati, quia tamen à vera fide exciderunt, & ea de cauſa Sacramenrorum communione priuati ſunt: ideo ſunt ab Eccleſia alieni.

Dicitur 3. (ſub regimine legitimorum Paſtorum, ac pręſertim vnius ſummi Paſtoris, Romani ſcilicet Pontificis) vt excludantur ſchiſmatici, qui quidem fidem habent, & exteriùs aliquando Sacramentis participant: ſed quia legitimo Paſtori non ſubduntur, nec eius vocem audire volunt, ideo cenſentur etiam ab Eccleſia extorres. Et hoc optimè expreſſit S. Auguſtinus lib. 1. de vera Relig.cap.5. Vbi dicit quod *neque in confuſione Paganorum, neque in purgamentis Hæreticorum, neque in languore ſchiſmaticorum quærenda eſt vera Religio, ſed apud eos ſolos qui Chriſtiani, Catholici, & Orthodoxi nominantur.*

2 Huic definitioni Eccleſię oppoſiti fuerunt varij hęreticorum errores. Vuicleffus enim & Ioannes Hus, quibus poſtea ſubſcripſit Caluinus, aſſerebant Eccleſiam militantem in terris eſſe congregationem prædeſtinatorum, contendebantque omnes & ſolos prædeſtinatos eſſe de Eccleſia.

Lutherani & Confeſſioniſtæ ex ſolis iuſtis Eccleſiam conſtare dicebant. Anabaptiſtæ verò ex ſolis perfectis. Vt fuſiùs explicat Bellarm. ſup. apud quem etiam hæreticorum illorum refutatio videri poteſt. Nos hìc ſolum breuiter adnotabimus, omnes ſupradictos errores manifeſtè repugnare ſacris Euangelijs, in quibus paſſim Eccleſia deſignatur ſub varijs ſimilitudinibus, vt *Area*, in quo triticum cum paleis reperitur, Matth. 3. *Agri*, in quo Zizania cum tritico vſq; ad Meſſem creſcere ſinuntur, Matt. 13. *Conuiuij nuptialis* ad quod boni & mali admittuntur, Matth. 22. *Ouilis*, in quo ſimul cum ouibus hædi habitare permittuntur. Matt. 25. *ſagena miſſa in mare*, in qua piſces boni & mali ſimul congregari dicuntur. Matth. 13. *Magna domus*, in qua dicuntur eſſe vaſa aurea & argentea, lignea quoque & fictilia; alia quidem in honorem, alia in contumeliam, 2. ad Timot. 2.

Quæ quidem ſatis aperte ſignificant in Eccleſia militante reprobatos ſimul cum prædeſtinatis, iuſtos cum iniuſtis, perfectos cum imperfectis, permixtos reperiri. Vnde S. Auguſt. ſerm. 1. de conuerſione ſancti Pauli, dicit Paulum quamuis ab æterno prędeſtinatum, fuiſſe tamen prius Lupum, deinde ouem. Et S. Chryſoſt. homil. 6. in 2. ad Tim. dicit Paulum fuiſſe prius vas fictile, ſed eſſe verſum poſtea in vas aureum: & è contra Iudam fuiſſe vas aureum, ſed poſtea propria malitia conuerſum in fictile.

3 Porrò ad dignoſcendam illam veram Eccleſiam quatuor præcipuæ notæ aſſignantur in ſymbolo Conſtantinopolitani Concilij, quo poſtmodum in ſacris Liturgijs vſa eſt ipſa Eccleſia Catholica, quæ quidem ita illi conueniunt, vt nulli alteri hæreticorum aut fidelium congregationi aptari poſſint. Hæ autem notę ſunt quod Eccleſia ſit vna ſancta, Catholica, & Apoſtolica.

Vna, quia vnam & eandem fidei doctrinam vbique profitetur, & omnes Catholici toto terrarum orbe diffuſi, licet moribus, linguis, & vitæ ratione diſparati, de omnibus tamen dogmatibus fidei idem ſentiunt. Eſt etiam vna, quia eſt vnum corpus myſticum ſub vno capite Chriſto, & eius in terris vicario Pontifice Romano.

Sancta, quia diſciplina eius eſt ſancta, nihilq; continet falſum in doctrina fidei, nihil iniuſtum, aut à vera virtute abſonum in doctrina morum. Eſt ſancta, quia diuina lex quam profitetur, eſt *immaculata & conuertens animas*. Vt Pſalmiſta loquitur. Eſt etiam ſancta,

quia

quia in ea verum ſacrificium peragitur, per quod ſanctificamur; & vera reperiuntur ſacramenta, ex quibus tanquam ex Saluatoris fontibus hauritur aqua illa munda & viua, per quam à peccatis emundamur, & ad opera bona fructuosè peragenda vires nobis ſuppeditantur. Vnde S. Gregorius lib. 35. moral. cap. 6. *Sola eſt*, inquit, *Eccleſia, per quam ſacrificium Dominus libenter acceptat; ſola, quæ pro errantibus fiducialiter intercedit; ſola, in qua opus bonum fructuosè peragitur.*

Catholica, id eſt vniuerſalis, quia à prima Euangelij publicatione, vera Eccleſia per totum orbem diffuſa eſt, & per omnia anteriora ſæcula durauit, & omnibus futuris ſæculis vſque ad finem ſæculi duratura eſt: iuxta id quod Chriſtus Dominus pollicitus eſt Apoſtolis, & in eorum perſona vniuerſæ Eccleſiæ, cum dixit Matth. 28. Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſq; ad conſummationē ſæculi. Aliæ autem quæcumque hæreticorum ſectæ alicuius, vt plurimum, prouinciæ, aut regni, aut regionis limitibus concluduntur, & vbi aliquo tempore apparuerunt continuo euaneſcunt. Quare vt rectè dixit S. Auguſt. lib. de vera Religione cap. 7. *Tenenda eſt nobis eius Eccleſiæ communicatio, quæ Catholica eſt, & Catholica nominatur, non ſolum à ſuis, verum etiam ab omnibus inimicis.*

Apoſtolica, quia ab Apoſtolis fundata, quibus Epiſcopi in proprijs quique Eccleſijs ſucceſſerunt, ac præſertim Romani Pontifices Apoſtolorum Principis ſucceſſores in vniuerſalis Eccleſiæ regimine. Vnde S. Paulus Epheſ. 2. Chriſtianos alloquens, *Iam non eſtis* (inquit) *hoſpites, & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum, & domeſtici Dei ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum, &c.*

SECTIO V.

An præter Canonicas Scripturas ſint aliquæ traditiones fide diuina credendæ.

1 OBſeruandum eſt nos hîc ſumere nomen traditionis, prout communiter ſumi ſolet à ſanctis Patribus & Doctoribus; nempe pro doctrina diuinitùs reuelata & tradita, quæ tamen ſcripta non inuenitur in vllo Scripturæ canonicæ libro.

Vnde S. Epiphanius hæreſi 61. *Non omnia*, inquit, *à diuina Scriptura poſſunt accipi: quapropter alia in ſcriptis, aliqua in traditione ſancti Apoſtoli tradiderunt.* Hoc ſuppoſito,

2 Dicendū eſt dari aliquas traditiones diuinas, quæ & Apoſtolicæ vocantur; quia Apoſtoli eas à Chriſto acceptas ad nos tranſmiſerunt. Quæ traditiones parem cum Scripturis Canonicis au-

thoritatem habent; quibus proinde eadem fide atque illis credendum eſt.

Probatur 1. ex Apoſtolo 2. ad Theſſ. cap. 4. *Tenete traditiones quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam.* In quem locum ita ſcribit S. Chryſoſtomus: *Hinc patet quòd non omnia per Epiſtolam tradiderit*, ſed multa etiam ſine literis.

Probatur 2. ex Concilio Tridentino ſeſſ. 4. in citato decreto de Canonicis Scripturis, vbi dicitur: *Veritatem & diſciplinam Chriſtianam contineri in libris, ſcriptis, & ſine Chriſto traditionibus, quæ ex ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis accepta, aut ab ipſis Apoſtolis, Spiritu ſancto dictante, quaſi per manus tradita, ad nos vſque peruenerunt.* Eadem veritas anteà definita fuerat in Concilio Nicæno ſecundo, actione 7. vbi hæc verba habentur: *Fatemur vnanimiter nos Eccleſiaſticas traditiones, ſiue ſcripto, ſiue conſuetudine valentes, & decretas, retinere velle, quarum è numero eſt Imaginum effiguratio.* Et paulò pòſt: *Qui auſus fuerit aliud ſentire, aut docere, aut more impiorum hæreticorum Eccleſiaſticas traditiones contaminare, anathema ſit.*

Probatur 3. authoritate ſanctorum Patrum, S Baſilij lib. de Spiritu ſancto cap. 17. *Dogmata*, inquit, *quæ in Eccleſia prædicantur, quædam habemus ex doctrina ſcripto prodita; quædam rurſus ex Apoſtolorum traditione in myſterio, id eſt in occulto tradita, recepimus; quorum vtraque parem vim habent ad pietatem.* S. Epiphanij hæreſi 61. *Oportet autem*, inquit, *& traditione vti: non enim omnia à Scriptura diuina poſſunt accipi; quapropter aliqua in ſcripturis, aliqua in traditione, ſancti Apoſtoli tradiderunt.*

Probatur 4. ex eo quod multa ſunt, quæ fide diuina credimus, quæ tamen nuſquam in Scripturis reperiuntur: e. g. credimus in vna diuina eſſentia eſſe tres Perſonas diſtinctas; & tamen nomen Perſonæ in Scripturis ad id ſignificandum expreſſum non reperitur. Credimus Filium eſſe Patri conſubſtantialem, & ita in Concilio primo Nicæno definitum eſt; nec tamen vox conſubſtantialis habetur in Scriptura. Credimus ſanctiſſimam Mariam Matrem Dei fuiſſe, & eſſe ſemper Virginem; & Heluidius, Iouinianus, aliique contrarium docentes tanquam hæretici proſcripti ſunt, vt patet ex S. Epiphanio, hæreſi 48. & ex S. Auguſtino, hæreſi 82. & 84. Item ex S. Hieron. in libris contra præfatos hæreticos; & tamen nullibi in Scripturis hæc veritas expreſſa inuenitur. Credimus ſimiliter ad baptiſmi validitatem neceſſariò proferendas eſſe has voces (Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti) & tamen nuſquam in Scripturis hæc prolatio ore facienda præſcribitur, aut neceſſaria eſſe dicitur. Denique ipſam Scripturam ſacram eſſe à Deo reuelante, ac in ea verbum Dei contineri nuſ-

quam

quam niſi ex traditione ſcimus ; & tamen vt articulum fidei credimus. Ergo multa ſunt quæ fide diuina creduntur, licet in Scripturis expreſſa non habeantur.

Obſeruandum eſt autem, præter traditiones illas Apoſtolicas ſeu diuinas eſſe quaſdam alias purè Eccleſiaſticas, quæ ipſius Eccleſiæ ſeu Prælatorum & Paſtorum vel authoritate vel approbatione expreſſa aut tacita poſt Apoſtolorum tempora introductæ ſunt. Quæ licet parem cum Apoſtolicis authoritatem non habeant, meritò tamen à Chriſtianis ſeruandæ ſunt, ſicut & aliæ leges ab Eccleſia ipſis impoſitæ.

SECTIO VI.

De Symbolo Fidei.

1 CVM inter Apoſtolicas traditiones vna ex præcipuis, & populo Chriſtiano maximè neceſſarijs, ſit Symbolum fidei; ideò de illo breuiter hìc agendum eſt. Itaque

Dicendum 1. valdè neceſſarium fuiſſe condi libellum illum, qui dicitur vulgò Symbolum fidei; quo primaria Catholicæ fidei capita, velut in compendium breuiſſimum, redigerentur.

Hac enim breuitate (vt docet ſanctus Auguſtinus lib. 1. de Symb. ad catech. cap. 1.) conſultum fuit idiotis, ruſticis & pueris, vt fidem explicitam de præcipuis myſterijs faciliùs concipere & retinere poſſent. Deinde eadem breuitas aptiſſima fuit, vt fidei vnitas & conformitas toto orbe faciliùs ſeruaretur; omneſque Chriſtiani eſſent vnius labij & vnius oris, vt innuit S. Irenæus lib. 1. contra hæreſes cap. 3.

2 Dicendum 2. Symbolum fidei Catholicæ ab Apoſtolis fuiſſe conditum.

Hoc tanquã certum tenendum eſt: ac meritò temeritatis & erroris damnandus Eraſmus, qui in præfatione ad ſuas paraphraſes in ſanctum Matthæum dubitat de hac veritate; quam tamen indubitatam vniuerſa ſemper tenuit Eccleſia, quam vnanimiter docent ſancti Patres, vt S. Ambroſius in ſermone de Elia & ieiunio. S. Hieron. Epiſt. 61. S. Leo. Epiſt. 13. S. Auguſt. ſerm. 2. Dominicæ in Palmarum Ramis: vbi etiam vnicuique Apoſtolorum ſuum articulum tribuit. Et ideò illud fidei compendium vocatum eſt, Symbolum, quaſi collatio & mutuum conſilium; quia ſcilicet (vt docet S. Clemens Epiſt. 1. ad Iacobum) Apoſtoli communi conſilio inter ſe habito illud condiderunt: vel quia eſt quaſi indicium ſeu ſignum, quo fideles ab infidelibus diſcerni poſſent, vt notat idem S. Clemens ibidem.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

3 Dicendum 3. alia quoque fidei Symbola in Eccleſia Catholica edita eſſe varijs temporibus, occaſione diuerſarum hæreſeon erumpentium: quæ tamen nihil aliud continent, quàm pleniorem ipſius Symboli Apoſtolici explicationem. Sunt autem tria præ cæteris in Eccleſia recepta.

Primum eſt illud, quod in 1. Concilio Nicæno aduerſus hæreſim Arij editum fuit; in quo ea quæ ad diuinitatem Filij ſpectant (quam impiè negabat Arius) fuſiùs exponuntur.

Secundum Symbolum editum fuit in Concilio Conſtantinopolitano 1. contra Macedonium hæreticum, qui diuinitatem ſancti Spiritus impugnabat: in quo proinde, quæ ad ipſius Spiritus ſancti diuinitatem ſpectant, explicantur. Et illud idem eſt, quo Eccleſia Romana in Miſſæ ſacrificio vtitur, vno tantùm verbo aduerſus errorem Græcorum, addito, quo profitetur Eccleſia Spiritum ſanctum, non tantum à Patre, ſed etiam a Filio procedere. Cui Symbolo etiam ipſi Græci in Concilio Florentino ſuſcripſerunt.

Tertium denique Symbolum eſt S. Athanaſij, quod ipſe, cùm Arianis perſequentibus, Romæ profugus eſſet, compoſuit, & Iulio ſummo Pontifici obtulit; illi tanquam Chriſti Vicario fidei ſuæ rationem redens: quod poſtea vniuerſa Eccleſia in tanta veneratione habuit, vt vndique terrarum (ſicut docet Baronius ann. Chriſti 340.) varijs idiomatibus verſum fuerit: & pro legitima fidei profeſſione ſuſceptum.

SECTIO VII.

An obiecta Fidei creuerint ſucceſſu temporis?

1 SENSVS quæſtionis eſt an plures veritates, tanquam à Deo reuelatæ, vno tempore credendæ fuerint, quàm alio; v.g. tempore legis gratiæ, quàm legis Moſaicæ; item his poſterioribus ſæculis, poſt tot Conciliorum in materia fidei definitiones, quàm primis Eccleſiæ temporibus, in quibus nulla vel pauciſſima Conciliahabita fuerant. Pro cuius reſolutione,

Dicendum 1. eandem fuiſſe prorsùs fidem, etſi non æqualiter explicatam, in ſanctis Patriarchis ante Chriſtum, quæ poſteà fuit in Apoſtolis, & aliis Chriſtianis poſt eius aduentum.

Probatur 1. ex S. Paulo Epiſt. 2. ad Cor. cap. 4. vbi poſtquam locutus eſt de Fide antiquorum Patriarcharum, hæc verba ſubiicit: *Habentes autem eundem ſpiritum fidei, credimus; propter quod & loquimur.*

Probatur 2. ex ſanctis Patribus S. Epiph. lib. 1. contra hæreſes initio ipſius libri, vbi loquens de fide Patriarcharum: *Illa* inquit, *eadem*

dem obtinebat, quæ hodie in ſancta & Catholica Dei Eccleſia perſeuerat Fides. Et S.Auguſt. lib.18.de Ciuit. Dei cap. 47. *Vnus*, inquit, *Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus in carne venturus, ſic antiquis Sanctis prænunciabatur, quemadmodum nobis veniſſe nuntiatus eſt: vt vna eademque fides per ipſum omnes prædeſtinatos perducat ad Deum*.

2 Dicendum 2. nec Concilia, nec ſummos Pontifices, cum aliquam veritatem ad fidem pertinere definierunt, condidiſſe nouos fidei articulos; ſed illas veritates iam diuinitùs reuelatas, quæ non ita perſpectæ ac cognitæ fidelibus erant, vel quæ hæreſibus obſcuratæ videbantur, ſuæ luci reddidiſſe, ac fidelibus credendas propoſuiſſe.

Probatur 1. ex Apoſtolo Epiſt. 1. ad Timoth.cap.6. *O Timothee, depoſitum cuſtodi*. Quæ Apoſtoli verba explicans Vincentius Lirinenſis lib. 1. aduer. hæreſ. cap. 27. *Quid eſt*, inquit, *depoſitum? quod tibi creditum eſt, non quod à te inuentum; quod accepiſti, non quod excogitaſti; rem non ingenij, ſed doctrinæ; non vſurpationis priuatæ, ſeu publicæ traditionis; rem ad te perductam, non à te probatam: in qua non author debes eſſe, ſed cuſtos non conſtitutor, ſed ſectator; non ducens, ſed ſequens*.

Probatur 2. ex praxi totius Eccleſiæ, etiam in Concilijs Oecumenicis; in quibus, quando aliqua difficultas in materia Fidei ſoluenda erat, diligens ſemper Scripturarum & Conciliorum, ac ſanctorum Patrum inquiſitio fiebat. Vnde S.Baſilius (vt refertur lib. 7.hiſtoriæ tripartitæ cap. 36.) dicebat Epiſcopos non eſſe inuentores alicuius doctrinæ, ſed tantum cuſtodes depoſiti ſibi per Apoſtolos commiſſi.

CAPVT III.

De obiecto formali Fidei.

PER obiectum formale fidei, intelligimus motiuum illum, quo intellectus excitatur ad aſſentiendum diuinæ reuelationi: certum eſt autem objectum illud formale ad Deum, vtpotè omnis veritatis fontem, referri debere; cùm Fides ſit virtus Theologica, quæ Deum vt objectum ſuum immediatè attingit. Sed difficultas eſt, ſub qua ratione ad Deum referatur. Cuius difficultatis ſolutio ex dicendis in ſectionibus ſequentibus pendet.

SECTIO I.

An Deus, quatenus eſt ſuprema & infallibilis veritas reuelans, ſit formale obiectum Fidei.

1 NOTANDVM eſt veritatem hoc loco ſumi, non pro veritate tranſcendentali (vt loquuntur Philoſophi) quæ omnibus rebus ineſt, in quantùm veram habent entitatem, ſed pro veracitate, qua quis verax eſt in dicendo.

Hæc autem veracitas, vt ſit perfecta & infallibilis, duo requirit in eo qui loquitur. 1. Talem ſapientiam, vt perfectè & infallibiliter cognoſcat rem, de qua loquitur; ita vt errare aut decipi nullo modo poſſit. 2. Talem bonitatem, vt neque velit eum fallere cui loquitur, neque etiam illud velle poſſit. Hoc prænotato pro quæſtionis propoſitæ reſolutione,

2 Dicendum 1. objectum formale Fidei, ſeu rationem formalem, qua mouetur intellectus ad aſſentiendum, eſſe ſupremam, & infallibilem Dei veritatem. Ita Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 1. artic. 1.

Probatur 1. ex Apoſtolo Epiſtol. ad Corinth. cap. 2. *Vt Fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei.* Et Epiſtol. 1. ad. Theſſal. cap. 2. *Cum accepiſſetis à nobis verbum auditus Dei; accepiſtis illud, non vt verbum hominum, ſed ſicut verè eſt, verbum Dei.*

Probatur 2. ex ſanctis Patribus S. Baſil. in ſerm. de Fidei confeſſione, ſeu de vera ac pia Fide in Aſceticis; *Eſt*, inquit, *Fides eorum quæ dicta ſunt aſſentiens approbatio ſine vlla hæſitatione, cum animi perſuaſione de veritate eorum quæ Dei munere ſunt prædicata.* Et S. Auguſt. lib. 11. de Ciuit. *Vt mens*, inquit, *in fide fidentiùs ambularet ad veritatem; ipſa veritas Deus, Dei filius, homine aſſumpto, non Deo conſumpto, eandem conſtituit ac fundauit fidem.*

Probatur 3. hac ratione, quam S. Thomas inſinuat loco citato: illud eſt objectum formale Fidei propter quod immediatè, & formaliter credimus rebus fidei. Atqui non ob aliam formalem & immediatam rationem illis credimus, niſi quia Dei ſummè & infinitè veracis authoritate & atteſtatione nituntur. Ergo Deus, quatenùs ſummè & infinitè verax, ſeu quatenùs ſuprema & infallibilis veritas, eſt obiectum formale Fidei. Maior euidens eſt; minor probatur exemplo Fidei humanæ, quæ non alio motiuo innititur; quàm veracitate atteſtantis, nec enim ob aliam rationem credimus alicui, niſi quia veracem arbitramur: & quo magis conſtat illum eſſe veracem, eo etiam firmior Fides eius atteſtationi habetur. Vnde ſimiliter dicendum eſt, Fidem diuinam Diuina veracitate,

citate, quæ perfecta & infallibilis eſt, tanquam formali & immediata ratione, niti.

3 Dicendum 2. actualem reuelationem earum rerum, quæ credendæ ſunt pertinere ad rationem obiecti formalis Fidei.

Probatur 1. ex varijs Scripturæ locis, in quibus reuelatio diuinitùs facta ponitur vt baſis & fundamentum, cui omnis Fides noſtra innititur. S. Mat. cap. 6. *Beatus es Simon Bar-iona; quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt.* Ad Gal. cap. 1. *Notum vobis facio Euangelium; quia non eſt ſecundùm hominem, neque enim ab homine accepi illud, nec didici, ſed per reuelationem Jeſu Chriſti.*

Probatur 2. ex S. Athanaſ. orat. (quòd vnus ſit Chriſtus) vbi de fide loquens: *Oportet*, inquit, *in ſublimi rationem iſtarum rerum petere, non humi ex ſanguine & carne conquirere, ſed ex reuelatione diuina & cæleſti.* Et ex S. Iren. lib. 4. c. 14. *Deum ſcire nemo poteſt, niſi Deo docente.*

Probatur 3 hac ratione: Fides eſt rerum non apparentium (vt loquitur Apoſtolus) & quæ in cor hominis non aſcenderunt: Atqui eiuſmodi res ſublimes minimeque apparentes non poſſunt aliter credi Fide diuina, quàm per reuelationem Dei. Fides enim illa neceſſariò requirit vt homo cum firmiſſimo aſſenſu, qui omnem penitùs dubitationem excludat, rebus illis inhæreat: non poteſt autem imò nec debet, talem aſſenſum præbere, niſi certò ſciat Deum eſſe, qui res illas reuelauit. Vbi enim ſupponit verè Deum illas reuelaſſe, ſtatim videt ſe debere firmiter, & citrà omnem dubitationem aſſentiri; cùm Deus, nec falli, nec fallere poſſit.

4 Obijcies conſtare ex Euangelio multos credidiſſe in Chriſtum non propter reuelationem primæ & infallibilis veritatis, ſed propter miracula ipſius Chriſti.

Reſpondetur miraculorum patrationem non fuiſſe, propriè loquendo, motiuum formale & immediatum, quo fides illorum ſupernaturalis innixa eſt; ſed fuiſſe tantum rationem inductiuam ad hoc, vt agnòſcerent diuinæ veritati eſſe credendum. Quod vt facilius intelligatur,

Notandum eſt obiectum aliquod materiale Fidei ſupernaturalis, poſſe duobus modis fieri credibile. 1. Per miracula, & alia ſimilia motiua (de quibus infrà) quę id tantum euincunt, vt per illa homo agnoſcat tale obiectum prudenter credi poſſe. 2. Per reuelationem primæ & infallibilis veritatis, quæ, vt talis cognita, facit hominem firmiſſimè, & citra omnem dubitationem illud credere.

Vnde duplex formari poteſt iudicium intellectus circa tale obiectum. 1. Quo iudicat tale obiectum prudenter, & cum maxima ratione credi poſſe. 2. Quo iudicat illud eſſe infallibiliter verum, ob diui-

diuinam reuelationem; & ſic firmiſſimè ac indubitanter credi debere. Ex quibus primum eſt naturale, nec pertinet propriè ad rationem Fidei: ſecundum verò, eſt verus ac proprius Fidei ſupernaturalis actus, ſoli veritati diuinæ reuelanti innixus.

SECTIO II.

An reuelatio diuina, quatenus pertinet ad formale obiectum Fidei, debeat eſſe obſcura & ineuidens.

1 DVOBVS modis poteſt diuina reuelatio eſſe obſcura, ſeu ineuidens. 1. ex parte rei reuelatæ; quando ipſa non repręſentatur per reuelationem euidenter intellectui. 2. ex parte Dei rereuelantis; quando non conſtat euidenter ipſam reuelationem eſſe a Deo. Eſt ergo quęſtio, an vtroque modo reuelatio debeat eſſe obſcura. Pro cuius reſolutione.

Dicendum 1. reuelationem diuinam, quatenus pertinet ad objectum formale Fidei debere eſſe obſcuram & ineuidentem ex parte rei reuelatæ.

Probatur 1. ex Apoſtolo ad Hebr. 11. *Fides eſt argumentum non apparentium*. Et Epiſt. 1. ad Cor. cap. 13. loquens de cognitione quam nunc habemus per fidem, & comparans illam cum viſione beatifica: *videmus*, inquit, *nunc per ſpeculum, & in ænigmate; tunc autem facie ad faciem*.

Probatur 2. ex S. Aug. tract. 4. in Ioan. *Quid eſt fides, niſi credere, quod non vides?* Et S. Chryſoſt. hom. 12. in Epiſt. ad Hæbr. *Fides eſt aſpectus eorum quæ non ſunt manifeſta*.

Probatur 3. ex eo quòd experientia ipſa conſtat, nos nullam euidentiam propriè dictam habere de myſterijs, quę per Fidem credimus. Et, ſi aliqua ſit ipſius Fidei veritas, quam euidenter agnoſcamus; prout ita cognoſcitur, ad fidem non pertinet, ſed ad aliquod aliud genus cognitionis.

Obſeruandum eſt huius aſſertionis veritatem talem eſſe, vt illius oppoſitum inter Manichæorum hæreſes recenſuerit S. Auguſtinus lib. de vtilitate credendi, cap. 1. Vbi ait illos exiſtimaſſe, vana ſuperſtitione teneri Chriſtianos in eo, quòd Fides illis imperaret ante rationem: & hanc fuiſſe inter Manichæos & Catholicos differentiam; quod Catholici crederent, vt cognoſcerent; Manichæi autem priùs vellent cognoſcere, vt poſtea, ſi liberet crederent.

Obijcies hæc Chriſti verba Ioan. 20. *Quia vidiſti me, Thoma credidiſti*, ex quibus infertur S. Thomam priùs vidiſſe, ac proinde euidentiam habuiſſe, & poſtea credidiſſe.

Reſpondetur cum S. Greg. Hom. 26. in Euangelia, ſanctum Thomam

mam aliud vidiſſe, aliud credidiſſe, vidiſſe ſcilicet Chriſti humanitatem, credidiſſe diuinitatem; proindeque euidentiam eius quod credidit, non habuiſſe.

2 Dicendum 2. ad perfectam rationem Fidei, neceſſarium eſſe, vt reuelatio diuina ſit etiam obſcura & ineuidens ex parte reuelantis.

Probatur ex ijs omnibus ſacræ Scripturæ, & SS. Patrum authoritatibus, quibus ſupra oſtenſum eſt, reuelationem diuinam obſcuram eſſe debere ex parte rei reuelatæ: Quia, quidquid cognoſcitur euidenter à Deo eſſe reuelatum, eo ipſo quo vt tale cognoſcitur ceſſat eſſe obſcurum; ſed fit aliquo modo euidens intellectui propter infallibilitatem Dei reuelantis.

Quod quamuis verum ſit, probabilis tamen eſt illorum ſententia, qui exiſtimant fidem poſſe ſubſiſtere cum euidentia ex parte Dei reuelantis Sed ſemper verum eſt, Fidem cum tali euidentia, fore in ratione fidei longè imperfectiorem illa, in cuius aſſenſu nulla prorſus reperiretur euidentia, imò maxima obſcuritas tam ex parte rei reuelatæ, quàm ex parte Dei reuelantis.

Ex dictis aliquot conſectaria colligi poſſunt.

3 Primum eſt, objectum fidei non poſſe propriè cognoſci ſenſibus. Vnde S. Greg. Hom. 26. in Euang *Fides*, inquit, *illarum rerum eſt, quæ apparere non poſſunt; quæ enim apparent, iam fidem non habent*.

Secundum eſt nihil propriè loquendo ſciri poſſe per fidem, ſed tantùm credi: Licet diuerſis medijs, eiuſdem veritatis duplex notitia in eodem intellectu poſſit reperiri: vna obſcura per fidem; altera euidens, per demonſtrationem ſcientificam: quo pacto v. g. & credimus & ſcimus eſſe vnum Deum; credimus, quia Scriptura credendum proponit; ſcimus, quia naturali ratione demonſtrari poteſt.

Tertium eſt inter hæc duo media cognitionis, hanc eſſe differentiam; quòd cognitio per ſcientiam euidens ſit; cognitio verò per fidem, quamuis obſcura ſit, certitudine tamen & infallibilitate antecellat, cùm maximè certo & infallibili fundamento nitatur, nempè reuelatione & atteſtatione diuina. Vnde S. Thomas 2. 2. q. 4. a. 8. ad 2. dicit hominem eſſe certiorem de eo, quod audit à Deo qui falli non poteſt; quàm de eo, quod videt propria ratione, quæ falli poteſt.

SECTIO III.

An diuina reuelatio debeat eſſe publica, vel priuata.

1 NOTANDVM eſt, reuelationem illam dici publicam, quæ Prophetis & Apoſtolis à Deo facta eſt pro tota Eccleſia, & per totum orbem publicata; priuatam verò, quæ alicui perſonæ priuatæ fit.

Hoc prænotato, ſenſus quæſtionis duplex eſſe poteſt. 1. An ſufficiat, reuelationem illam diuinam, quæ ad obiectum formale fidei pertinet, eſſe publicam, & toti Eccleſiæ factam? An verò præterea priuata aliqua reuelatio, vnicuique credentium facta, requiratur? 2. an: ſi daretur aliqua reuelatio priuata, illa ſola ſufficere poſſet ad formale obiectum fidei ſupernaturalis. Pro cuius duplicis quæſtionis reſolutione,

2 Dicendum 1. publicam reuelationem ſufficere ad rationem obiecti formalis fidei, eamque ſingulis ſufficienter applicari per Euangelij prædicationem, & Eccleſiæ authoritatem; nec opus eſſe vlla alia priuata.

Hæc aſſertio de fide eſt contra Caluiniſtas, qui in articulo 4. confeſſionis Fidei ſuæ profitentur, ſe libros Scripturæ canonicos, à non canonicis dignoſcere, non tam communi Eccleſiæ conſenſu, quàm interiori teſtimonio, & ſuaſione Spiritus ſancti.

Refellitur hic error, & veritas noſtræ aſſertionis probatur 1. ex cap. vltimo S. Marci, vbi poſtquam Chriſtus diſcipulis ſuis dixit: *Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ*: ſtatim ſubiungit: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur*. Quibus verbis apertè declarat, reuelationem factam Apoſtolis, & per prædicationem illorum alijs notificatam, ſufficere, ex parte notificationis ipſius obiecti, ad credendum: ſi quid enim aliud requireretur, Chriſtus eos, qui credere nollent, damnationi æternæ non ſubijceret.

Probatur 2. authoritate S. Auguſt. lib. 1. de Doctr. Chriſt. ſtatim initio, vbi agit ex profeſſo contra eos, qui dicunt ſe accepiſſe diuinitùs cognitionem Scripturarum; monetque vnumquemque debere ſibi cauere ab illa ſuperbiſſima & periculoſiſſima tentatione, vt velit edoceri à Deo, & non ab hominibus: quod ibi pluribus exemplis vrget.

Probatur 3. ex eo quòd, vt refert Euſebius lib. 5. hiſtor. Eccleſ. cap. 15. iam à primis Eccleſiæ temporibus Montanus & Maximilla, tanquam hæretici damnati ſunt, quòd particulares reuelationes præten-

tenderent contra Eccleſiæ conſuetudinem, tum traditione, tum ſucceſſione antiquitùs ab Apoſtolorum temporibus eò vſque deriuatam.

3 Dicendum 2. licet priuatæ reuelationes valde dubiæ ſint, & ſuſpectæ; ſi tamen alicui perſonæ certo innoteſceret, reuelationem ſibi aliquam à Deo eſſe factam, illa ei poſſet ſufficere ad credendum.

Hoc conſtat 1. ex eo quòd in ſacris litteris recenſentur priuatæ quædam reuelationes à Deo factæ, quibus fides habita eſt; vt Geneſis cap. 15. refertur Abrahæ, tanquam priuatæ perſonæ, factam fuiſſe reuelationem à Deo, quòd filius ipſi naſciturus eſſet; quod ipſe credidit, vnde dicitur de illo: *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam*.

Conſtat 2. ex Concilio Trident. ſeſſ. 6. cap. 1. 2. & cap. 16. vbi docet & definit neminem poſſe eſſe certum certitudine fidei, de ſua gratia & finali perſeuerantia, niſi per ſpecialem Dei reuelationem. Quibus verbis ſupponit; aſſenſum ſupernaturalem fidei poſſe ſufficienter inniti reuelationi factæ à Deo alicui, tanquam priuatæ perſonæ.

Diximus in aſſertione: ſi reuelatio priuata tanquam diuinitùs facta, certò innoteſcat: & in eo præcipua verſatur difficultas; qua ratione ſcilicet poſſit certò innoteſcere reuelationem illam priuatam eſſe à Deo. De qua proinde, Sectione ſequenti nobis agendum eſt.

Porrò notandum eſt, nos in hac ſectione locutos eſſe tantùm de ijs quæ requiruntur ex parte objecti, ad aliquid credendum ſupernaturaliter. Certum eſt enim, præter publicam reuelationem, & externam Euangelij prædicationem, neceſſariam quoque eſſe in ſubiecto fidei, ſeu in perſona credente internam gratiam excitantem & adiuuantem, vt ſupponimus ex tractatu de Gratia.

SECTIO IV.

Vnde poſſit dignoſci, an reuelatio priuata ſit à Deo, ac proinde ſufficiens pro eliciendo actu Fidei.

1 SICVT nemini dubium eſſe debet, quin aliquando Deus priuatis quibuſdam perſonis res aliquas olim reuelauerit, & nunc etiam pro ſuo beneplacito reuelare poſſit: ſic experientia nimis crebra compertum eſt plurimas reuelationes, quas priuatæ perſonæ ſibi factas prætendunt, varijs illuſionibus & erroribus eſſe refertas: Vnde Syneſius Epiſt. 54. ante duodecim ſæcula conqueſtus eſt multos

tùm

tum temporis priuatos homines, & etiam ſacerdotes, finxiſſe ſomnia pro reuelationibus.

Vt ergo veritas ab errore & illuſione in hac materia dignoſci poſſit, aliquas obſeruationes ex probatiſſimis Authoribus collectas hic breuiter proponemus, quæ maximam cuiuis hac in re lucem afferre poſſunt.

2 Obſeruandum igitur 1. qualis ſit perſona, quæ ſibi factam eſſe reuelationem aliquam dicit.

Ac primò, num ſit ſana in fide. Quamuis enim Deus infidelium lingua ad enunciandas aliquas veritates vti poſſit; & aliquando etiam vſus ſit: tamen, cùm hoc rariſſimè fecerit & è contra dæmon ſæpiſſimè talibus illuſerit, & reuelationes falſas, aut blaſphemijs & alijs impietatibus immixtas, ipſis ſuggeſſerit, vt teſtantur annales ſacri in Manete, Montano, & pluribus alijs hæreſiarchis; meritò defectus veræ & ſanæ fidei in ea perſona cui fiunt reuelationes, maximam præbet rationem, non ſolùm dubitandi, an tales reuelationes à Deo ſint; ſed etiam illas penitùs repudiandi tanquam à ſpiritu erroris & mendacij ſuggeſtas.

Videndum prætereà, num fidei ſinceritatem vitæ ac morum integritas virtuſque commendent, & præſertim humilitas; an è contra vitia & imperfectiones notabiles illam dehoneſtent: ideo non credendum ſuperbis, ambitioſis, carnalibus, impatientibus, odia exercentibus, alios diffamantibus, vel pecunias hinc inde corradentibus: nec etiam hypocritis, qui ſingularia quædam affectatæ pietatis aut pœnitentiæ ſigna per ſuperiores minimè approbata oſtentant. Hoc argumento vſus eſt olim vnus ex antiquis patribus Apollonius nomine (vt refert Euſebius lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 17.) ad conuincendum falſitatis reuelationes & Prophetias Maxillæ & Quintillæ mulierum, quæ in ſecta Montaniſtarum primas partes tenebant; eo quòd (vt refert hic author) eſſent pecuniæ cupidæ, fœnus exercentes, teſſeris & tabulis ludentes, deditæ choreis, & cultui corporis, & ſumptuoſo luxui veſtimentorum. Certè Chriſtus Dominus loquens de falſis Prophetis & docens, qua ratione à veris diſcerni poſſent, nihil aliud dixit Matth. 7. *niſi: à fructibus eorum cognoſcetis eos*.

Conſideranda eſt prætereà corporis & animi conſtitutio in tali perſona; an ſit v. g. parum firma valetudo, quæ præferat redundantiam bilis atræ; an habitus corporis inediâ, vel in ſomnijs plus æquo ſit deformatus; an cerebrum læſum ſit; an imaginatio turbida, &c. Eiuſmodi enim perſonis dæmon faciliimè illudere & imponere poteſt, vt experientia ſatis conſtat.

Non eſt etiam negligenda ætatis & ſexus differentia; ſi enim ætas caduca ſit, delitij periculum eſt; ſi puerilis, leuitatis & morbi imaginoſi;

ginoſi: quia (vt Medici teſtantur) pueri ſunt cerebro humidiori, & pleni vaporibus, ac proinde facili negotio commouentur.

Quod ſpectat ad ſexum, certum eſt mulieres eſſe imbecilliores, abundare paſſionibus admodum acribus & vehementibus, quare, quod à paſſione natum, id ſæpè à veritate profectum putant. Sunt etiam naturæ humidioris: humidum verò faciliùs commouetur, & varias impreſſiones recipit; ideò citiùs imaginantur. Cùmque minùs ratione polleant, & minùs habeant prudentiæ, facilius eſt dæmóni eas ſimilitudine falſa & apparente deludere. Ea de cauſa notatur à quibuſdam, paucas admodum in ſacris paginis reperiri mulieres, quæ Prophetiæ dono prædita fuerint. Et in hiſtoria Eccleſiaſtica refertur, plures mulieres, imaginationibus ſuis, tanquam reuelationibus à Deo immiſſis, adhærentes, non ſolùm ſe ipſas, ſed & plures alios, & etiam viros quoſdam eruditos, in errorem induxiſſe. Teſtis eſt ſui temporis doctiſſimus Tertullianus, qui dum viſionibus & reuelationibus muliercularum confidit, in hæreſim, & varias abſurditates turpiſſimè delapſus eſt.

Obſeruandum 2. qualis ſit ipſa reuelatio.

3 Ac primò an conformis ſit ſapientiæ illi, quæ de cælo eſt. Talis autem erit ſi (vt ait Gerſon in tractatu de probatione ſpirituum) qualitates à S. Iacobo, cap. 3. enumeratas habuerit: ſi nimirum ſit *pudica, modeſta, ſuaſibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia & fructibus bonis*. Videndum eſt igitur, an in ea reuelatione reperiatur aliquid oppoſitum veritati, & doctrinæ Chriſti Domini; an aliquid modeſtiæ, humilitati, charitati, aut alijs virtutibus repugnans, an aliquid curioſum inutile, aut lucrum aliquod & commodum temporale tantummodò ſpectans; an reddat perſonam proprio iudicio, vel propriæ voluntati magis addictam, quæ ſuperiorum cenſuram aut refugiat, aut etiam contemnat. Hæc enim indicia, & alia ſimilia ſatis euincunt, talem reuelationem à Deo eſſe non poſſe.

Prætereà, quando in eiuſmodi reuelatione ſuadentur aliqua, quæ bona & pia videntur, diligenter perpendendum eſt, num ſimul alia etiam ſuadeantur, quæ ſint vana, inutilia, improba, aut pietati aduerſa; hæc eſt enim ars qua frequenter dæmon plures decipit: Vnde S. Arſenius (vt refert Metaphraſtes in eius vita) monebat vt caueremus, ne boni alicuius prætextu dæmon in mala nos impelleret.

Frequentia item nimia reuelationum merito illas ſuſpectas reddere debet, neque enim Deus, niſi maximis & grauiſſimis de cauſis, aliquid reuelare ſolet. & quamuis ante Chriſti aduentum eſſent crebriores reuelationes, eò quòd mundo tenebris errorum operto, tunc eſſent neceſſariæ, vt illius quaſi quibuſdam faculis & lumi-

luminaribus, in illa nocte cæcitas hominum iuuaretur: At nunc, ex orto ſole veritatis, & diffuſa vndequaque Euangelij luce, cum minus neceſſariæ ſint, rariùs à Deo fieri ſolent.

Videndi ſunt ſuper hac materia præfatus Ioannes Gerſon in dicto tractatu de probatione ſpirituum: S. Vincentius Ferrerius tractatu de vita ſpirituali c. 11. & 12. Martinus Delrio lib. 4. Diſquiſitionum magicarum c. 1. q. 3. & alij plures, qui de hac re fuſiùs egerunt.

SECTIO V.

An Fidei diuinæ poſſit ſubeſſe falſum.

1 HVIVS quæſtionis, quæ à S. Thoma & alijs Theologis communiter proponitur, reſolutio lucem dabit varijs difficultatibus, quæ in materia fidei occurrere poſſunt, ideoque à nobis prætermitti debuit. Duplex autem ſenſus illius eſſe poteſt 1. an poſſit fidei ſubeſſe falſum ex parte primæ veritatis reuelantis: hoc eſt, an poſſit fieri, vt aliquid falſum reueletur à Deo. 2. an poſſit fidei ſubeſſe falſum ex parte eius qui credit: hoc eſt, an fieri poſſit, vt quis per actum fidei ſupernaturalis, aliquid bona fide credat, tanquam verum, quod tamen falſum ſit.

Pro cuius reſolutione in priori ſenſu; dicendum eſt, impoſſibile eſſe Deum, ſiue per ſe, ſiue per alios, aliquid tanquam verum affirmare, credendumque proponere, quod non ſit reipſa verum.

Hoc conſtat ex varijs Scripturæ locis. Num. 23. *Non eſt Deus vt homo, vt mentiatur.* Pſalm. 144. *Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis* S. Luc. 21. *Cœlum & terra tranſibunt: verba autem mea non tranſibunt.*

Et certè ſi reuelationi diuinæ poſſet ſubeſſe falſum, nulla ampliùs eſſet fidei certitudo, & tota Scripturarum authoritas corrueret, ac proinde totius Chriſtianæ religionis fundamenta euerterentur: quia ſemper incertum eſſet, an id, quod credendum proponeretur, foret verum, quod eſt contra omnem rationem, & dici nullatenus debet. Vnde Apoſtolus in Epiſt. ad Hebr. cap. 1. *Abundantius*, inquit, *volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilij ſui, interpoſuit iuſiurandum: vt per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt Deum mentiri, fortiſſimum ſolatium habeamus.*

2 Obijcies 1. in Scripturis ſacris reperiri aliquas propoſitiones contradictorias, quarum ea eſt conditio, vt ſi vna vera eſt, altera ſit falſa,

ſit falſa, vnde ſequi videtur; Deum in vno Scripturæ loco verè locutum eſſe, & in altero veritati contradixiſſe.

Reſpondetur nullam in Scripturis ſacris reperiri contradictionem, vt rectè probat S. Auguſtinus in lib. de conſenſu Euangeliſtarum. Si enim aliquid negatur in vno loco, quod in altero affirmetur, hoc fit iuxta varios ſenſus, e. g. apud S. Ioannem, cap. 16. dixit Chriſtus, *Pater maior me eſt*. Et cap. 10. dixerat, *Ego & Pater vnum ſumus*. Quæ verba licet primo aſpectu ſibi repugnare & contradicere videantur, optimè tamen inter ſe cohærent, & veriſſima ſunt: prior enim locus intelligendus eſt de Chriſto, vt homine; ſecundus de eodem vt Dei Filio & eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ & naturæ.

Obijcies 2. Deum in Scripturis multa per ſe, vel per Prophetas prædixiſſe, tanquam euentura, quæ tamen poſtea non euenerunt.

Reſpondetur cum S. Thoma 1. part. quæſt. 19. art. 7 ad 2. & 2. 2. quæſt. 171. art. 6. ad 2. tales Prophetias fuiſſe tantùm, vel comminatorias, vel conditionales. Interdùm enim (vt ait ſanctus Doctor) Deus prædixit aliquid, non quòd abſolutè & ſimpliciter futurum erat, ſed tantùm ſub certa conditione; quam tamen ob aliquas rationes ſibi notas reticebat, nec cognoſci volebat.

Obijcies 3. Deum aliquando in Scripturis mouere & inducere alios, vt decipiant, & falſum aliquid dicant & denuncient; aut immittere ſpiritum erroris; & cauſam eſſe, cur alij decipiantur.

Reſpondetur ijs omnibus Scripturæ locis, in quibus hæc & ſimilia dicuntur, ſignificari tantùm permiſſiuam Dei voluntatem, qua Deus ſinit iſta euenire. Quæ tamen permiſſiua voluntas aliquando in ſacris litteris explicatur terminis importantibus, vel imperium, vel etiam cauſalitatem, ſeu influxum in effectum, vt rectè obſeruat S. Damaſc. lib. 4. de fide cap. 20. *Moris eſt*, inquit *diuinæ Scripturæ, permiſſionem Dei vocare eius actionem*. Vnde S. Auguſtinus lib. 13. de Trinit. cap. 2. *modus* inquit, *quo traditus eſt homo in Diaboli poteſtate, non ita intelligendus eſt, quaſi hoc Deus fecerit, aut fieri iuſſerit; ſed quòd tantùm permiſerit.*

3 Quod ſi quæſtio propoſita in 2. ſenſu intelligatur; Pro illius reſolutione dicendum eſt, aſſenſum illum, quo quis crederet aliquid falſum; exiſtimans illud eſſe verum, non eſſe fidei ſupernaturalis.

Hoc conſtat ex eo quod Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. dicit *quod nullus ſcire valet certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam eſſe conſecutum*. Quibus verbis apertè declarat fidei ſupernaturalis aſſenſum ita certum, vt illi nullo modo falſum ſubeſſe

 poſſit.

poſſit. Vnde ſequitur, aſſenſum illum, cui falſum ſubeſt, aut ſubeſſe poteſt, non eſſe fidei ſupernaturalis.

Objicies aſſenſum illum, quem quilibet fidelium elicit, v. g. circa hanc aut illam hoſtiam conſecratam particulari; quod ſcilicet corpus Chriſti realiter ſit ſub illius ſpeciebus, eſſe verum aſſenſum fidei ſupernaturalis: fieri autem poſſe, vt ibi non ſit corpus Chriſti, vel defectu intentionis Miniſtri, vel defectu materiæ; ac proinde in illo caſu poſſe fidei ſupernaturali ſubeſſe falſum.

Reſpondetur cum S. Thoma 2. 2. q. 1. a. 3. ad 4. duplicem hic diſtinguendum eſſe aſſenſum. Priorem, quo quis in genere credit corpus Chriſti eſſe verè & realiter ſub ſpeciebus panis ritè conſecratis. Poſteriorem, quo credit has panis ſpecies eſſe ritè conſecratas; ac proinde corpus Chriſti ſub illis realiter contineri. Prior ille aſſenſus eſt fidei ſupernaturalis & diuinæ; cum reuelatione diuina innitatur. Poſterior verò non item: neque enim ex reuelatione diuina ſcimus hunc hominem eſſe ſacerdotem aut intentionem debitam in conſecratione habuiſſe; ſed tantum habemus moralem quandam certitudinem & probabilitatem de his omnibus in particulari.

Neque hinc ſequitur ſpecies illas panis conſecratas non poſſe abſolutè & ſimpliciter adorari, ſed tantùm ſub conditione quòd ritè conſecratæ ſint. Nam in praxi virtutum moralium (de quarum numero eſt ipſa religio, per quam cultus latriæ redditur Sacramento Euchariſtiæ) ſufficit, vt qui illarum actus exercet, id faciat iuxta rectam rationem, & prudens iudicium. Vnde, cùm in præſenti caſu iudicemus prudenter ſpecies illas in particulari eſſe ritè conſecratas, nec vlla ſubſit cauſa rationabilis dubitandi de conſecratione illarum; hinc fit, vt purè & ſimpliciter, ac etiam cum merito illas adorare poſſimus: Neque in eo plus eſt difficultatis vel dubitationis, quàm in reddenda obedientia iis, quos ſecundum prudens iudicium & rectam rationem cognoſcimus eſſe noſtros parentes vel principes, quos tamen non tales agnoſcimus ea certitudine, cui non poſſit ſubeſſe falſum. Ergo, ſicut ſufficit moralis illa certitudo, quòd illi tales ſint; ad hoc non tantum vt poſſimus, ſed etiam vt teneamur illis debitam obſeruantiam reddere, quam illis denegare ſine peccato non poſſumus: ſic etiam ſimilis certitudo moralis, prudenti iudicio innixa, ſufficit, vt non tantum licite poſſimus, ſed etiam vt obligemur ad reddendum latriæ cultum huic hoſtiæ conſecratæ, ſub cuius ſpeciebus corpus Chriſti eſſe, prudenter & ſecundùm rectam rationem iudicamus, quem cultum haud dubiè, tanquam minimè debitum, omittere ſine graui peccato non poſſumus.

SE-

SECTIO VI.

An ſit aliqua euidentia credibilitatis in ijs veritatibus, quæ fide ſupernaturali credi debent.

1 CVM ſuprà dixerimus, obiecta fidei eſſe obſcura, obſcurèque à Deo reuelata; & nihilominus illa eſſe firmiſſimè ac ſecluta omni dubitatione credenda: inde oritur quæſtio, an ſaltem in ijs ſit aliqua ſufficiens ratio credibilitatis, per quam poſſit quis agnoſcere, & prudenter iudicare, ſe obligari ad aſſenſum illis dandum.

Eſt autem obſeruandum hæc duo (*eſſe verum & eſſe credibile*) valdè inter ſe diſtingui: priùs enim affirmat ſimpliciter rem ita ſe habere; poſterius verò aſſerit tantùm, dari aliquod ſufficiens argumentum, propter quod res illa prudenter credi poſſit. His prænotatis, pro quæſtionis propoſitæ reſolutione,

Dicendum eſt, veritates noſtræ fidei, licet obſcuræ ſint & ineuidentes, eſſe tamen euidenter credibiles.

Probatur 1. ex his verbis Pſal. 92. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.*

Probatur 2. ex S. Auguſt. lib. de vtilitate credendi, cap. 15. & 16. vbi fusè agens de hac euidentia credibilitatis, dicit pertinuiſſe ad prouidentiam Dei, conſtituere aliquam authoritatem: *Qua velut gradu certo innitentes, attollamur in Deum, & poſſimus credere ſine temeritate & periculo errandi.* Et paulò poſt addit nos duobus modis moueri ad credendum, ſcilicet miraculis, quæ in confirmationem fidei facta ſunt & multitudine populorum illam profitentium: quæ etiam repetet & confirmat in lib. cont. Epiſt. fundamenti cap. 4. his verbis: *Multa ſunt quæ me iuſtiſſimè tenent in Eccleſiæ Catholicæ gremio: tenet conſenſio populorum & gentium: tenet authoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata: tenet ab ipſa ſede Petri Apoſtoli vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum.*

Probatur 3. hac ratione: veritates noſtræ fidei ſunt à Deo reuelatæ, & ad credendum propoſitæ, cum talibus circumſtantijs, vt aſſenſus fidei ſupernaturalis poſſit circa illas prudenter & abſque vllo leuitatis peccato elici; alias ſi leuiter & imprudenter eliceretur, non eſſet actus virtutis. Atqui talis aſſenſus elici prudenter non poteſt circa illas, niſi euidentiam aliquam habeant credibilitatis: neque enim ille prudens eſſe cenſeretur, qui temerè & inconſideratè quiduis ſibi propoſitum crederet, nihil in ſe perpendens, an dignum ſit quod credatur.

SECTIO VII.

Quibus argumentis, ſeu motiuis veritates fidei noſtræ ſint euidenter credibiles.

VARIA ſunt argumenta, quibus ſancti Patres vſi ſunt ad illam credibilitatis myſteriorum noſtræ fidei euidentiam demonſtrandam: nos ex plurimis illuſtriora hic ſeligemus.

Primum ducit Sanctus Auguſtinus lib. de vtilit. credendi, cap. 14. & contra Epiſt. fund. c. 4. a multitudine, conditione, & authoritate eorum qui fidem Chriſtianam omnibus ſæculis amplexi & profeſſi ſunt. Illud enim proculdubio dignum eſt credi, quod omnes penè Gentium nationes; & in his innumerabiles viri ſumma auctoritate, ſummo ingenio & eximia doctrina præditi; firmiter, & ſecluſa omni dubitatione, crediderunt.

2 Secundum argumentum duci poteſt ex conſideratione Martyrum propè innumerabilium, omnis conditionis, & ſexus, & ætatis, qui pro aſſerenda fidei veritate mortem oppetere non dubitauerunt; & tormenta atrociſſima, non ſolùm forti, ſed etiam alacri animo pertulerunt. Hoc argumento S. Iuſtinus & ipſe martyr, Apolog. 1. ad Senat. Rom. teſtatur ſe maximè fuiſſe permotum ad fidem Chriſtianam amplectendam.

3 Tertium ducit S. Chryſoſtomus hom. 4. & 5. in 1. ad Corinth. à modo, quo fides & religio Chriſtiana propagata eſt. Quis enim non obſtupeſcat, ſi attentè conſideret, qua ratione id factum ſit à pauciſſimis hominibus, nulla eruditione humana, aut eloquentia inſtructis, nulla vi aut potentia armatis, nulla nobilitate claris, nulla opulentia præſtantibus, & præterea ejuſmodi res docentibus, quæ naturali hominum propenſioni eſſent maximè repugnantes: his tamen non obſtantibus, totum ab illis orbem Chriſto ſubiugatum eſſe: & in eo plurimos ſapientiſſimos, eloquentiſſimos, potentiſſimos homines ita eſſe perſuaſos; vt vltrò deſertis patrijs religionibus, & abdicatis omnibus naturæ deſiderijs, Chriſtianæ religionis iugum ſubierint; & illam fidem, quæ docet abnegare ſeipſum, crucem ferre, &c. ſummo ſtudio & affectu profeſſi fuerint: quis, inquam, hoc conſiderans, non exclamet cum Propheta Pſal. 76. *Hæc mutatio dexteræ Excelſi*.

Quartum idem S. Chryſoſtomus hom. 3. in 2. ad Corinth. ducit à miraculis ferè innumeris, quæ in confirmationem fidei noſtræ, varijs temporibus & occaſionibus, ſunt diuinitus facta, vt teſtantur vel ipſi Ethnici. Et hoc argumentum ipſemet Chriſtus Dominus ſuggeſſit, cùm Apoſtolis & diſcipulis patrandorum miraculorum

in confirmationem fidei dedit poteſtatem, apud S.Matth. cap.10. dicens illis: *Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones eijcite, &c.*

5 Quintum duci poteſt à Prophetijs, quæ multis ſæculis ante Chriſti aduentum editæ ſunt, vel ipſis Iudæis teſtibus, qui etiam nunc illas eſſe veras Prophetias agnoſcunt & teſtantur; in quibus tamen videmus omnia vitæ ac mortis Chriſti myſteria tam diſtinctè fuiſſe prædicta, & tam fideliter ſuo tempore adimpleta, vt ab alio ſpiritu procedere non potuerint, niſi ab illo, cui ſoli omnia nota ſunt & aperta, æque futura, atque præſentia. Ad illas Prophetias mittebat Chriſtus Iudæos Ioan. 5. vt ex illarum adimpletione mouerentur ad credendum in ſe: *Scrutamini Scripturas; illa ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me.* Hoc argumento vſus eſt Tertul. in Apolog. cap.20. & S.Auguſt. lib. 17. de Ciuit. cap. 15.

6 Sextum argumentum, quo tanquam efficaciſſimo & fortiſſimo, vſus eſt S.Iuſtinus martyr in Apolog. 2. ad Antoninum Pium, & Tertul. in Apolog. cap.39. ducitur à rectitudine & ſanctitate ipſius Doctrinæ Chriſtianæ. Illa enim doctrina, quæ ex omni parte ſanctiſſima eſt, meritò & cum ſumma ratione credenda eſt niti fundamento veritatis; cum veritas & ſanctitas maximè inter ſe cohæreant. Atqui talis eſt Doctrina Chriſtiana: nihil enim in ea, niſi rectum & ſanctum; nihil niſi veræ iuſtitiæ, pietati, charitati, alijſque virtutibus omni ex parte conſentaneum: vnde meritò Propheta dixit Pſalm. 18. *Lex Domini immaculata, conuertens animas, &c.* Vbi è contrà omnes aliæ ſectæ, à Chriſtiana religione alienæ, varijs, non ſolum erroribus & abſurditatibus, ſed etiam vitijs, vanitatibus, obſcœnitatibus, &c. corruptæ & fœdatę ſemper extiterunt, vt vel ex ipſorum Ethnicorum hiſtorijs conſtat.

Denique ipſa Chriſti Domini perſona, tot mirabilibus coruſcans, tanta innocentia & ſanctitate conſpicua, tam præclaris virtutibus inſignis, tanta humilitate, benignitate, manſuetudine, charitate erga omnes, & etiam acerbiſſimos hoſtes, prædita, efficaciſſimum argumentum ſuggerit (vt rectè monet S.Bonauentura in ſtimulo diu. amor. part. 1. cap. 6.) quo conuincantur animi, illius doctrinam digniſſimam eſſe, cui credatur; *Neque aliud nomen ſub cœlo, datum eſſe hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri*, Act.4.

SECTIO VIII.

Quodnam ſit illud, in quod vltimò fidei reſoluatur.

SENSVS quæſtionis eſt, in quid fidei aſſenſus ex parte objecti debeat vltimò reſolui; ſeu ad quod principium reuocari debeat, vltra quod non progrediatur, ſed in eo quieſcat.

Antequam autem ad propoſitam quæſtionem reſpondeatur, vnum eſt hìc nobis præſupponendum: ſcilicet ad aſſenſum fidei ſupernaturalis, præter reuelationem Dei, requiri vt veritas credenda proponatur ab ipſa Eccleſia, tanquam à Deo reuelata. Quamuis enim hæc propoſitio Eccleſiæ non ſit de formali ratione ipſius objecti fidei, eſt tamen veluti conditio quædam requiſita, ſine qua fidei Chriſtianæ aſſenſus, ſecundùm legem ordinariam elici non debet.

Hoc conſtat ex ijs Scripturæ locis, in quibus dicitur ea quæ fidei ſunt, ab Eccleſiæ Paſtoribus & Doctoribus eſſe diſcenda. Ierem. 3. *Dabo vobis Paſtores iuxta cor meum, & paſcent vos ſcientia & doctrina.* Malach. 2. *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius.* Ad Epheſ. 4. vbi dicitur quòd Chriſtus dedit *Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum, &c. vt non ſimus ſicut paruuli fluctuantes, & non circumferamur omni vento doctrina.*

Sancti etiam Patres idem docent. S. Auguſt. lib. 1. de moribus Eccleſiæ Cathol. cap. 13. ait Eccleſiam *eſſe magiſtratum totius ſapientiæ Chriſtianorum.* Et cont. Epiſt. fundamenti cap. 5. *Euangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoueret authoritas.* Et S. Cyril. Hieroſol. Cathec. 9. *Fidem*, inquit, *ſi didiceris, promiſſionem poſſidebis, & obſerua illam à ſola Eccleſia eſſe traditam, & ex omni Scriptura munitam.*

Diximus (ſecundum legem ordinariam) niſi enim Deus ita voluiſſet, illa Eccleſiæ propoſitio neceſſaria non fuiſſet, ſed pro ſua infinita ſapientia & bonitate ita diſpoſuit ad maiorem fidei noſtræ ſecuritatem & firmitatem; vt ad ea credenda tantùm obligaremur, quæ nobis ab Eccleſia (cuius authoritas Deo aſſiſtente falli non poteſt) proponerentur: quæ ideò vocatur ab Apoſtolo 1. Tim. 3. *Columna & firmamentum veritatis:* quam qui audire noluerit, eſſe nobis debet, *ſicut Ethnicus & publicanus.* Matth. 18.

Hoc præſuppoſito, difficile non erit explicare, quomodo reſolutio fidei noſtræ fieri debeat.

Si enim e. g. quærat aliquis; quare credas in vna eſſentia diuina Per-

Perſonarum Trinitatem, vel alium quemlibet fidei articulum? diſtinguere debes; vtrum inquiſitio fiat de cauſa fidei ſecundùm ſe, cur ſcilicet firmiter & indubitanter id credas; vel de cauſa ſeu ratione, ob quam illam fidem amplexus fueris, & illam profitearis.

Si de primo fiat inquiſitio, ſcilicet cur firmiter & indubitanter id credas? Reſpondebis te id credere, quia Deus reuelauit.

Si inſtet, vnde ſcias Deum reuelaſſe? Reſpondebis, quia id habetur ex Scripturis, vel ex diuina traditione.

Si vrgeat: cur credas huic Scripturæ vel traditioni? vltimo loco reſpondebis; quia Eccleſia talem Scripturam vel traditionem, vt diuinam agnouit; Nobiſque, vt ſic credendam propoſuit. Et in ea Eccleſiæ definitione & propoſitione fides noſtra ſiſti debet, nec vltrà progredi.

Quod ſi vlteriùs adhuc quærat, quare credas Eccleſiæ, & vnde cognoſcas illam in propoſitionibus ſuis falli non poſſe? Reſpondebis te id Scripturæ ſacræ teſtimonio cognoſcere. Neque prætereà vllus erit circulus vitioſus, in eo quòd Scriptura per Eccleſiam; & Eccleſia per Scripturam probetur. Non enim eadem; ſed diuerſa ratione fit hæc probatio reciproca: ſicut Legatus a Rege miſſus exhibet primò litteras Principis & declarat eſſe veras; ſicque earum ſtabilit authoritatem: poſteà verò eædem litteræ iam receptæ, viciſſim Legati miſſionem poteſtatemque ipſi à Rege conceſſam probant, ſed diuerſa, vt dictum eſt, ratione. Aliter ſiquidem authoritas eſt in Legato; & aliter in regijs litteris. In illis enim litteris eſt tanquam in ſigno authentico quo voluntas Regis declaratur. In Legato verò tanquàm in ſubiecto in quo authoritas illa recipitur. Sic Eccleſia oſtendit & profert Scripturas canonicas, per quas nobis diuina veritas & voluntas innoteſcit; & viciſſim ab ipſis ſcripturis authoritatem ſuam accipit.

Quod ſi iſta non plenè ſatisfaciunt, minimè mirum videri debet: cùm (vt ſuprà dictum eſt) obſcuritas & ineuidentia ſit conditio abſolutè neceſſaria in rebus credendis, fideſque noſtra ſuſtentari & & roborari debeat potiùs à gratia interna, quæ nemini deeſt, & per quam Deus lucem & vires ad credendum ſubminiſtrat, quam ab vlla demonſtratione externa.

3 Si fiat inquiſitio de ſecundo, ſcilicet de ratione & cauſa mouente ad credendum, & rogetur quis (cùm & diuina reuelatio, & Eccleſiæ propoſitio obſcuritatem & ineuidentiam ſecum ſemper iunctam habeant) quid ipſum impulerit, vt hunc quaſi labyrinthum rerum obſcuriſſimarum ingrederetur, & hanc fidem amplecti & profiteri vellet: Tunc declarabit & exponet rationes & argumenta credibilitatis, quibus ipſe inductus fuerit, & quiuis prudens

induci meritò poſſit ad amplectendam & profitendam huiuſmodi fidem.

SECTIO IX.

Quomodo actus fidei ſit in praxim redigendus.

1 CVM (vt ait S. Thomas 1. quæſt.55. art.2.) virtus ſit habitus operatiuus, cuius perfectio in actione conſiſtit: vt nihil hic deſit eorum, quæ ad fidei perfectionem requiruntur, reſtat adhuc videndum qua ratione fides actus ſuos exercere poſſit. Pro cuius rei explicatione,

Obſeruandum eſt 1. quod, quamuis fides ad potentiam cognoſcitiuam pertineat; ad illius tamen actum (vt initio huius tractatus dictum eſt) non ſolus intellectus, ſed etiam voluntas debet concurrere. Quia cùm actus fidei ſit actus virtutis, ac proinde meritorius, debet eſſe liber; ita vt qui credit, poſſit ſi velit, non credere; & qui non credit poſſit etiam diuina gratia adiutus, ſi velit credere.

Obſeruandum eſt 2. concurſum illum voluntatis ad actum fidei in eo conſiſtere, quòd ipſa voluntas non tantum applicet intellectum ad conſideranda motiua credibilitatis, quæ illum ad credendum inducere poſſunt; ſed etiam quod efficaciter velit & imperet, intellectum ea quæ ab Eccleſia proponuntur credere propter authoritatem primæ veritatis, Dei ſcilicet illa reuelantis & atteſtantis, ac per Eccleſiam proponentis; & ſic captiuet ipſum intellectum, quamuis aliquando reluctantem, in obſequium fidei. His obſeruatis, ſi quæratur quid ſit actum aliquem fidei ſupernaturalis elicere?

Dicendum eſt, nihil eſſe aliud, quàm liberè intellectum applicare ad firmiter aſſentiendum alicui veritati à Deo reuelatæ, & per Eccleſiam nobis propoſitæ; quia veritas illa eſt a Deo reuelata, &, vt talis, ab Eccleſia proponitur.

Vnde patet ad actum fidei ſupernaturalis quinque requiri conditiones: quarum ſi vel vna deficiat, deficit etiam fides. Quod eſt valdè notandum ijs, quorum eſt populum Chriſtianum ad fidem erudire; vt virtutem adeò neceſſariam verè & perfectè in praxim redigere ſciat.

Prima eſt, vt actus ſit deliberatus, & à libera voluntatis electione procedat. Quod eſt illi cum aliarum virtutum actibus commune.

Secunda, vt habeat pro obiecto veritatem aliquam à Deo reuelatam, ſiue per Scripturam ſacram, ſiue per diuinam traditionem.

Aliæ

Aliæ enim veritates, quæ à Deo reuelatæ non ſunt; quantumcumque ad pietatis ſenſum excitandum aptæ videantur, ad obiectum tamen fidei non pertinent; ac proinde actus, qui circa illas verſaretur fidei ſupernaturalis dici non poſſet.

Tertia vt intellectus aſſentiatur veritati à Deo reuelatæ propter authoritatem Dei reuelantis. Si enim id faciat ſolummodò ob aliquam rationem credibilitatis, non ampliùs actum fidei elicit: cùm fides ſola Dei reuelantis authoritate, non verò vlla ratione innitatur.

Quarta, vt firmiter & ſecluſa omni dubitatione, aſſentiatur. Alias, ſi aliquam dubitationem deliberatè admittat, aſſenſus ille non ampliùs innitetur reuelatione diuina: vel ſi innitatur, grauiſſimam iniuriam Deo inferet, cuius veritatem & infallibilitatem hoc pacto in dubium reuocabit.

Quinta denique conditio eſt, vt veracitas à Deo reuelata per Eccleſiam credenda proponatur. Cuius conditionis defectu fides hæreticorum non eſt vera fides ſupernaturalis: quia veritates quas credunt, non ab Eccleſia, ſed à ſenſu proprio & particulari iudicio credentes accipiunt. Et non tantùm ex hoc capite deficit illorum fides; ſed etiam ex eo quod (vt docet S. Thomas 2. 2. quæſt. 5. art. 3.) qui vel in vno articulo à fide deficit, totam fidem amittit; & S. Auguſt. quæſt. 1. in Matth. aſſerit illum omninò deficere à fide, qui falſa de Deo, vel de aliqua parte Chriſtianæ doctrinæ credit. Vnde inferendum eſt, quantumcumque hæretici plurima Chriſtianæ religionis myſteria credere videantur, illos tamen non fide ſupernaturali & diuina; ſed fide tantùm & opinione humana credere.

3 Addunt aliqui & ſextam conditionem, ſcilicet vt aſſenſus fidei referatur in Deum, tamquam finem vltimum. Et hoc quidem verum eſt, ſi de fide viua, & per charitatem formata ſermo ſit, cuius omnes actus, ſaltem virtualiter, ab ipſa charitate informante in Deum referuntur. Verùm propriè loquendo, tales actus potiùs actus charitatis, quàm fidei vocari debent; vnde S. Auguſt. ſerm. 181. de verbis Domini, loquens de fide illa per charitatem formata, dicit quod credere in Deum, eſt Deum diligere, & ſerm. 6. hanc inter peccatorem & iuſtum ponit differentiam, quod peccator quidem credat Chriſto & credat Chriſtum; ſed non credat in Chriſtum: hoc enim ſine charitate, qua priuatus eſt, facere non poteſt: ac proinde credere in Chriſtum, ſolius iuſti proprium eſt.

CAPVT IV.

De vitijs Fidei oppoſitis.

DE illis fusè agit S. Doctor. 2. 2. quęſt. 10. & ſequentibus, ac præſertim de infidelitate in genere & hæreſi. Nos circa vtramque præcipuas ſolummodo difficultates attingemus, quarum reſolutio, veritatibus quibuſdam practicis ſcitu neceſſarijs, lucem afferre poteſt.

SECTIO I.

An infidelitas ſit peccatum.

1 DVPLEX eſt infidelitas in genere, vt docet S. Thomas ſup. quæſt. 10. art. 1. Alia ſecundùm contrarietatem, quæ eſt eorum, qui apertè repugnant fidei; vel eam contemnunt: & certum eſt eiuſmodi infidelitatem eſſe peccatum, idque grauiſſimum, vt oſtendit S. Auguſtinus tract. 89. in Ioannem, & poſt illum S. Thomas art. 3.

Alia, quæ ab eodem S. Doctore dicitur ſecundùm negationem, eſtque illorum qui carent fide, non quia ipſi fidei repugnent, ſed quia nihil vnquam de illa audiuerunt. Eſt autem difficultas inter Theologos an eiuſmodi infidelitas negatiua ſit peccatum: itavt omnes infideles eo ipſo quo non credunt, peccent? pro cuius reſolutione,

2 Dicendum, infidelitatem illam negatiuam eorum, ſcilicet qui nihil vnquam de fide audiuerunt, & per quos non ſtetit quominus audirent, nullo modo eſſe peccatum.

Probatur 1. ex his Chriſti Domini verbis Ioan. 15 *Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent*. Quo in loco, cùm Chriſtus (vt explicat S. Auguſt. ſup. & poſt illum S. Thomas) loquatur de peccato illo quod Iudæi eius verbis non credentes commiſerunt: dicatque quòd peccatum illud non commiſiſſent, ſi locutus eis non fuiſſet, ſiue per ſe, ſiue per Prophetas & Apoſtolos, ac proinde ſi de illo nihil vnquam audiuiſſent, hinc ſequitur illos qui fide carent, eo quod nihil vnquam de fide audiuerunt, nec audire potuerunt, peccato infidelitatis non peccare.

Probatur 2. authoritate S. Auguſt. ſupra cit. tract 89. in Ioannem, vbi explicans eadem illa Chriſti Domini verba dicit, *Infideles illos ad quos Chriſtus non venit, & quibus non eſt loquutus, habere excu-*

ſatio-

ſationem, non quidem de omni peccato ſuo, ſed de hoc quod in Chriſtum non crediderunt.

Probatur 3. hac ratione, Nullus peccat in eo quod vitare non poteſt, ſed non eſt in poteſtate hominis infidelitatem negatiuam vitare, quia illam vitare non poteſt niſi credendo in Chriſtum, *Quomodo autem credent* (vt loquitur Apoſtolus Rom. 10.) *in eum quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante? quomodo verò prædicabunt niſi mittantur?* ex quo ſequitur quod cùm non ſit in poteſtate hominis infidelitatem illam negatiuam vitare, vt explicatum eſt, illam proinde in eo peccatum non eſſe.

Obſeruat autem rectè idem S. Doctor citat. art. 1. quod quamuis infidelitas illa negatiua non ſit peccatum, nec illi qui eo tantum modo ſunt infideles, id eſt qui nihil vnquam de fide audierunt, nec audire potuerunt, non damnentur ob eiuſmodi infidelitatem; eos tamen iuſtè damnari ob alia peccata quæ committunt, & quæ ſine fide nunquam remittuntur. Quæ tamen ſi non commiſiſſent, ſed potiùs ſecundùm legem naturæ rectè vixiſſent, haud dubiè Deus illis ſuccurriſſet, & auxilia neceſſaria ad fidem conſequendam tribuiſſet, ſiue per ſe immediata aliqua reuelatione, ſiue per alium hominem vel Angelum, veritates fidei ipſis declarando, & gratiam ad aſſenſum illis dandum neceſſariam elargiendo.

3 Quæres quid de illius infidelitate ſentiendum ſit, qui quidem non repugnat fidei, nec aliquid contra fidem ſentit, ſed tamen per negligentiam omittit audire & addiſcere ea quæ ſunt fidei, quæ proinde non credit, cùm fides ſit ex auditu: vel ſi audiuit, negligit attendere ad obligationem credendi, & ſic etiam per negligentiam non credit. Reſpondetur infidelitatem illam non eſſe ſecundum negationem eo ſenſu quo ſupra dictum eſt, ſed ſecundùm contrarietatem; quia ſcilicet is qui eo modo non credit, poſſet credere ſi vellet, ac proinde cenſetur ſaltem interpretatiuè contemnere fidem, cùm negligentia illa quam committit, non niſi ex vili æſtimatione ipſius fidei, ac proinde ex interpretatiuo aliquo eius contemptu oriri poſſit: & ex conſequenti talis infidelitas eſt peccatum; quia per illam licet non repugnet fidei, tamen contemnit fidem, quod iuxta mentem ſancti Doctoris pertinet ad infidelitatem ſecundùm contrarietatem quam aſſerit eſſe peccatum, & quidem ex genere ſuo grauiſſimum.

SECTIO II.

Quot ſunt ſpecies infidelitatis.

1 CVM ea quæ ſectione præcedenti dicta ſunt, non modo de infidelitate in genere, ſed de vnaquaque infidelitatis ſpecie in particulari intelligenda ſint, nec ſtarium videtur hic inquirere quot illius ſint ſpecies; Pro cuius reſolutione,

Dicendum 1. ſi ſpectetur diuerſitas errorum particularium cum fide pugnantium, determinari non poſſe quot ſint ſpecies infidelitatis: ſi verò diuerſa ſolummodo ratio qua infidelitas poteſt aduerſari fidei, tres illius ſpecies à S. Thoma, & communiter ab alijs Doctoribus diſtingui, nempe, Paganiſmum, Iudaiſmum, & hæreſim.

Prior pars huius aſſertionis conſtat ex eo quòd errores qui cum fide pugnant, infiniti eſſe poſſint, vt indicat S. Auguſtinus lib. de hæreſibus.

Poſterior probatur, quia ſi vitium conſideretur quatenus aduerſatur virtuti, tot ex hac parte aſſignari poſſunt ſpecies illius, quot modis contingit illud virtuti repugnare: ſed infidelitas tribus præſertim modis repugnare poteſt fidei, vt docet S. Thomas, citata quæſt. 10. art. 5. quia aut repugnat fidei Chriſtianæ nondum ſuſceptæ, & talis infidelitas eſt paganorum ſeu Ethnicorum, aut repugnat fidei Chriſtianæ ſuſceptæ in figura, & hæc eſt infidelitas Iudæorum; vel denique repugnat fidei Chriſtianæ ſuſceptæ in ipſa manifeſtatione veritatis, & hæc eſt infidelitas hæreticorum; vnde patet tres prædictas ſpecies infidelitatis rectè diſtingui.

2 Dicendum 2. ex his tribus infidelitatis ſpeciebus ſimpliciter, ſloquendo infidelitatem hæreticorum eſſe omnium deterrimam & Iudæorum deteriorem quam gentilium, vt docet S. Thomas art. 6. quia ſcilicet peſſimum eſt aduerſari fidei ſuſceptæ in manifeſtatione veritatis, quod faciunt hæretici; peius eſt aduerſari fidei ſuſceptæ in figura, quod faciunt Iudæi, quàm fidei nullo modo ſuſceptę vt Pagani & Ethnici: vnde S. Petrus (Epiſt. 2. c. 2. de Iudæis, & hæreticis loquens) *melius* (inquit) *erat eis non agnoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti*. Qua de re videndus S. Chryſoſtomus hom. 50. ad populum Antioch. vbi multis exagerat infidelitatem Iudæorum. Et S. Hieronymus in cap. 18. Iſa. vbi aſſerit hæreticos impietate ſuperare quoſcumque alios infideles.

SECTIO III.

Quid ſit hæreſis.

1 NOMEN hæreſis à verbo Græco (αἱρέομαι) quod (eligere) ſignificat, deriuatum eſt, ac ſecundùm communem ſanctorum Patrum & Doctorum vſum ſumitur pro praua & peruerſa electione alicuius dogmatis, quod non modò falſum & erroneum eſt, ſed etiam fidei Chriſtianæ oppoſitum. In materia ſiquidem fidei (vt rectè dixit Tertullianus lib. de præſcript.) *Nobis nihil ex noſtro arbitrio inducere licet; ſed nec eligere, quod aliquis alius de arbitrio ſuo induxerit. Apoſtolos Domini habemus authores, qui nec ipſi quidquam, quod ex arbitrio ſuo inducerent, elegerunt: ſed acceptam à Chriſto diſciplinam fideliter nationibus aſſignauerunt.*

Nullum ſanè Chriſtiana Religio dogma continet, quod humana electione inuentum ſit, nec humano beneplacito ſubeſt illius fides, ſed ſoli diuinæ reuelationi per Eccleſiam propoſitæ innitur: illiuſque veritates omnes ab ipſo Deo aſſertæ, & ab eodem illarum credendarum obligatio hominibus impoſita. Quod optimè explicauit S. Bernardus Epiſt. 190. his verbis:

Fides (vt docet Apoſtolus) eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, non inanium phantaſiæ coniecturarum. Audis ſubſtantiam, non licet tibi in fide putare, vel diſputare pro libito, non hac illacque vagari, per incerta opinionum, per deuia errorum: ſubſtantiæ nomine tibi aliquid certum fixumque præfigitur, certis clauderis finibus, certis limitibus arctaris.

2 Ex quibus facile eſt ad quæſtionem propoſitam reſpondere, dicendum enim hæreſim eſſe vitium fidei oppoſitum, quo quis fidem in Baptiſmo profeſſus, ſingulare aliquid, & à communi Eccleſiæ Catholicæ fide ac ſententia alienum ſibi tenendum eligit, eique pertinaciter adhæret.

Dicitur 1. (vitium fidei oppoſitum) quod hæreſi commune eſt cum alijs ſpeciebus infidelitatis, vt ex antedictis patet.

Dicitur 2. (quo quis fidem in Baptiſmo profeſſus) quia ſecundùm communem Theologorum & Canoniſtarum, ille dicitur hæreticus, qui fidem in Baptiſmo profeſſus ab illa euertitur, & eius veritati contradicit: aliàs ſi non eſſet baptizatus, tunc non hæreticus, ſed ſimpliciter infidelis diceretur. De qua re fuſiùs agunt Alphonſus à Caſtro lib. 1. de punitione hæreticor. cap. 2. Melchior Canus lib. 12. de locis Theologicis cap. 8. & alij.

Dicitur 3. (quod aliquid ſingulare & à communi Eccleſiæ Catholicæ fide & ſententia alienum ſibi tenendum eligit) quia hoc eſt hæreticorum peculiare, proprio ingenio ac iudicio ſibi eligere quod

credant.

credant. Vnde Sanctus Doctor quæſt. 11. art. 1. dicit, quod *hæreticus intendit quidem Chriſto aſſentire* (in quo differt ab Ethnico & Iudæo) *Sed deficit in eligendo ea quibus Chriſto aſſentiat: qui non eligit ea quæ verè à Chriſto ſunt tradita; ſed ea quæ ſibi propria mens ſuggerit*.

Dicitur 4. (eique pertinaciter adhæret) quia (vt loquitur S. Auguſtinus Epiſt. 162.) *Si quis falſam & peruerſam ſententiam nulla pertinaci animoſitate defendant, & parati ſint corrigi, & tota ſollicitudine quærant veritatem, non ſunt inter hæreticos deputandi*: è contra (vt idem Sanctus Pater effatur lib. 18. de ciuit. cap. 5.) *Illi qui in Eccleſia prauum aliquid morbidumque ſentiunt, ſi correpti vt ſanum rectumque ſapiant, reſiſtunt contumaciter, ſuaque peſtifera & mortifera dogmata emendare nolunt, ſed defenſare perſiſtunt, fiunt hæretici*.

Eſt autem hic obſeruandum, pertinaciam illam quę hęreticum facit, tam temporis diuturnitate, quàm praua voluntatis diſpoſitione eſſe æſtimandam, vt rectè probat Melchior Canus ſup. cap. 9. Nam ſi quis ſciens ac volens errori alicui ab Eccleſia damnato, tanquam fidei catholicæ contrario, vna ſolummodo hora, aut etiam minori adhuc temporis ſpatio adhæreret, haud dubiè hæreticus cenſendus eſſet.

Porrò, non modò ille dici debet hæreticus qui articulum aliquem fidei impugnat, aut errorem illi contrarium propugnat, ſed etiam qui ſcienter ac deliberatè aliquam fidei veritatem in dubium reuocat; quia præterquam quod iuxta regulam iuris quæ habetur c. 1. de hæreticis, *dubius in fide infidelis eſt*, qui ſcienter ac deliberatè de huiuſmodi veritate dubitat, cenſetur affirmatiuè ſupponere authoritatem Eccleſiæ, talem veritatem profitentis ac docentis non eſſe certam & infallibilem, cui ſuppoſitioni pertinaciter adhærere nullus niſi hæreticus poteſt.

SECTIO IV.

Quanam ratione dignoſci poſſit, an doctrina aliqua ſeu propoſitio ſit hæretica.

1 HVIVS quæſtionis reſolutio non modo vtilis, ſed & neceſſaria viſa eſt ad præcauendas hæreſes, quæ cum primùm exoriri incipiunt ſub falſo & ementito vel eruditionis vel pietatis obtentu, plurimorum animos decipere ac tandem inficere ſolent, aut ſaltem implexos aut ancipites reddere, ita vt vix apud ſe ſtatuere audeant quid tanquam certum & orthodoxum tenere, quidve tanquam falſum & heterodoxum debeant reſpuere.

Cùm

Cùm tamen maximè ad Theologum pertineat iſta dignoſcere, faciemque alijs ad deuitandos quoſcunque errorum anfractus, ac certum veritatis tramitem ſectandum præferre: in quo tamen ſicut nihil temerè apud ſe definire aut alios edocere debet, ſic ipſi neceſſarium eſt ſedulò inueſtigare qua via & ratione, idquod ſui muneris eſt exequi poſſit.

Vt tamen ea quæ dicturi ſumus clariùs ac faciliùs percipiantur, obſeruanda eſt differentia, quæ reperitur inter varias propoſitiones in materia Fidei ac Religionis nociuas & pernicioſas, quibus Eccleſiæ cenſura inuri ſolet. Siquidem ex plurimis ipſius Eccleſiæ decretis ac Pontificum diplomatibus conſtat, alias propoſitiones damnari abſolutè vt hæreticas, alias verò vt erroneas, alias item vt ſuſpectas, alias vt ſchiſmaticas, aut ſcandaloſas, aut piarum aurium offenſiuas, aut denique vt iniurioſas & contumelioſas.

2 Propoſitio hæretica (vt ex antedictis patet) ea cenſetur, quæ alicui propoſitioni fidei contradictoria eſt, ita vt hæretica neget quod illa quæ eſt de fide affirmat; aut è contra illa affirmet id quod illa negat.

Propoſitio erronea ea dicitur, quæ oppoſita eſt communi Theologorum doctrinæ, quæ licet non fuerit determinata ab Eccleſia tanquam de fide, per euidentem tamen conſequentiam infertur ex ipſius fidei principijs, vnde & ad fidem proximè accedit, ac proinde propoſitio illi contraria quæ dicitur erronea ad hæreſim proximè accedere cenſetur.

Propoſitio ſuſpecta ea eſt, quæ ab hæreticis ad occultandam hæreſim vſurpatur, aut vſurpari poteſt; vel quæ circumſtantia perſonę loquentis ſeu ſcribentis, aut temporis, vel loci, cenſetur habere adiunctam alicuius hæreſis ſuſpicionem.

Schiſmatica propoſitio eſt, ea, quæ continet aliquid quod vnitati & paci Eccleſiæ, aut obedientiæ Superioribus Eccleſiaſticis debitæ aduerſatur.

Temeraria eſt, quæ nullo authore fide digno, nulla probabili ratione innixa extra communem Theologorum ſenſum vagatur.

Scandaloſa, quæ inducit occaſionem ſcandali ac ruinæ, hominesque vel à recto fidei tramite, vel à debitis Chriſtianarum virtutum officijs abducere poteſt.

Piarum aurium offenſiua; quæ licet à doctis in aliquo ſenſu vero & recto intelligi poſſit, illos tamen qui timoratam habent conſcientiam, offendit in eo ſenſu quem præ ſe ferre videtur.

Iniurioſa denique ſeu contumelioſa propoſitio ea eſt, quæ alicui ſtatui, aut perſonæ iniuriam aut contumeliam facit.

Sunt & aliæ quædam cenſurarum notæ, propoſitionibus quibuſdam

dam prauis inuri ſolitæ, vt quod ſint blaſphemæ, impiæ, ſeditioſæ; & ſimiles, quæ ſatis ex ipſis terminis intelligi poſſunt.

Quamuis autem omnes & quæcumque propoſitiones quæ ab Eccleſia quouis modo vt prauæ & nociuæ damnantur, ab omnibus fidelibus abijci & repudiari debeant; tamen cum propoſitiones illæ, quæ vt hæreticæ proſcribuntur, ſint omnium pernicioſiſſimæ, ideò ad illas dignoſcendas peculiare ſtudium à Theologo adhiberi debet; & nos ea quæ ad id maximè opportuna & apta viſa ſunt, in paragraphis ſequentibus proponemus.

§. I.

Ad dignoſcendum an Doctrina aliqua ſeu propoſitio ſit fidei contraria, ſeu hæretica certiſſimam regulam eſſe authoritatem ſacræ Scripturæ, ac diuinæ traditionis.

1 CVM iuxta doctrinam Concilij Tridentini ſeſſ. 4. Veritates fide diuina credendæ contineantur *partim in ſacris Scripturæ libris, partim in traditionibus non ſcriptis, quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu ſancto dictante quaſi per manus traditæ ad nos vſq; peruenerunt.* Hinc rectè ſequitur, dogmata quæcunque de quibus dubitatur, an Catholicæ fidei conſona vel diſſona ſint, ſecundùm illam diuinam amuſſim eſſe dijudicanda: & ſiquidem aliquid continere deprehendantur, quod vel Scripturæ ſacræ eo ſenſu intellectæ quo ab Eccleſia intelligitur, vel diuinæ traditioni, quam eadem Eccleſia agnoſcit & profitetur, ſit contrarium, ea haud dubiè tanquam heterodoxa & hæretica penitùs eſſe repudianda. Et hæc quidem regula tamquam certiſſima & omninò infallibilis ſemper habita eſt; vnde illa vox Sanctorum Patrum in Concilijs œcumenicis frequenter vſurpata, quoties, vel aliquis error tanquam fidei aduerſus anathemate feriendus, vel aliqua fidei veritas declaranda aut definienda fuit, (κατὰ τὴν ἀρχαίαν παράδοσιν) id eſt, *ſecundùm antiquam traditionem*) & ſæpiùs iterata anathemata in eos, qui aliter ſentire auderent, quàm ſacra Scriptura vel traditio diuina contineat.

2 Et appoſitè Vincentius Lirinenſis lib aduerſus hæreſes cap. 1. de ſeipſo loquens, *ſæpè* (inquit) *magno ſtudio & ſumma attentione perquirens à quamplurimis ſanctitate & doctrina præſtantibus viris, quonam modo poſſem certa quadam & quaſi generali & regulari via, Catholicæ fidei veritatem ab hæreticæ prauitatis falſitate diſcernere; huiuſmodi ſemper reſponſum ab omnibus ferè retuli: Quod ſiue ego, ſiue quis alius vellet exurgentium hæreticorum fraudes*

fraudes deprehendere laqueoſque vitare, & in fide ſana ſanus atque integer permanere, duplici modo munire fidem ſuam Domino adiuuante deberet, primò ſcilicet diuinæ legis authoritate: tum deinde Eccleſiæ Catholicæ traditione.

Verùm quoniam graues plerumque difficultates occurrere poſſunt, tum in dijudicando vero ac legitimo ſcripturæ ſenſu, tum etiam in diuinis traditionibus dignoſcendis; ideò alia adhuc authoritas præter authoritatem ſcripturæ ac traditionis inquirenda & auſcultanda; ad dignoſcendos errores fidei Catholicæ aduerſos, & hæc eſt authoritas Eccleſiæ, de qua in ſequenti paragrapho agetur.

§. II.

Authoritatem Eccleſiæ neceſſariam eſſe, vt certò & infallibiliter de quauis doctrina ſeu propoſitione dijudicari poſſit, an fidei contraria ſit, ac proinde hæretica.

CVM in dignoſcendis fidei veritatibus *nemo* (vt loquitur Concilium Tridentinum ſeſſ.4.) *prudentiæ ſuæ inniti debeat*: neque (vt monet Spiritus ſanctus Hierem.cap.23.) Prophetæ illi audiendi ſint, *qui loquuntur de corde ſuo*: Hoc eſt qui ſolo ſpiritu particulari, ac iudicio proprio, tanquam certo duce vtuntur in ijs quæ fidem ſpectant. *Tuncque* (vt dixit S. Auguſtinus lib.cont. Creſconium Grammat.cap.33.) *Scripturarum a nobis teneatur veritas, cum id facimus quod vniuerſæ placuit Eccleſiæ, quam ipſa ſcripturarum commendat authoritas*. Ideò quotieſcumque difficultas & controuerſia aliqua occurrit, circa ea quæ fidem ſpectant, agiturque de dijudicando vero ſcripturæ ſenſu, aut traditione aliqua diuina dignoſcenda; tunc ſi certam & infallibilem regulam ſequi volumus, non eſt conſulendus proprius, aut cuiuſuis alterius particularis ſenſus; ſed inquirendum quid Eccleſia ſuper hac re teneat, quid tanquam verum ac certum agnoſcat & profiteatur, quidue tanquam erroneum & à fide alienum repudiet. Ad ipſam quippe Eccleſiam (vt edixit Concilium Tridentinum ſupra) pertinet *iudicare de vero ſenſu & interpretatione Scripturarum*: ipſa eſt quæ traditionis diuinæ à Spiritu ſancto creditum ſibi *depoſitum cuſtodit*, Cumq; ab eius aſſiſtentia nunquam deſitura obtinuerit, vt ſit *Columna & firmamentum veritatis*; hinc fit, vt in ijs quæ tanquam credenda proponit, vel tanquam non credenda proſcribit, neque falli, neque fallere vnquam poſſit. Vnde ipſe Auguſtinus, licet omnimoda eruditione inſtructiſſimus, & ingenio perſpicaciſſimo præditus,

tus, dicere tamen non dubitauit, l.b.cont. Epiſt. fundamenti cap. 5. *Euangelio non crederem, niſi me Eccleſia Catholica commoueret authoritas.*

2 Cùm verò ipſa Eccleſia duobus modis nos alloquatur & inſtruat, ſcilicet vel per Concilia œcumenica, quæ ipſam vniuerſalem Eccleſiam repræſentant, vel per proprium caput viſibile, Romanum ſcilicet Pontificem, cui Chriſtus in perſona Petri vices ſuas demandauit, ideò in ſequentibus Paragraphis videbimus qua ratione decreta Conciliorum œcumenicorum, aut Romanorum Pontificum ſint certiſſimum ac tutiſſimum medium, ad dignoſcendos errores quoſcumque fidei oppoſitos.

§. III.

Conciliorum vniuerſalium decreta eſſe medium certiſſimum ad dignoſcendos errores quoſcumque fidei oppoſitos.

1 SVPPONIMVS ex dicendis in tractatu de legibus, quod etiam ſatis conſtat ex perpetuo Eccleſiæ vſu Concilia generalia legitime congregata pleniſſimam habere poteſtatem condendi leges, & ſanciendi decreta, pro totius Eccleſiæ regimine, ſiue in ijs quæ ad fidem, ſiue in alijs quæ ad morum diſciplinam ſpectant, ipſamque Eccleſiam authoritate ac decretis eiuſmodi Conciliorum tanquam medio certiſſimo, & maximè efficaci varijs temporibus vſam eſſe, tum ad hæreſes validiùs profligandas, tùm ad inſtaurandam Eccleſiaſticam diſciplinam, moreſque Chriſtianorum reformandos: nullusque Catholicus hactenus in dubium reuocauit; quin omnes vbique terrarum fideles Conciliorum vniuerſalium decreta circa finem ſincerè ac humiliter recipere, veritateſque in ipſis definitas firmiter credere, ac errores proſcriptos tamquam fidei contrarios, conſtanter repudiare teneantur.

Sic impia doctrina Arrij in Concilio primo Nicæno tanquam hæretica damnata eſt, & vt talis ab omnibus deinceps vbique terrarum fidelibus proſcripta: ſic aliæ plurimæ hæreſes varijs in Concilijs œcumenicis anathemate perculſæ, vt Macedonij in Conſtantinopolitano primo, Neſtorij in Epheſino, Eutychetis in Chalcedonenſi, & aliorum in alijs.

Cùm verò Conciliorum œcumenicorum in Eccleſia cogendorum cauſæ non ita frequentes ſint; imò (vt cenſet S. Auguſtinus lib. 4. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. vlt.) rariſſimæ inueniantur hæreſes, ob quas damnandas neceſſitas exiſtat cogendi eiuſmodi concilia; nec tamen inimicus homo deſiſtat vnquam ſuperſeminare zizania in agro patrisfamilias, quæ facillime & qua-

quauis data occaſione in medio tritici ſuccreſcant: ideò medium aliud à nobis adhuc inquirendum eſt, quo zizania illa à tritico ſejungere, & veritatem ab errore diſcernere poſſimus, & de hoc in paragrapho ſequenti agetur.

§. IV.

Pontificis Romani authoritatem in ijs, que fidem ſpectant, eſſe quoque medium certiſſimum ad doctrinam orthodoxam dignoſcendam, eamque ab heterodoxa & hæretica ſecernendam.

1 CONcilium Florentinum ſeſſione 25. in decreto fidei, definiuit, *Romanum Pontificem ſucceſſorem eſſe beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium; totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem & doctorem exiſtere; & ipſi in beato Petro paſcendi, regendi & gubernandi vniuerſalem Eccleſiam, à Domino noſtro Ieſu Chriſto, plenam poteſtatem traditam eſſe.* Ex quo ſequitur, ad illum pertinere de rebus ad fidem & Religionem ſpectantibus iuridicè cognoſcere, maioreſque cauſas quales ſunt fidei ac Religionis dijudicare, hæreſes emergentes damnare, veritates fide diuina credendas definire, ipſique omnes vbique terrarum fideles in his, que fidem & Religionem ſpectant ſubeſſe debere, ac vocem illius tanquam ſupremi Paſtoris auſcultari.

Hanc de Romani Pontificis authoritate doctrinam (quæ aliquantò fuſiùs in ſecunda huius operis parte tractatu de legibus explicabitur) optimè expreſſit S. Bernardus Epiſt. 190 ad Innocentium, vbi Pontificem illum ſic alloquitur.

Oportet (inquit) *ad veſtrum referri Apoſtolatum, pericula quæque & ſcandala emergentia in regno Dei, & præſertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potiſſimum reſarciri damna fidei, vbi non poſſit fides ſentire defectum. Hæc quippe huius prærogatiua ſedis: cui enim aliquando dictum eſt, Ego rogaui pro te vt non deficiat fides tua? Ergo, quod ſequitur, à Petri ſucceſſore exigitur; & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Id quidem modò neceſſarium; tempus enim eſt, vt veſtrum agnoſcatis Pater amantiſſime, Principatum, probetis zelum, miniſterium honoretis; in eo planè Petri impletis vicem, cuius tenetis & ſedem, ſi veſtra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis; ſi veſtra authoritate conteritis fidei corruptores.*

Ex qua S. Bernardi doctrina, quæ totius Eccleſiæ communis eſt,

Sequitur 1. quod quoties aliqua controuerſia in materia fidei exoritur, quoties aliquod nouum dogma exurgit, de quo dubitatur an fidei aduerſetur, certiſſimum medium ad veritatem dignoſcendam, eamque à quouis errore ſecernendam eſſe, ad Sedem Apoſtolicam recurrere, & indè reſponſa petere, vbi fides non poſſit ſentire defectum: ita fecit Sanctus Hieronymus in controuerſijs quibuſdam circa fidem, Antiochiæ exortis, ſuper quibus iudicium Apoſtolicæ ſedis exquirit, vt videre eſt in Epiſtola, quam ſuper hac re ſcripſit ad Damaſum Papam.

Idem etiam fecerunt ſancti Epiſcopi Victricius & Exuperius, ille Rothomagenſis, hic Toloſanus, cum primùm nefariam Vigilantij doctrinam in Gallijs emergere conſpicari ſunt ſuper qua Innocentium primùm conſuluerunt, vt videre eſt apud Baronium tom. 5. ad ann. 406. num. 47.

Eodem modo ſe geſſit Alcimus Auitus Epiſcopus Viennenſis, dum Hormiſdam Papam ſuper erroribus Græcorum conſuluit, vt ex eius epiſtola ad illum Pontificem conſtat.

Simili ratione Poſſeſſor Epiſcopus Africanus eundem Hormiſdam conſuluit ſuper doctrina cuiuſdam libri à Fauſto Regienſi Epiſcopo editi.

Innumera prope Exempla aliorum Sanctorum Epiſcoporum & Doctorum ex hiſtoria Eccleſiaſtica afferri poſſent, qui ſimilibus in caſibus, in quibus de fide agebatur, ad Petri Sedem recurrerunt, vt veritatem ab errore certo dignoſcerent.

Sequitur 2. ex eadem doctrina ſuprà allata, quod quoties aliquid in materia fidei definitum eſt à Romano Pontifice, ex cathedra loquente, hoc eſt quando loquitur non vt Doctor particularis, ſed vt Chriſti Vicarius totiuſque Eccleſiæ caput, & ſeruata legitimi iudicij forma: quoties inquam ab illo vt ſic, doctrina aliqua ſeu propoſitio declarata eſt hæretica & vt talis damnata: vel è contra quoties veritas aliqua tanquam fide credenda definita eſt, teneri Chriſtianos omnes, illius iudicio aſſentiri, ac decretis obtemperare; proindeque damnare quod Sedes illa apoſtolica damnat, approbare quod approbat, & vt loquitur Sanctus Hieronymus citata epiſtola ad Damaſum, Cathedræ Petri, Fidei, communione, conſociari.

Ita ſemper in Eccleſia ſeruatum eſt quod innumeris propè exemplis probari poſſet, quæ paſſim in Annalibus Eccleſiaſticis occurrunt. Inſtar omnium erit illud quod in Gallijs contigit tempore S. Leonis Papæ, qui cum epiſtolæ decretalis, qua Eutichetis hæreſim damnauerat, ſimulque veritatem illi oppoſitam fide credendam definiuerat, exemplar ad Arelatenſem Epiſcopum, & per

illius

illius manus ad alios omnes Galliæ Epiſcopos tranſmiſiſſet; hoc Iudicium Apoſtolicum ab Epiſcopis illis tanta reuerentia & animi ſubmiſſione receptum eſt, vt ad præfatum ſanctum Leonem gratulatoriam epiſtolam miſerint in qua profitentur, *Se Apoſtolica illa ſcripta tanquam Symbolum fidei ſuſcepiſſe, tabuliſque cordis aſcripſiſſe, ac tenaci memoriæ commendaſſe, quo paratiores eſſent ad confundendos hæreticorum errores, &c.* addunt præterea *Illi Doctrinæ Apoſtolicæ debere vnumquemque fidelem quod conſtanter teneat, quod credebat; debere etiam infidelem quod à perfidia ſua, agnita veritate diſcedere, & Apoſtolicæ inſtitutionis luce perfuſus, erroris ſui tenebras derelinquere valeat.*

Huic epiſtolæ, quæ reperitur inter Epiſtolas S. Leonis poſt quinquageſimam primam, Epiſcopi Galli numero quadraginta quatuor ſubſcripſerunt.

Sequitur 3. ex eadem doctrina eos, qui apoſtolicæ Sedis iudicio in materia fidei damnati ſunt, pro hæreticis habendos eſſe. Sic S Epiphanius Quartadecimanos à Victore Papa damnatos catalogo hæreticorum aſcripſit.

Sic Vincentius Lirinenſis rebaptizantes ſeu Agripinianos, quorum doctrina a Sancto Stephano Papa damnata fuerat, hæreticis adnumerat.

Sic Sanctus Hieronymus, in Iouinianum, Vigilantium aliosque a ſolo Pontifice Romano damnatos, vt hæreticos inuehitur.

Sic S. Auguſtinus poſt damnatam ab Innocentio primo Pelagij doctrina, ipſum Pelagium eiuſque aſſeclas eiuſmodi doctrinam pertinaciter propugnantes, hæreticos paſſim in libris aduerſus eos editis appellat.

Et Poſſidius in Vita illius ſancti Patris cap. 18. refert poſt Pelagij errores a Sede apoſtolica damnatos, Honorium Imperatorem ſuis Legibus conſtituiſſe ipſum Pelagium alioſque illi adhærentes, pro hæreticis habendos eſſe.

Ex quibus patet quàm verè Yuo Carnotenſis Epiſcopus epiſt. 8. ad Richerium Senonenſem Archiepiſcopum dixerit, *Quod Sedis apoſtolicæ iudicijs & conſtitutionibus (in materia fidei) contra ire, planè ſit hæreticæ prauitatis notam incurrere.*

§. V.

Quomodo iuxta ea quæ in præcedentibus paragraphis dicta ſunt, quiuis Theologus de doctrina aliqua ſeu propoſitione in materia fidei iudicium ferre poſſit.

1 VT in re tanti momenti Theologus eo quo conuenit modo procedere nouerit, & in ferendo iudicio neque temeritatis notam, neque deceptionis periculum incurrat, quoties doctrina aliqua aut propoſitio occurrit, de qua dubium ipſi ſuboritur an aliquid quauis ratione fidei catholicæ aduerſum aut repugnans contineat.

In primis perſpicere debet, an doctrina iſla ſeu propoſitio contraria ſit ijs, quæ habentur in ſacra Scriptura eo ſenſu intellecta, quo Eccleſia illam intelligit.

2 Si nihil manifeſtè contrarium in ſacra Scriptura occurrat: tunc inueſtigare debet, an traditioni diuinæ ſeu apoſtolicæ eiuſmodi doctrina aut propoſitio aduerſetur, hoc eſt ijs dogmatibus, quæ tanquam fide certa per traditionem diuinam ſeu apoſtolicam Eccleſia accepit, & credenda propoſuit.

3 Vt verò ea quæ traditione illa continentur, ipſi innoteſcant, videat quis ſit communis & vniuerſalis ſuper hac re totius Eccleſiæ ſenſus? vel quid Concilia generalia aut ſummi Pontifices ſuper eadem re decreuerint? an ſcilicet doctrina illa ſeu propoſitio definitione aliqua, ſeu conſtitutione Conciliorum aut Pontificum tanquam fidei contraria damnata ſit? & ſi id ita factum eſſe compererit, tunc eiuſmodi doctrinam ſeu propoſitionem tanquam falſam & hæreticam ſine vlla hæſitatione debebit abijcere, illoſq; haud dubiè pro hæreticis habere, qui animo contumaci ea quæ Eccleſia in materia fidei damnat, propugnare, aut ea quæ profitetur & credenda proponit, impugnare auſi fuerint.

Quod ſi doctrina illa ſeu propoſitio non quidem vt fidei contraria, ſed vt erronea, impia, blaſphema, aut vt ſuſpecta, ſcandaloſa, vel quauis alia ratione proſcripta ſit, tunc illam vt talem repudiare, eoſque qui pertinaciter eiuſmodi doctrinæ adhærerent, non quidem vt hæreticos, ſed vt Eccleſiæ inobedientes, & in inobedientia peruicaces tenere, ab ijſque ſibi cauere debet.

Neque verò timere debet, ne in tali iudicio ferendo tam de doctrina, quàm de perſonis, vllum ſubſit periculum aut temerè iudicandi, aut quouis alio modo peccandi contra charitatem: imò ſi quis neſcio quo vano conſcientiæ ſcrupulo, aut fortaſſis humano aliquo reſpectu recuſaret, aut ſubterfugeret, damnare ea quæ Sedes apoſtolica damnaſſet, aut pro catholicis & orthodoxis habere vellet eos,

qui

qui aduerſus eiuſdem Sedis authoritatem contumaces, illius decretis in materia fidei humiliter ac ſincerè ſubeſſe recuſarent: tunc procul dubiò longè grauius delinqueret, tū in eo quod iudiciū propriū & particulare Sedis apoſtolicæ iudicio anteferret, quod quidem eſt iudicij temerarij genus longè damnabilius; tùm etiam quia ſic recuſando aut ſubterfugiendo, peccaret contra obedientiam Eccleſiæ debitam, & ſimul etiam exponeret ſe periculo peccandi contra fidem, & fortaſſe contra charitatem, ratione ſcandali, quo alios ad ſimilem aliquam prauam diſpoſitionem ſuo exemplo induceret.

Quæres quomodo ſe gerere debeat Theologus in eo caſu, in quo noua aliqua doctrina exoriretur, quæ ipſi ſuſpecta foret, & de qua tamen nullum adhuc iudicium Eccleſia protuliſſet. Reſpondetur in eo caſu, nihil meliùs ab eo fieri poſſe, quàm auſcultari monitum Apoſtoli dicentis: *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt, quia multi Pſeudoprophetæ exierunt in mundum.* & alio in loco, *Videte ne quis vos decipiat per fallaciam, &c.* ac proinde ſicut neque leuiter credere, neque temerè iudicare aut condemnare licet, ſic etiam oportet probare, & quantùm ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit perpendere, qualia ſint quæ in eiuſmodi noua doctrina proponuntur, & an cum ijs, quæ habentur ex ſacra Scriptura, aut ex decretis Conciliorum ſeu Pontificum, aut ex communi Patrum & Doctorum Eccleſiæ conſenſu concordent: & ſi quidem ratio aliqua dubitandi ſubſit, tutiſſimum erit ſibi à tali doctrina cauere, & nouitatem quamcumque in materia Fidei & Religionis ſemper ſuſpectam habere, donec Eccleſia iudicio ſuo definierit, quid de eiuſmodi doctrina tenendum ſit.

Atque hactenus de Fide; nunc de primario eius obiecto, nempè Deo.

TRACTATVS II.

DE DEO.

POST tractatum de Fide ſequitur vt de illius primario & præcipuo obiecto, nempè Deo, loquamur. Cùm verò duplici modo ſpectari poſſit à nobis Deus; 1. quatenùs eſt vnus & indiuiſus in eſſentia: 2. quatenùs eſt trinus in Perſonis: Nos hìc illum priori modo conſiderabimus; de eodem vt in Perſonis trino, in ſequenti Tractatu acturi.

Quamuis autem, quæ de Deo, vtpotè infinito in omni genere entis & perfectionis, dicenda forent, nullius poſſint terminis circumſcribi: nos ex innumeris veritatibus, quæ in illius infinitæ eſſentiæ cognitione continentur, paucas tantùm, eaſque noſtro captui magis accommodatas, & fidei noſtræ illuſtrandæ magis neceſſarias, excerpemus; eòque ordine proponemus, quem S. Doctor in prologo 2. quæſtionis partis 1. præſcripſit: cùm dixit tria de Deo quæri poſſe: 1. an ſit: 2. qualis ſit: 3. qualiter operetur. Nos igitur illius veſtigijs inhærentes, agemus in 1. capite de exiſtentia Dei. In 2. de illius proprietatibus, ſeu attributis. In 3. 4. & 5. de eiuſdem operationibus. In 6. demum videbimus, qua ratione diuina eſſentia clarè & perfectè à nobis cognoſci poſſit.

CAPVT I.

De exiſtentia Dei.

SECTIO I.

Quibus rationibus probari poſſit Deum eſſe.

1 QVAMVIS huius quæſtionis propoſitionem pietas interdicere videatur, refugiatque animus, vel ſolum cogitare; quòd Dei exiſtentia in dubium reuocari poſſit: nihilominùs, cùm non deſint impij, qui (vt teſtatur Propheta Pſalm. 52.) dicant in corde ſuo, *non eſt Deus*; & cum aliquando etiam pij tentationibus importunis circa ipſam Dei exiſtentiam exagitentur; ideò non erit inutile breuiter hìc rationes præcipuas adnotare, quibus Theologi Dei exiſtentiam, non quidem à priori, hoc eſt, per cauſam (quod impoſſibile eſt) ſed à poſteriori, hoc eſt, per effectus, probare ſolent. Vt enim rectè dicit Sapiens cap. 13. *A magnitudine ſpeciei & creaturæ poterit cognoſcibiliter creator horum videri.* Et Apoſtolus ex creaturarum conſideratione, Deum ita euidenter cognoſci poſſe dicit, vt planè aſſerat eſſe inexcuſabiles eos, qui Deum per illas non cognouerunt, vel cognitum non glorificauerant.

Sunt autem quinque præcipuæ rationes, quibus Sanctus Doctor, & cum illo communiter Theologi, exiſtentiam Dei probant.

Prima ducitur ex motu, ſeu mutatione rerum creatarum. Nam ſenſu patet aliqua moueri, ſeu mutari. Omne autem quod mouetur

ab alio mouetur; nihil enim mouetur, niſi pro vt eſt in potentia ad id, ad quod mouetur; ſicut nihil mouet aliquid, niſi ſecundùm quod eſt in actu; educendo illud de potentia in actum. Et quia non eſt poſſibile idem ſimul eſſe in potentia & in actu ſecundùm idem: hinc ſequitur neceſſariò quod oportet aliud eſſe mouens, aliud motum. Cùm autem non procedatur in infinitum (hoc enim impoſſibile eſt, & nulla ratione concipi poteſt) neceſſe eſt deuenire ad aliquem primum motorem, qui à nullo moueatur, & à quo motus omnis aliorum incipiat. Et hunc dicimus Deum.

Secunda ratio ducitur ex conſideratione cauſæ efficientis. In iſtis enim ſenſibilibus inuenitur ordo cauſarum efficientium: nihil enim poteſt eſſe cauſa ſui ipſius, alioquin eſſet prius ſe ipſo. Nec etiam admitti poteſt progreſſus in infinitum, vt ſuprà dictum eſt. Quare neceſſe eſt deuenire ad aliquam primam cauſam efficientem, quæ à nulla alia ſuperiori oriatur, & à qua alij omnes effectus procedant. Et hæc prima cauſa eſt Deus.

Tertia ratio ducitur ex poſſibili, & neceſſario: Cùm enim ea omnia, quæ videmus in rerum natura poſſint non eſſe: ſi omnia quæ ſunt, huius conditionis eſſent, potuiſſent omnia non exiſtere; & ſic aliquando potuiſſet nihil eſſe: & ex conſequenti neque modò aliquid eſſet; cùm illud, quod poteſt non eſſe, non potuerit à ſe ipſo incipere eſſe: neque etiam ab alio, ſi totum quod eſt, tale eſt, vt poſſit non eſſe. Quare, ne illud abſurdum ſequatur admittendum eſt aliquod ens neceſſarium per ſe, quod ſemper & neceſſariò ſit, & quod aliter ſe habere non poſſit; à quo alia omnia poſſibilia ſuum eſſe accipiant. Et hoc eſt, quod vocamus Deum.

Quarta ratio deſumitur ex varijs gradibus qui in rebus inueniuntur. In illis enim inuenitur aliquid magis & minùs bonum, verum, perfectum, &c. ſed magis & minùs dicuntur de diuerſis, ſecundùm quod diuerſimodè appropinquant ad aliquid, quod maximè eſt, ac proinde quod eſt optimum, veriſſimum, perfectiſſimum; & ex conſequenti quod eſt maximè ens. Quod autem dicitur maximè tale in aliquo genere, eſt cauſa omnium quæ ſunt illius generis. Vnde ſequitur eſſe aliquid, quod maximè, optimè, veriſſimè, & perfectiſſimè ſit, quodque proinde, in omnibus entibus ſit cauſa ipſius eſſe, ac totius bonitatis, veritatis, & perfectionis, quæ ipſis ineſt. Et hoc dicimus Deum.

4 Quinta denique ratio ducitur ex gubernatione rerum. Videmus enim quòd aliqua, quæ cognitione carent, nempe corpora naturalia, operantur propter finem aliquem: quod apparet ex hoc, quia ſemper, aut frequentiùs eodem modo operantur: vnde patet quod non caſu, ſed ex intentione perueniunt ad finem. Ea verò, quæ cognitione carent, non tendunt in finem, niſi directa ab aliquo

cogno-

cognoſcente & intelligente. Eſt igitur in rerum natura aliquod perfectiſſimum intelligens, à quo res omnes naturales in ſuos fines diriguntur. Et hoc dicimus Deum.

5 His rationibus ex S. Doctore deſumptis, duas alias magis populares addere poſſumus, Prima eſt, qua vtitur S. Athanaſius libro contra Gentiles: vbi Deum eſſe probat ex conflictu perpetuo elementorum inter ſe, ob contrarias qualitates, quibus conſtant. Quo quidem conflictu, licet ſe perpetuuò infeſtent, & ad mutuam deſtructionem continuò tendant; tamen illa non obſtante, conſeruantur, & perſeuerant in omnem temporum longinquitatem; *Atqui fieri non poſſet*, inquit ille S. Pater, *vt iſta omnia inuicem confligentia & contraria durarent, & conſeruarentur; niſi ſummus aliquis eſſet moderator, ac Dominus, qui ea ſociaret; cui & elementa ipſa velut hero famuli, ad nutum obtemperarent.*

Ratione diuerſa S. Gregorius Nazianzenus or. 4. ex pulchritudine, ordine, ſitu, diſpoſitione, proportione, &c. rerum omnium huius vniuerſi, ac præſertim (vt cætera taceantur) ex tam conſtanti, tamque mirabili cœlorum motu, ſoliſque acceſſu & receſſu demonſtrari poſſe exiſtimat, eſſe aliquem ſummum creatorem & conſeruatorem, qui hæc omnia tam diuerſa regat ac moderetur. Et S. Chryſoſtomus homilia nona ad populum Antiochenum ait, creaturas tam clarè ſuum conditorem prædicare; vt neque Scytha, neque Barbarus, neque Indus, neque vlla alia gens ſit quæ hanc vocem omni tuba clariorem intelligere non poſſit.

SECTIO II.

Quibus rationibus demonſtrari poſſit vnum eſſe Deum, & non plures.

1 HVIVS veritatis de vnitate Dei demonſtratio ex præcedenti de eiuſdem Dei exiſtentia neceſſariò ſequitur. Vt enim rectè dixit Tertullianus lib. 1. contra Marcion. cap. 5. *Deus, ſi non vnus eſt, non eſt.* Et S. Athanaſ. in lib. cont. Gentiles, *Deos eſſe multos, perinde eſſe, ac nullos dicere.*

Vt tamen hæc veritas adhuc clariùs innoteſcat, variæ ſuppetunt rationes, quas SS. Patres ſcriptis ſuis inſeruerunt; ex quibus aliquot ſeligemus.

Primam ducere poſſumus ex ipſo naturali inſtinctu hominum; qui, vel in medijs gentilitatis erroribus; tamen communi ſermone Deum vnicum ſemper agnouerunt. *Nam & cum iurant* (vt ait Lactantius lib. 2. inſtitut. Chriſt. c. 1.) *& cum gratias agunt, non Iouem, aut Deos multos, ſed Deum nominant. Adeò ipſa veritas, cogen-*

cogente natura, etiam ab inuitis pectoribus erumpit.

Secundam rationem deſumit S. Athanaſius ſup. ex ordine & adminiſtratione huius mundi. *Non enim*, inquit, *ſi plures eſſent rerum creatarum principes, ſeruari poſſet eiuſmodi vniuerſitatis ordo: ſed omnia confuſa & perturbata forent: cum vnuſquiſque omnia ad ſuum arbitrium traheret.*

Tertiam adhuc rationem nobis ſuggerit Boetius lib. 4. de conſol. proſ. 10. ex eo quod Deus eſt ſummè bonus & ſummè perfectus, adeòque ſummum creaturæ bonum: ſi enim hæc illi ſumma bonitas & perfectio deeſſet, iam non eſſet Deus: omnes enim in eo conueniunt, vt Deum eſſe ſentiant illud, quod optimum & perfectiſſimum eſt: & quo nihil melius & perfectius excogitari poteſt. Atqui, ſi eſſent e. g. duo Dij, totidemque ſumma bona: vnum, alterum non eſſet; atque adeò mancum & defectuoſum eſſet: quia deeſſet illi ſummum bonum, quòd eſſet alter Deus, à quo diuerſus eſſet. Vnde ſequitur eſſe tantùm vnum Deum, nec plures eſſe vllo modo poſſe.

SECTIO III.

An poſſit à nobis aliquod nomen Deo imponi, & qualiter nominari debeat.

1 AD priorem quæſtionis propoſitæ partem cum diſtinctione reſpondendum eſt.

Si enim ſermo ſit de nomine, quod eſſentiam diuinam perfectè & diſtinctè, ſicuti eſt, ſignificet; certum eſt (vt docet S. Thomas 1. p. q. 13. art. 1.) nullum tale nomen à nobis quamdiù viatores ſumus poſſe vel exprimi, vel concipi. Cùm enim nomina ſint ſigna & expreſſiones conceptuum, quos de rebus formamus, eo tantùm modo poſſumus res aliquas per nomina exprimere quo eas concipimus & cognoſcimus. Atqui diuina eſſentia non poteſt à nobis quandiù viatores ſumus, perfectè, vt in ſe eſt, percipi & cognoſci. Ergo nec vllo nomine perfectè, vt in ſe eſt, exprimi aut explicari. Vnde communiter SS. Patres vocant Deum innominabilem, ineffabilem, &c. Et S. Auguſt. in Pſal. 85. *Facilius*, inquit, *dicimus, quid Deus non ſit, quàm quid ſit terram cogitas, non eſt hoc Deus, omnia cogitas, quæ ſunt in terra, in mari, in cœlo; non eſt hoc Deus: hoc ſolum poſſum dicere, quid non ſit Deus, non quid ſit.*

2 Si quæſtio intelligatur de nomine, quo licet imperfectè, exprimamus naturam diuinam, aut eius aliquam perfectionem, prout à nobis in hac vita concipi poteſt: certum eſt eo modo poſſe à nobis Deum nominari. Hinc videmus in Scripturis tot illi nomi-

na

na tribui, illumque vocari Dominum, Deum, omnipotentem, Æternum, &c. vnde S.Auguſt.tract.13. in S-Ioan. *Omnia*, inquit, *poſſunt dici de Deo; nihil dignè dicitur de Deo: nihil latiùs hac inopia: quæris congruum, non inuenis: quæris quoquo modo dicere omnia inuenis*.

Ad ſecundam quæſtionis propoſitæ partem vt reſpondeatur multiplici diſtinctione opus eſt.

Eorum enim nominum quæ Deo tribui poſſunt; alia ſunt negatiua, per quæ profitemur nihil in Deo, defectuoſitatis aut imperfectionis reperiri. vt quando dicimus illum eſſe increatum, immutabilem, immenſum, &c. Alia verò ſunt affirmatiua, per quæ aliquam illius perfectionem, provt à nobis concipitur, exprimimus, vt quando dicimus Deum eſſe ſapientem, iuſtum, ſanctum, &c. In quibus nominibus duo debent conſiderari, vt rectè monet S.Doctor ſup.art.3. ſcilicet id quod illis nominibus ſignificatur, & modus quo ſignificatur. Quantum ad id quod ſignificatur, nomina illa Deo propriè competunt, & magis quàm creaturis. Quantum verò ad modum ſignificandi, non propriè dicuntur de Deo; cùm habeant modum ſignificandi, qui creaturis magis, quàm Deo competit.

Rursùs nomina affirmatiua, quæ de Deo dicuntur, alia ſunt abſoluta; vt quando Deus dicitur ſapiens, bonus, &c. Quæ quidem, nomina (vt rectè notat S.Thomas art.2.) Deum ſignificant; non provt in ſe eſt, ſed provt à nobis intelligitur in hac vita. Cùm enim intellectus noſter ex creaturis Deum cognoſcat: ſic eum cognoſcit, ſicut illum creaturæ repræſentant, per illas nempè perfectiones, quas ab eo participant. Vnde (vt ait S.Doctor) cum dicimus (Deus eſt bonus) ſenſus eſt: id quod bonitatem dicimus in creaturis, præexiſtere in Deo; ſed ſecundùm alium longè, imò infinitè excellentiorem modum: & ſic de alijs. Alia verò nomina ſunt relatiua; qualia ſunt illa, quæ aliquam Dei perfectionem ſignificant, cum relatione ad creaturas, vel potiùs creaturarum ad Deum (creaturæ ſiquidem realem ad Deum habent relationem, non Deus ad illas) vt quando vocamus illum creatorem, redemptorem, iuſtificatorem, &c.

Alia denique ſunt nomina, quæ ſolius Dei ſunt propria, vt quando vocatur æternus, infinitus, immenſus, &c. Hæc enim nomina ſoli Deo competunt, nec vllis creaturis poſſunt communicari. Alia verò quæ aliquo modo ſunt ipſi cum creaturis communia: vt cum dicitur iuſtus, ſapiens, fortis, &c. Hæc enim nomina, etiam de creaturis ſuo modo dici poſſunt.

Obſeruandum eſt autem vnum eſſe illi præ cæteris maximè proprium; ſcilicet hoc nomen Deus. Quod licet ab aliqua eius operatione deriuetur, nimirum à contemplatione (ex verbo enim Græco

co θεᾶσθαι quod ſignificat conſiderare, ſeu contemplari; formatum eſt nomen θεὸς à quo vox Latina, Deus) tamen communiter pro ipſa Dei natura ſignificanda, vſurpatur: vnde dicit Tertullianus contra Hermogen. cap. 3. *Deus ſubſtantiæ ipſius nomen eſt, id eſt diuinitatis. Dominus verò non ſubſtantiæ, ſed poteſtatis*. Et eo ſenſu dicit S. Doctor art. 9. nomen illud eſſe incommunicabile creaturis, cùm natura diuina illis communicari non poſſit. Vnde, quando in Scripturis, aliquibus creaturis tribuitur, vt Pſal. 81. *Ego dixi Dij eſtis:* hoc tantùm impropriè, & ſecundùm quamdam imperfectam ſimilitudinem, non autem ſecundùm propriam & formalem ipſius nominis ſignificationem, intelligendum eſt.

CAPVT II.

De attributis diuinis.

SECTIO I.

An, & quomodo attributa Dei inter ſe, & ab eius eſſentia diſtinguantur.

1 PER Attributa Dei, nihil aliud intelligimus quàm id quod per nomina Dei ſignificari ſuprà declarauimus, ſcilicet prædicata aliqua, quibus, vel diuina natura, vel illius perfectiones ſecundùm noſtrum concipiendi modum exprimuntur: vnde quæſtiones eædem, quæ fiunt de attributis, etiam de nominibus Dei fieri poſſunt. Vtimur tamen voce attributorum, tùm vt apud Theologos magis vſitata, tùm etiam vt magis apta ad illa declaranda, quæ de diuinis perfectionibus dicenda ſunt. Sicut enim nomen Dei, naturam eius præſertim deſignat: ſic attributa, ipſius naturæ perfectiones & proprietates tanquam ipſi adiunctas, prout à nobis imperfectè concipiuntur, expreſſiùs ſignificant.

Hoc igitur ſuppoſito, ad quæſtionem propoſitam reſpondendum eſt cum diſtinctione.

Si enim ſermo ſit de attributis diuinis, prout ſunt reipſa in Deo, dicendum eſt, illa nec ab eſſentia diuina, nec etiam inter ſe vllo modo eſſe diſtincta.

Si verò de iiſdem loquamur, prout à nobis in hac vita concipi poſſunt; dicendum eſt, illa diſtincta eſſe, tam ab eſſentia diuina, quàm inter ſe: non quidem realiter, ſed per rationem.

Vt hæc aſſertio intelligatur, notandum eſt quòd, quamuis Deus in ſe ſit maximè ſimplex, vt ſectione ſequenti dicetur; quia tamen in vnica illa ſua & ſimplici eſſentia, omnes perfectiones & excel-

lentias

lentias poſſibiles continet: nec poſſumus ſecundùm noſtrum imperfectum concipiendi modum tantam perfectionum varietatem in vno ſimplici ente concipere: ideò noſter intellectus indiget varijs & diſtinctis conceptibus, quibus illarum diuinarum perfectionum ſpecies aliquas in ſe exprimat; ad inſtar illarum, quas in rebus creatis ineſſe cognoſcit. Et ſic illas diuinas perfectiones per conceptus varios diſtinguit (quod Theologi vocant diſtinguere ratione) licet in ſe nullò modo diſtinguantur, ſed ſint vnica & ſimpliciſſima ipſius Dei perfectio.

1 Hæc aſſertio ſic explicata continet veritatem, quæ medium locum tenet inter duos errores oppoſitos.

Primus eſt Gilberti Porretani, qui (vt refert S. Bernardus ſerm. 8. in Cant. dicebat ſapientiam, iuſtitiam, & reliqua diuina attributa, ab ipſo Deo eſſe realiter diſtincta: ac proinde ſapientiam, qua Deus eſt ſapiens: iuſtitiam, qua iuſtus eſt: imò & diuinitatem, qua Deus eſt, non eſſe Deum, ſed quid ab eo realiter diſtinctum.

Alius error huic oppoſitus, fuit Aetij, Eunomij, & aliorum: qui (vt refert S. Epiphanius hæreſi 76. & S Baſil. lib contra Eunomium) nullam diſtinctionem conceptus & rationis inter attributa diuina recipere volebant; ſed permiſcebant & confundebant omnia quæ de perfectionibus diuinis dici aut cogitari poterant, aſſerentes omnem illam diſtinctionem in ſola nominum prolatione conſiſtere, & cum vocibus diſſolui & euaneſcere.

Iam probatur aſſertio, & ſimul errores illi refelluntur. 1. ex eo quod in Scripturis ſacris Spiritus ſanctus diuerſos nobis de diuinis perfectionibus conceptus ſuggerit: aliter enim de miſericordia: aliter de iuſtitia loquitur: aliter de omnipotentia, aliter item de ſapientia, & ſic de alijs. Vnde qui iſtos conceptus Scripturæ verbis expreſſos, confunderet; & vnum pro altero promiſcuè acciperet, ſenſum omnem Scripturarum euerteret. Ex quo ſequitur nos rectè poſſe varijs & diſtinctis conceptibus diuinas perfectiones exprimere & enunciare: neque enim aliter nobis de Deo loquendum eſt (vt ait ſanctus Hilarius lib. 5. de Trinit.) quàm ſicut ipſe ad intelligentiam noſtram de ſe loquutus eſt: proindeque attributa illa Dei, ſecundùm noſtrum concipiendi modum, eſſe aliquo pacto inter ſe diſtincta. Atqui non ſunt diſtincta realiter; hic enim fuit error Porretani, qui in Concilio Rhemenſi ab Eugenio Papa damnatus eſt. Ergo diſtincta ſunt tantummodò per rationem.

Probatur 2. ex S. Baſilio loco citato, vbi dicit nullum eſſe nomen, quod totam Dei naturam comprehendat, & quantùm ſatis eſt, explicet; quare multa eſſe ac diuerſa, quæ ſingula propriam habent ſignificationem. Et ex S Greg. Nyſſæno, qui lib. 1. aduerſus eundem Eunomium aſſerit, vniuſcuiuſque nominis, quod de Deo dicitur,

dicitur, propriam ac ſingularem eſſe notionem. Et appoſitè S. Cyrillus Theſi 31. contra Eunomianos, *Non poteſt*, inquit, *humana natura maius aliquid, quàm ipſa ſit, de Deo dicere; noſtro enim proprio modo intelligimus, ex ijs qua in nobis ſunt maiorum exempla ſumentes, ut qui in parua tabula cæleſtem deſcribunt circulum.*

An autem præter illam diſtinctionem rationis inter attributa diuina aliqua alia diſtinctio formalis admittenda: An item diſtinctio illa, ſiue formalis, ſiue quæcumque alia, fieri debeat cum reſpectu ad proprietates creaturarum realiter inter ſe diſtinctas, non eſt noſtri inſtituti curioſiùs inquirere. Sufficit nobis, vt in illorum Dei attributorum notione, ſciamus fide diuina credendum eſſe, aliquam inter illa reperiri diſtinctionem, illamque non eſſe realem: liberum relinquimus cuique illam, ſiue vt formalem, ſiue quocumque alio modo concipere; dummodò intrà veritatis limites ſuos conceptus coercere velit.

SECTIO II.

An diuina eſſentia ſit omninò ſimplex.

1 SVPPONIMVS perfectam ſimplicitatem conſiſtere in excluſione cuiuſcumque compoſitionis, diuiſionis & potentialitatis; ac proinde dicere ſummam actualitatem. Hoc breuiter ſuppoſito,

Dicendum eſt eſſentiam diuinam eſſe cuiuſcumque compoſitionis, diuiſionis, & potentialitatis protsùs expertem, ac proinde omninò ſimplicem.

Probatur 1. ex Scriptura, Exod. 3. *Qui eſt miſit me ad vos, &c.* Quibus verbis Scriptura de Deo tanquam de Ente maximè ſimplici, loquitur.

Probatur 2. ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. 1. vbi definitum eſt, Deum eſſe vnam ſubſtantiam, ſeu naturam omninò ſimplicem.

Probatur 3. ex S. Auguſt. lib. 11. de Ciuit. cap. 10. vbi dicit: *ſolam naturam diuinam eſſe ſimplicem, quia nihil habet, quod poſſit amittere; nec in ea aliud eſt habens, aliud quòd habetur.* Et S. Greg. lib. 16. Moral. cap. 21. *Natura Dei eſt ſimplex nec aliud ipſe, aliud dies eius ſunt, Deus enim hoc eſt quod habet.*

Probatur 4. ratione: quia cum Deus ſit primum Ens in genere perfectionis, omne id, quod perfectius eſt, debet Deo ineſſe. Atqui, cæteris paribus perfectius eſt habere omnem & quamlibet perfectionem conſiſtentem in vna tantùm ſimplici entitate, quàm in aliqua entitate compoſita conſurgente ex coniunctione plurium inter ſe. Ergo, &c.

Ex hac

2 Ex hac veritate ſic probata, refellitur error Antropomorphitarum: qui (vt refert S. Epiph. hæreſi 70.) aſſerebant Deum habere aliquod corpus. Cuius erroris falſitas, præter ea quæ ſuprà dicta ſunt, manifeſtè conuincitur ex his Chriſti verbis S. Ioan. 4. *Spiritus eſt Deus*: quorum verborum authoritate vtitur S. Epiph. ſuprà, & alij SS. Patres ad illam hæreſim refellendam.

Cùm igitur, vt ex dictis patet, Deus ſit omninò ſimplex; hinc ſequitur (vt rectè docet S. Thomas 1. p. q. 3.) illum nullo modo eſſe compoſitum, ſiue ex eſſentia & exiſtentia, ſiue ex genere & differentia, ſiue ex potentia & actu, ſiue ex ſubſtantia & accidentibus: cùm omnes iſti compoſitionis modi eius perfectiſſimæ ſimplicitati ſuprà aſſertæ & probatæ repugnent: ac proinde illum eſſe actum puriſſimum & ſimpliciſſimum.

SECTIO III.

An & qua ratione diuina eſſentia in ſua ſimplicitate contineat omnes rerum omnium perfectiones.

1 DICENDVM primò omnes rerum omnium perfectiones in Deo contineri. Ita S. Thom. 1. part. quæſt. 4. art.

Probatur 1. ex Scriptura: Exod. 3. vbi Deus Moyſi eius conſpectum deſideranti, dicit: *Oſtendam tibi omne bonum*. Pſal. 49. *Pulchritudo agri mecum eſt*. Prou. 8. *Mecum ſunt diuitiæ, & gloria, & opes*.

Probatur 2. ex S. Dionyſ. lib. de diu. Nom. cap. 5. *Cuncta continet Deus ſecundùm ſuperexpenſam ſimplicem infinitatem ſuam*. Et S. Auguſt. lib. 4. de Trin. cap. 1. *Vnum eſt Dei verbum, per quod facta ſunt omnia; quod eſt incommutabilis veritas: vbi principaliter & incommutabiliter ſunt omnia ſimul, non ſolùm quæ nunc ſunt in hac vniuerſa creatura, verùm etiam quæ fuerunt, & quæ futura ſunt: vbi nec fuerunt nec futura ſunt: ſed tantummodò ſunt, & omnia vita ſunt; & omnia vnum ſunt.*

Probatur 3. hac ratione qua vtitur S. Thomas loco cit. Quidquid perfectionis eſt in effectu, oportet inueniri in cauſa effectiua; quidquid enim habet effectus, illud habet à ſua cauſa efficiente, & nemo dat quod non habet: Cùm ergo Deus ſit prima cauſa effectiua rerum omnium, oportet omnium rerum perfectiones in illo præxiſtere.

2 Dicendum 2. rerum creatarum perfectiones, licet omnes in Deo ſint, non vno tamen eodemque modo eſſe: ſed quaſdam eſſe in ipſo formaliter: alias verò ſolùm eminenter.

Quod vt meliùs intelligatur, notandum eſt perfectiones, quæ in rebus creatis reperiuntur, duplicis eſſe generis.

Quæ-

Quædam enim (vt obſeruat S. Anſelmus in Monol. cap. 14. & ex eo Theologi) dicuntur perfectiones ſimpliciter ſimplices : quæ ſcilicet tales ſunt, vt nullam ſecum imperfectionem habeant adiunctam; nec cum vlla alia perfectione maiori, vel æquali, ſint in eodem ente incompoſſibiles, quales ſunt ſapientia, iuſtitia, &c. Et hæ perfectiones ſunt formaliter in Deo.

Aliæ verò dicuntur perfectiones ſecundùm quid: quæ licet ſint quędam entis perfectiones; aliquam tamen imperfectionem habent ſibi admixtam; vel repugnantiam, & incompatibilitatem in eodem ente cum alia maiori vel æquali perfectione: vt ſunt qualitates & perfectiones rerum corporearum. Illæ autem perfectiones, cùm verè in Deo ſint, vt ſuprà probatum eſt: & formaliter, hoc eſt, ſecundùm propriam rationem in eo eſſe non poſſint, vt per ſe patet: ſequitur vt ſint eminenter, hoc eſt, modo quodam infinitè meliori & excellentiori, quàm ſint in ipſis creaturis.

Quamuis verò totius entis creati perfectio in Deo ſit, alterutro ex his duobus modis; non tamen properea creatura quælibet poteſt dici Deus: Ipſa enim ſemper in ſe remanet infinitè à Deo diſtans, ac proinde omninò diſtincta. Quod hic obſeruamus contra quoddam Vuiclephi delirium, qui, vt notat S. Thomas Valdenſis lib. 1. doct. fid. cap. 1. aſſerebat propter illud eſſe quod habent creaturæ in Deo; quamlibet creaturam, eſſe & poſſe dici Deum. Quod ipſe ibidem refellit, tanquàm non ſolùm à veritate noſtræ fidei, ſed etiam à ratione naturali proſsùs alienum.

Hinc etiam ſimiliter refellitur Seruetus qui eò vſque inſaniæ progreſſus eſt, vt in Epiſt. 6 ad Caluin diceret, Deum in lapide verè & propriè eſſe lapidem, in trunco truncum, & ſic in alijs oblitus nimirùm *Quantò his dominator eorum ſpecioſior eſt.* Sap. 13

SECTIO IV.

An Deus ſit immutabilis.

1 CATHOLICA Fide tenendum eſt, Deum eſſe omninò immutabilem, id eſt omnis mutationis omninò expertem. Probatur 1. ex Scripura. Num. 23. *Non eſt Deus, ſicut filius hominis, vt mutetur.* Malach. 3. *Ego Deus, & non mutor.* S. Iacobi 1. *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.*

Probatur 2. ex S. Aug. in illa verba Pſ. 89. *A ſaculo, & vſque in ſaculum tu es Deus:* Vbi ſic loquitur: *Non dicit Propheta, à ſaculo tu fuiſti, & vſque in ſaculum tu eris, ſed præſentis ſignificationis verbum poſuit, inſinuans Dei ſubſtantiam omni modo incommutabilem, vbi nō eſt (fuit, aut erit) ſed tantū modo (eſt)* Ad quę verba appoſitè

ſitè Sanctus Bernardus ſerm. 31. in Cant. *Tolle (fuit & erit) vnde iam tranſmutatio, aut viciſſitudinis obumbratio?*

Probatur 3. ratione; quia (vt ait Aug.) omnis mutatio, aut in peius eſt, aut in melius. Atqui Deus, neque in peius, neque in melius mutari poteſt. Ergo omninò mutari non poteſt.

2 Obijcies multa reperiri in Scripturis, quæ mutationem aliquam in Deo ſignificare videntur. Geneſ. 6. dicit Deus: *Pœnitet me feciſſe hominem.* Ierem. 13. *Si gens illa egerit pœnitentiam à malo ſuo, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui.*

Reſpondetur omnes iſtas & ſimiles locutiones debere accipi figuratè metaphoricè; in hiſque Deum ſe noſtro imperfecto concipiendi modo accommodare; vt ſignificet ita ſe exteriùs gerere, ac ſi verè ſententiam mutaret; cùm tamen re vera in ſe immutabilis perſeueret, ac ſemper eodem modo ſe habeat. Et hæc faciliùs intelligi poterunt, fientque euidentiora ex ijs quæ dicentur, cùm de operationibus ad intellectum & voluntatem Dei pertinentibus, agetur.

SECTIO V.

An Deus ſit æternus.

ÆTERNITAS communiter à Theologis definitur, interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio: quæ definitio desumitur ex Boetio lib. 5. de conſol. Proſ. 6. & ante Boetium hanc attigit S. Auguſtinus in Pſalm. 101. vbi dicit quòd *in æternitate nihil eſt præteritum, quaſi iam non ſit: nihil futurum, quaſi nondum ſit: ſed non eſt ibi, niſi (eſt)* Et lib. Confeſſ. cap. 11. *Quis tenebit illud* (cor ſcilicet hominis) *& affiget illud: vt paululum ſtet, & paululum rapiat ſplendorem ſemper ſtantis æternitatis, & videat eſſe incomparabilem: & videat longum tempus, non niſi ex multis prætereuntibus motibus, qui ſimul extendi non poſſunt, longum fieri: non tamen præterire quidquam in æterno, ſed totum eſſe præſens.*

Ex quibus colligitur differentia duplex inter æternitatem & tempus. Prima quòd tempus principio & fine clauditur, æternitas verò, nec principium, nec finem habeat. Secunda, quòd tempus eſt in perpetuo fluxu; æternitas autem tota ſimul eſt, nec vllam patitur ſucceſſionem. Hoc breuiter prænotato, ad quæſtionem propoſitam,

Dicendum eſt Deum eſſe æternum: æternitatemque ſolius Dei eſſe propriam. Ita S. Thomas 1. p. quæſt. 20. a. 2. & 3.

Hæc veritas, quæ de fide eſt, conſtat 1. ex Scripturis. Deut. 32. *Vi-*

3. *Viuo ego in æternum, dicit Dominus* Daniel 6. *Ipſe eſt Deus viuens æternus in ſæcula.* 1. Timoth. 6. *Solus habet immortalitatem.*

Conſtat 2. ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. 1. vbi ſtatuitur firma fide credendum eſſe quòd ſolus Deus ſit æternus.

Eadem veritas à SS. Patribus aſſeritur; inter quos Iſidorus Peluſiota lib. 3. epiſt. 149. hanc optimè explicat his verbis: *Æternitas velut ſempiterna vitalitas eſt: ideo de ſola ea natura quæ initij eſt expers, & eodem modo ſe habet, vſurpari conſueuit. Etenim immortale de eo quoque, quod cùm ortum habuerit, minimè tamen morietur, hoc eſt, Angelo & anima, pronunciari poteſt: atque item incorruptibilem de ijs quæ facta ſunt, ſed corruptione ſunt omni potiora. At æternum propriè diuinæ ſoli eſſentiæ conuenit.*

Ex dictis colligitur, non tantùm Deum eſſe æternum, æternitatemque illius ſolius eſſe propriam; ſed etiam omnia illi in æternitate ſua eſſe præſentia. Quod melius explicare non poſſumus, quàm verbis Petri Damiani Opuſc. 36. c. 8. vbi ſic loquitur: *Omnipotenti itaque Deo non eſt heri, vel cras, ſed hodie ſempiternum: cui nihil defuit, nihil accidit, cui nihil eſt varium, nihil à ſe diuerſum. Illud hodie, æternitas eſt incommutabilis, indefectiua, inaccesſibilis; cui videlicet nihil addi, nihil valet imminui. Et omnia quæ apud nos elabendo diſcurrunt, aut per temporum viciſſitudines ſe variant, apud illud hodie ſtant, & immobiliter perſeuerant. In illo ſcilicet hodie dies ille adhuc immobilis eſt, in quo mundus iſte ſumpſit originem: in illo iam & ille nihilominùs eſt, quo iudicans eſt per æterni iudicij æquitatem.*

SECTIO VI.

An, & qua ratione Deus ſit vbique præſens.

1 CVM duo ſint, quæ rem quamlibet exiſtentem neceſſariò conſequantur; ſcilicet duratio & locus: Et quidquid eſt, aliquando & alicubi eſſe oporteat, illudque nihil eſſe dicatur: quod nunquam & nuſquam exiſtit: ideo poſt conſiderationem æternitatis, quam ad inſtar durationis in Deo concipimus, agendum eſt de perfectione illa, per quam ipſe rebus creatis præſens eſſe concipitur 3. quæ quidem à Theologis immenſitas vocatur.

Dicendum eſt igitur Deum, per illam ſuam immenſitatem, vbique realiter præſentem eſſe. Eſt de fide.

Et probatur 1. ex Scripturis Ierem. 23. *Cælum & terram ego impleo.* Pſal. 138. *Si aſcendero in Cælum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades.* Act. 17. *Non longè eſt ab vnoquoque noſtrum: in ipſo enim viuimus, mouemur & ſumus.*

Probatur 2. ex S. Athan. in ſymbol. *Immenſus Pater, immenſus Filius, immenſus Spiritus ſanctus.* Et S. Auguſt. lib. 5. de Trinit. cap. 1. *Deus vbique eſt, ſine vllo ſitu præſens, ſine habitu omnia continens, ſine loco vbique totus.*

Probatur 3. quia, ſi Deus realiter vbique non eſſet, ſed ab aliquibus locis abeſſet (vt quidam hæretici dixerunt) ſequeretur eum non eſſe in omni genere perfectionis infinitum: deeſſet enim illi præſentia in aliquo loco, quæ eſt quædam perfectio. Sequeretur præterea eum moueri poſſe de loco in locum, quod eſt abſurdum, & eius immutabilitati repugnans.

2 Iam quod ſpectat ad modum, quo Deus vbique eſſe concipitur: cùm res creatæ duobus tantùm modis dici poſſint eſſe alicubi; vel circumſcriptiuè cùm ſcilicet totum toti loco, & partes totius loci partibus reſpondent; vel definitiuè, cùm totum in toto loco eſt, & totum in qualibet parte loci; ſicut in corpore hominis ineſt anima, Deus neutro ex his duobus modis dici poteſt rebus creatis eſſe præſens.

Non circumſcriptiuè 3. cùm non conſtet partibus, quæ diuidi aut extendi poſſint: Vnde S. Auguſt. Epiſt. 57. ad Dardanum; *In eo ipſo*, inquit, *quod dicitur Deus vbique diffuſus, carnali reſiſtendum eſt cogitationi, ac mens à corporis ſenſibus euocanda: ne quaſi ſpatioſa, magnitudine, opinemur Deum per cuncta magnitudine diffundi.*

Nec etiam definitiuè, cùm eius præſentia nullo definiatur loco: Ita vt dicendum potiùs ſit (vt notat Boetius lib. de Trinit.) quod Deo locus omnis ſit præſens, quam quod Deus ſit in vllo loco.

Cùm igitur neutro ex his duobus modis Deus præſens ſit, & tamen verè ac realiter vbique ſit; reſtat vt alio quodam longè perfectiori modo, licet inexplicabili illum vbique eſſe concipiamus.

De illo autem diuinæ immenſitatis inexplicabili modo variè loquuntur SS. Patres, Sanctus Gregor. lib. 16. Moral. c. 15 dicit quod *incircumſcriptus Dei Spiritus omnia intra ſemetipſum habet; quæ tamen & implendo circumdat, & circumdando implet, & ſuſtinendo tranſcendit, & tranſcendendo ſuſtinet* S. Ioannes Damaſc. lib. 1. de Fide cap. 8. vocat diuinitatem, *Implentem omnia, & à nullo comprehenſam; ſed potiùs amplectentem omnia, & continentem: & ſuprà eminentem, & ſine vlla inquinatione ſubſtantijs omnibus inſiſtentem & vltra omnia.* Petrus Damianus Opuſc. 36. *Ipſe Deus*, inquit, *manet ſuper omnia, ipſe infra omnia, ipſe intra omnia, ipſe extrà omnia: ſuperior per potentiam, inferior per ſuſtentationem, interior per ſubtilitatem, exterior per magnitudinem.*

3 Quærunt hîc aliqui, an Deus ſit extrà huius mundi ambitum in ſpatijs imaginarijs, quæ illic eſſe concipiuntur.

Reſpondetur breuiter, Deum non eſſe in illis ſpatijs, tanquam in locis realibus; cùm ibi nulla ſit ſubſtantia, nullum accidens, ſed merum inane, nec etiam huius mundi terminis eius immenſitatem definiri. Ac proinde concipere debemus Deum extra mundum eodem modo eſſe, quo fuit antequàm ipſum è nihilo crearet mundum: *vbi erat Deus* (inquit S. Bernardus libro 5. de conſid. cap. 6.) *antequam mundus fieret? vbi nunc eſt. Non eſt quod quæras vltrà, vbi erat: præter ipſum nihil erat, ergo in ſeipſo erat.*

SECTIO VII.

An Deus ſit in omni genere perfectionis infinitus.

1 QVONIAM diuinarum perfectionum nec numerus, nec finis eſt; omnia quæ de illis dici poſſunt, vno verbo concludemus, ſi dixerimus, Deum eſſe in omni genere entis & perfectionis infinitum.

Eſt de fide: & vt ſic, definitum eſt in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. 1.

Prætereà probari poteſt ex Scripturis Pſal. 144. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, magnitudinis eius non eſt finis.* Baruc. 3. *Magnus eſt, & non habet finem: excelſus & immenſus.*

Probatur 3. ex S. Dionyſio lib. de Diu. Nom. cap. 6. *Magnus eſt Deus, & ſupra omnem magnitudinem, & omnem tranſiliens infinitatem.* Et S. Damaſceno lib. 1. de Fide cap. 4. *Deus infinitus eſt, & incomprehenſibilis; & hoc vnum poteſt de illo comprehendi, quod ſit incomprehenſibilis & infinitus.*

Illud prætereà conſtat ex eo, quod, Deus omnes & quaſcumque perfectiones habet à ſe, & independenter à quouis alio: vnde ſequitur quod nullam in illis limitationem habeat, cùm limitatio effectuum à voluntate aut impotentia cauſarum, à quibus procedunt, oriatur.

Confirmari etiam poteſt ex eo, quòd cùm Deus ſit eſſentialiter ens primum non modo in eſſendo, ſed etiam in cauſando; hinc ſequitur debere in illo contineri omnes & quaſcumque perfectiones, illarumque omnes & quoſcumque gradus qui in infinitum multiplicari poſſunt.

CAPVT III.

De Scientia Dei.

SECTIO I.

An ſit in Deo ſcientia, & qualis illa ſit.

1 NOMINE ſcientiæ hic non intelligimus illam, quæ vulgò à Philoſophis definitur, cognitio rei per cauſas: ſed in genere, perfectam, certam & claram cognitionem cuiuslibet veritatis, ſeu cuiuslibet rei cognoſcibilis. Et eo ſenſu, de fide eſt in Deo eſſe ſcientiam.

Hoc manifeſtè pluribus in locis Scripturæ teſtatur. Heſter 14. *Domine qui habes omnem ſcientiam.* Ad Rom. 11. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei!*

Non hic opus plura Scripturæ vel ſanctorum Patrum proferre teſtimonia, in aſſerenda tam clara & perſpicua veritate: cùm nulli dubium ſit quin Deus maxima & perfectiſſima intelligentia & ſcientia præditus ſit.

Reſtat igitur videndum, qualis ſit illa Dei ſcientia, quod vt à nobis vtcumque intelligatur, obſeruandum eſt, ſcientiam illam diuinam ab humana longè diuerſam eſſe. Vnde per Iſaiam cap. 55. dixit Deus: *Non ſunt cogitationes meæ cogitationes veſtræ, &c.* Et S. Auguſt. lib. 2. ad Simplicianum, quæſt. 2. *Cum dempſero,* inquit, *ab humana ſcientia mutabilitatem, & tranſitus quoſdam à cogitatione in cogitationem, &c. Cum hæc cuncta detraxero & reliquero ſolam viuacitatē certæ atq; inconcuſſæ veritatis, vna atq; æterna contemplatione cuncta colluſtrantis: imò non reliquero (non enim hoc habet humana ſcientia) ſed pro viribus cogitauero: inſinuatur mihi vtcumque ſcientia Dei.*

2 Cùm autem in humana ſcientia tres præſertim defectus reperiantur: 1. quòd ſit accidentalis. 2. quòd ab obiecto ſuo pendeat, & à rebus ipſis hauriatur. 3. quod varia ſit & multiplex: cum multis rationibus, demonſtrationibus & argumentis conſtet; ac prætereà pro varietate obiectorum cognitorum etiam in ſe varietur. Dicendum eſt nullum horum defectuum in ſcientia Dei reperiri, imò perfectiones oppoſitas illi ineſſe.

Primò enim ſcientia Dei non eſt accidentalis, ſed eſt ipſa Dei ſubſtantia. Cùm enim (vt ex antedictis conſtat) nulla in Deo

com-

compoſitio eſſe poſſit, nihilque in eo ſit niſi ſimpliciſſima & perfectiſſima ſubſtantia: Et aliunde certum ſit in illo ſcientiam & intelligentiam reperiri. Inde ſequitur ſcientiam & intelligentiam Dei non eſſe aliud, quàm ipſam Dei ſubſtantiam. Vnde Syneſius lib. de inſomniis, *Deo*, inquit, *ſola ad cognoſcendum natura ſatis eſt.*

Secundò ſcientia Dei non hauritur à rebus quas cognoſcit: ſed ipſe Deus omnia in ſeſe, & in natura ſua cognoſcit. Vnde S. Ambroſ. tract. in ſymbolum cap. 1. *licet*, inquit, *omnia cœleſtia & terreſtria, ac minima quæque perſpiciat Deus: nihil tamen extra ſe intelligere, ſed ſingula in ſe intueri dicitur.* Et S. Dionyſius lib. de Diuinis Nom. cap. 7. *Non ex ijs quæ ſunt*, inquit, *eaque ſunt addiſcens, nouit diuina mens: ſed ſeipſa, & in ſeipſa ſecundùm eam ſcientiam, quæ omnium cauſa, &c. non ſecundùm exemplar intentus ſingulis, ſed ſecundùm vnicam cauſæ præſtantiam, omnia cognoſcens.* Vnde S. Thom. 1. part. quæſt. 14. art. 6. ex eo quòd Deus perfectè comprehendit ſuam eſſentiam, tanquam primam & neceſſariam omnium rerum creatarum cauſam, concludit Deum, in ea ſic cognita, cognoſcere omnes creaturas: cùm ad perfectam comprehenſionem alicuius cauſæ requiratur, vt in ea ſic cognita, omnes eius effectus cognoſcantur.

Tertiò denique ſcientia Dei non eſt multiplex, nec varia, aut mutabilis, ſed vna & ſimpliciſſima: Deuſque vnico & ſimpliciſſimo intuitu omnia ab æterno cognoſcit: & eodem ſemper, ac inuariabili modo cognoſcit: Cùm enim ſcientia Dei (vt dictum eſt) ſit eius ſubſtantia: & illa ſit vnica & ſimpliciſſima, ac in ſe omninò immutabilis: ſequitur, vt & de ſcientia eius idem omninò dici debeat. Vnde S. Auguſt. lib. 11. de Ciuit. cap. 10. explicans, quo ſenſu in Scriptura Spiritus diuinæ intelligentiæ dicatur multiplex; *Cæterum*, inquit, *dictus eſt in Scripturis ſanctis Spiritus Sapientiæ multiplex, eo quòd multa in ſe habeat: Sed quæ habet, hæc & eſt, & ea omnia vnus eſt. Neque enim multæ, ſed vna ſapientia eſt, in qua immenſi quidem ſunt atque infiniti rerum intelligibilium theſauri.* Et Petrus Damianus Opuſ. 36. capite 7. *Deo* inquit, *nec nouum aliquid abeo per temporis momenta recedit. Sed nec diuerſis obtutibus, diuerſa conſiderat; vt cum intendit præteritis, vacet à præſentibus, vel futuris: vel rurſus cum præſentia ſiue futura conſiderat, oculos à præteritis auertat: ſed vno duntaxat ac ſimplici præſentiſſimæ maieſtatis intuitu ſimul omnia comprehendit; neque hoc confusè atque inexplicitè; ſed omnia diſcernit, ac iuxta proprietatem ſuam quæque diſtinguit.*

SECTIO II.

Quodnam ſit obiectum Scientiæ diuinæ, ſeu quaſnam res Deus cognoſcat.

1 CERTVM eſt 1. Deum ſe per ſuam eſſentiam perfectiſſimè intelligere & cognoſcere.

Quæ ſunt Dei (inquit Apoſtolus 1. Corinth.2.) *nemo nouit, niſi Spiritus Dei, qui in ipſo eſt.* Et certè, ſi Deus aliquid intelligit & cognoſcit, vt certiſſimum eſt; nullum excellentius nec dignius habere poteſt obiectum intelligentiæ ac cognitionis ſuæ, quàm ſeipſum, vt per ſe patet.

Certum eſt 2. Deum ſe non ſolùm perfectiſſimè intelligere, ſed etiam comprehendere.

Id patet ex citato Apoſtoli loco, vbi dicitur quod *Spiritus Dei ſcrutatur omnia, etiam profunda Dei.* Id etiam probat S. Thom. 1. part. quæſt. 14. art. 3. ex eo quòd Deus tam perfectè cognoſcit ſeipſum, quàm eſt in ſe cognoſcibilis; quia tanta eſt virtus Dei in cognoſcendo, quanta eſt ejus actualitas in exiſtendo: Vnde ſequitur quòd ſe comprehendit. Rem enim aliquam comprehendere, nihil eſt aliud, quàm illam tam perfectè cognoſcere quàm eſt cognoſcibilis.

2 Certum eſt 3. Deum cognoſcere omnes alias res à ſe diſtinctas, non tantùm vniuerſim & in genere, ſed etiam ſigillatim & in particulari.

Hoc euidenter conſtat ex Scriptura. Iob. 28. *Ipſe fines mundi intuetur, & omnia quæ ſub cælo ſunt reſpicit.* Pſal. 49. *Meæ ſunt omnes feræ ſyluarum, iumenta in montibus & boues; cognoui omnia volatilia cæli*: præſertim verò teſtantur Scripturæ Deum diſtinctè cognoſcere actiones, verba, & cogitationes vniuſcuiuſque hominum; Pſal. 138. *Domine, probaſti me & cognouiſti me, &c. Intellexiſti cogitationes meas de longe.* Iob. 31. *Nonne ipſe conſiderat vias meas, & cunctos greſſus meos dinumerat?* Hebr. 4. *Pertingit vſque ad diuiſionem animæ ac Spiritus, &c. & non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius &c.*

Probatur inſuper eadem veritas ex eo quod nihil eſt omnino in rebus creatis, ad cuius productionem & conſeruationem Deus, vt cauſa prima, concurrere non debeat: vnde ſequitur nihil eſſe omnino quod Deus perfectè non cognoſcat. Vt enim ait S. Aug. lib. 5. de Gen. ad lit. cap. 15. *Sufficere debet, vt quiſque nouerit, vel inconcuſsè credat quod Deus hæc omnia fecerit, non enim opinor eum eſſe tam excordem; vt Deum, quæ non nouerat, feciſſe arbitretur.*

Et quamvis ea ratio non probet Deum cognoſcere peccata: cùm ſint priuationes potiùs quàm entia, nec ad ea, vt forma-

liter

liter peccata ſunt, Deus vllo modo concurrat: conſtat tamen ex varijs ſcripturæ locis, illa diſtinctè à Deo cognoſci, quocumque tandem modo illa cognoſcat. Pſal. 18. *Delicta mea à te non ſunt abſcondita.* Et Pſalm. 50. *Malum coram te feci.* Pſ. 138. *Imperfectùm meum viderunt oculi tui.*

3 Certum eſt 4. Deum res omnes cognoſcere, non tantum cum ſunt actu exiſtentes, ſed etiam antequam exiſtant.

Daniel 13. *Deus æterne, qui noſti omnia antequàm fiant.* Eccleſiaſtici 42. *Deus nouit omnem ſcientiam, annuncians quæ præterierunt, & quæ ſupereuentura ſunt.* Vnde S. Auguſt. optimè dixit lib. 5. de ciuit. cap. 9. *Confiteri eſſe Deum, & negare præſcium futurorum apertiſſima inſania eſt.*

Certum eſt 5. cognitionem Dei extendere ſe ad illas etiam res quæ nunquam exiſtent, & quæ ſunt purè poſſibiles.

Cùm enim ſe perfectè comprehendat, vt dictum eſt: nec poſſit cauſa aliqua perfectè comprehendi, quin cognoſcantur effectus omnes ab illa producibile: hinc ſequitur Deum cognoſcere omnia, quæ ab omnipotentia ſua, tanquam à cauſa effectrice dimanare poſſunt. Vnde dicitur Ro. 8. quod *vocat ea quæ non ſunt, tanquã ea quæ ſunt.*

Cùm igitur hæc certa ſint, & indubitata fide tenenda, duo ſunt, quæ aliquam difficultatem reperiunt. Primum eſt, quomodo Deus cognoſcat futura contingentia. Secundum, an etiam cognoſcat futura conditionata. Et de his in ſequentibus ſectionibus agetur.

SECTIO III.

Quomodò Deus cognoſcat futura contingentia.

1 QVÆSTIO præſertim intelligenda eſt de actionibus liberis creaturarum rationabilium: quæ ideò dicuntur futuræ contingentes, quòd non pendeant à cauſis neceſſarijs, ſed liberis & indeterminatis, & pro illarum libito poſſint eſſe vel non eſſe.

Huius autem quæſtionis difficultas in duobus conſiſtit. Primum eſt, quomodo infallibilitas & certitudo diuinæ cognitionis, cum illarum rerum contingentia ſubſiſtere valeat. Secundum, quomodo libertas & indifferentia creaturarum rationabilium, à quibus pendent eiuſmodi effectus contingentes, cum infallibilitate & certitudine diuinæ præſcientiæ poſſit concordari. Pro quorum reſolutione,

Dicendum 1. Deum cognoſcere omnia futura contingentia libera. Hæc veritas de fide eſt.

Et plurimis Scripturæ teſtimonijs probari poteſt; vt ex ijs, in quibus Chriſtus Dominus dicitur præſciuiſſe & prædixiſſe multa,

quæ futura erant, & quæ tamen a cauſis liberis & indeterminatis pendebant; qualis eſt trina Petri negatio, Iudæ proditio, &c. Item ex ijs, in quibus res eiuſmodi futuræ contingentes, à Prophetis diuinitus inſpiratis prædictæ referuntur. Vt enim rectè dixit Tertullianus lib.2.cont. Marcion.capite 5. *Diuina præſcientia tot habet teſtes, quot fecit Prophetas*.

Dicendum 2. cognitionem illam, quam Deus habet de futuris contingentibus liberis, eſſe certiſſimam, & omnino infallibilem.

Hoc probari poteſt 1. ex illis omnibus Scripturæ locis, in quibus veritas, tanquam perfectio quædam eſſentialis, Deo tribuitur; imò & ipſe Deus veritas appellatur. Hæc enim diuina perfectio talis eſt; vt prorsùs impoſſibile ſit Deum vel falli poſſe in cognoſcendo, vel fallere in dicendo. Vnde ſequitur omnem cognitionem, quam habet de quocumque obiecto cognoſcibili, eſſe veriſſimam, certiſſimam & omnimodè infallibilem.

Probari 2. poteſt ex eo quod (vt ſuperius dictum eſt) SS. Patres communiter docent, Deo futura omnia eſſe ab æterno præſentia: ac proinde illum æquè certò ea cognoſcere, licet futura & contingentia, atque cognoſcit ea, quæ actu exiſtunt. Vnde S. Greg. lib. 20. Moral cap.23. *Ante Dei oculos*, inquit, *præterita nulla ſunt, præſentia non tranſeunt, futura non veniunt. Quippe quia omne quod nobis fuit & erit, in Dei proſpectu præſto eſt*. Et S. Auguſt. lib. 15. de Trinit. cap. 7. *Quis hominum* inquit, *poteſt iſtam capere ſapientiam, qua Deus nouit omnia: ita vt nec ea, quæ dicuntur futura, quaſi deſint, expectentur vt veniant: ſed & præterita, & futura, cum præſentibus ſint cuncta præſentia*.

3 Dicendum 3. præſentiam illam futurorum contingentium liberorum nullo modo libertati humanæ repugnare.

Huic veritati quæ de fide eſt, oppoſitus eſt error Vuiclephi: qui dicebat, quæ à Deo præſcita ſunt, ex abſoluta neceſſitate euenire.

Refellitur hic error (qui cum plurimis alijs in Concilio Conſtantienſi ſeſſ.8. damnatus eſt) & veritas aſſertionis noſtræ probatur 1. ex eo quòd in Scripturis ex vnâ habetur, Deum præſcire certiſſimè omnia; quæ liberè ab omnibus fiunt, antequàm fiant, vt ex antedictis conſtat: ex altera verò etiam habetur ea quæ ab omnibus fiunt ab eorum libera electione pendere; eſſe in eorum libera poteſtate; & ab illis ita liberè fieri, vt poſſint, ſi velint, ea non facere. Quod ex plurimis Scripturæ locis probari poteſt, vt Geneſ. 4. vbi Deus ſic alloquitur, & admonet Cain, cum fratris ſui cædem meditaretur: *Nonne ſi benè egeris, recipies: ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit? ſed ſubter erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*. Et Eccli. 15. dicitur quòd *Deus reliquit hominem*

nem in manu conſilij ſui, &c. ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi. 1. Corinth. 7. *Nam, qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis*, &c.

Probatur 2. ex S. Hieron. in cap. 26. Ieremiæ, vbi explicans hæc verba Prophetæ; *Noli ſubtrahere verbum ſi fortè audiant*: ſic loquitur: *noſtro Dominus loquitur affectu, vt liberum homini ſeruetur arbitrium; nec ex præſcientia eius, quaſi ex neceſſitate, vel facere quid, vel non facere cogatur. Non enim ex eo quòd Deus ſcit futurum aliquid, ideò futurum eſt, ſed quia futurū eſt, Deus nouit, quaſi præſcius futurorū.* Et S. Aug. lib. 5. de Ciu. c. 10. *Quocircà nullo modo cogimur, aut retenta præſcientia Dei tollere voluntatis arbitrium; aut retento voluntatis arbitrio Deum (quod nefas eſt) negare præſcium futurorum: ſed vtrumque amplectimur, vtrumque fideliter & veraciter confitemur.* Et lib. 3. de libero arbit. cap. 4. *Sicut*, inquit, *tu memoria tua, non cogis facta eſſe, quæ præterierunt; ſic Deus præſcientia ſua non cogit facienda, quæ futura ſunt.*

Probatur 3. ratione qua vtitur S. Auguſt. lib. cit. c. 3 quæ ſic proponi poteſt. Futura contingentia illa eodem modo reipſa futura ſunt, quo à Deo per præſcientiam futura cognoſcuntur. Atqui cognoſcuntur futura liberè: neque enim præſcientia Dei deſtruit voluntatis noſtræ naturam, quæ (vt ait ſanctus ille Doctor) *voluntas non eſſet, niſi eſſet in noſtra poteſtate*: Ergo liberè futura ſunt. *Non igitur*, inquit ille, *per Dei præſcientiam mihi poteſtas adimitur, quæ præterea mihi certior aderit; quia ille cuius præſcientia non fallitur, adfuturam mihi eſſe præſciuit.*

Confirmatur ex eo quod (vt ait S. Chryſoſtom. hom. 60. in Matth. explicans illud: *Neceſſe eſt vt veniant ſcandala*) non ideò futura eueniunt, quia Deus euentura præſciuit: ſed quia euentura erant, ideo illa præſciuit.

4 Neque dicas hinc ſequi cognitionem Dei ſuam ab obiecto certitudinem accipere. Hęc enim cognitionis diuinæ certitudo non ab objecto, ſed ab infinita vi & perfectione intellectus diuini deriuatur, quamuis veritas objecti ab illo cogniti, ſit conditio, ſine qua ab illo non cognoſceretur.

Obijcies. Quidquid Deus præſciuit faciendum, illud neceſſariò fiet; aliàs præſcientia Dei certa non eſſet. Atqui præſciuit Deus, v. g. Antichriſtum peccaturum. Ergo neceſſariò peccabit Antichriſtus.

Ad huius objectionis ſolutionem, duplex diſtinguenda eſt neceſſitas: alia enim eſt antecedens; alia conſequens. Antecedens eſt illa, quæ oritur ex cauſa antecedente, & neceſſariò operante; poſita enim tali cauſa, neceſſariò ſequitur effectus. Conſequens verò

neceſ-

n ceſſitas eſt illa, quæ oritur ex ſola poſitione effectus, et ſi à cauſa libera proueniat.

Hoc poſito, ad majorem objectionis declarationem reſpondetur cum diſtinctione: Cùm enim in ea dicitur, illud, quod Deus præſciuit faciendum à cauſa libera, fieri neceſſariò debere: ſi de neceſſitate antecedente ſermo ſit; negatur, ſi de conſequente, conceditur. Verùm hæc neceſſitas (vt per ſe patet) nullo modo libertati præiudicat; cum ideò tantùm aliquid faciendum neceſſariò dicitur, quia re vera fiet, licet liberè fiat: ſicut de eo, quod iam factum eſt, poteſt dici quòd neceſſariò factum eſt: hoc eſt, quòd fieri non poteſt quin factum ſit, quamuis liberè factum ſit.

SECTIO IV.

An Deus cognoſcat futura conditionata.

1 ILLA dicuntur conditionata, quæ reipſa nunquam exiſtent: ſed tamen, quæ liberè exiſterent: id eſt, ab aliqua cauſa libera fierent, ſi certa aliqua conditio poneretur. Et de talibus quæritur, an Deus futura illa conditionata cognoſcat.

Vt autem ea, quæ dicenda ſunt, clariùs intelligantur: ſupponendum eſt quòd licet ſcientia Dei ſit in ſe ſimpliciſſima, & maximè vna: nihilominùs ſecundùm diuerſam habitudinem, quam concipimus habere ad ſua objecta, communiter à Theologis diuidi ſolet in eam quæ dicitur ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & eam, quæ ſcientia viſionis appellatur.

Scientia viſionis dicitur ea, qua Deus cognoſcit res quæ in aliqua differentia temporis exiſtentiam habent, vel habuerunt, aut habituræ ſunt.

Scientia verò ſimplicis intelligentię eſt, qua cognoſcit res omnes, quoquo modo eſſe poſſint; ſiue reipſa aliquando futuræ ſint, ſiue non.

Hæc vtraque ſcientia alijs nominibus aliquando appellatur. Scientia enim ſimplicis intelligentiæ dicitur ſcientia neceſſaria: quia fieri non poteſt quin creaturæ omnes, reſpectu diuinæ omnipotentiæ, ſint poſſibiles: proinde neceſſarium eſt illas à Deo vt tales cognoſci. Scientia verò viſionis vocatur ſcientia libera, eò quòd ſupponit in Deo decretum liberum producendi creaturas, & ad illarum exiſtentiam & operationes concurrendi.

2 Præter hanc duplicem ſcientiam Dei, alteram adhuc Theologi plerique aſſignant, quam vocant mediam, qua Deus cognoſcit res illas contingentes & liberas: quæ quidam nunquam futuræ ſunt: ſed tamen quæ, ſi certa aliqua conditio poneretur, eſſent futuræ.

Et de hoc quidem tertio genere ſcientiæ, maxima eſt inter Theologos controuerſia; alijs pro parte affirmatiua magno ardore certantibus, alijs non minori conatu eam oppugnantibus. Nos hîc, prout propoſitum nobis eſt, & ratio compendij poſtulat, ea tantum proponemus, quæ tanquam certa & indubitata tenenda ſunt; reliquis omnibus, quæ inter Theologos controuertuntur, cuiuſque iudicio & arbitrio permiſſis.

Dicendum eſt igitur Deum certò & infallibiliter cognoſcere omnia illa futura contingentia conditionata; ſeu (quod idem eſt) Deum ab æterno præuidiſſe, quid Angeli vel homines liberè facturi eſſent; ſi in tali, vel in tali rerum ordine, cum his, aut illis circumſtantijs, collocarentur.

Probatur 1. ex authoritate Scripturæ, quæ varijs in locis teſtatur, Deum prædixiſſe res quaſdam euenturas eſſe ſi aliqua conditio poneretur: quæ tamen, cum poſita non fuerit, res illæ non euenerunt. Vnde ſequitur Deum certò & infallibiliter cognouiſſe eiuſmodi res, quæ non extiterunt, verè futuras fuiſſe, ſi talis conditio poſita fuiſſet. Ita habetur in libro primo Reg. cap. 21. vbi duo futura conditionata fuerunt diuinitùs Dauidi reuelata. Nempè quòd, ſi maneret in vrbe Ceyla, Saul Rex deſcenſurus eſſet ad obſidendam Vrbem. Et quòd, ſi Saul vrbem illam obſideret, incolæ illius tradituri eſſent ipſum Dauidem in manus Saulis. Quorum tamen neutrum euenit, quia conditio defuit: Dauid enim ibi non remanſit, ſed accepto diuino illo oraculo inde ſine mora diſceſſit. Idem patet ex S. Matth. cap. 11. vbi Chriſtus teſtatur Tyrios & Sydonios pœnitentiam fuiſſe acturos, ſi apud eos ea miracula edidiſſet, quæ in Iudæa patrauerat.

Probatur 2. ex S. Auguſt. lib. de corrept. & gratia, cap. 8. vbi ex his verbis Sap. 4. *Placens Deo factus eſt dilectus, & viuens inter peccatores, translatus eſt: raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius, &c.* colligit prædeſtinatos ſingulari Dei beneficio ex hac vita, morte immatura ſubtrahi; quos, ſi diutiùs viuerent, in peccatum lapſuros, & ex inde gratia & ſalute priuandos fore præſciuit. Vnde ſequitur Deo notum fuiſſe id quod reuerà non contigit, contigiſſet autem certiſſimè, ſi vita illorum longiùs producta fuiſſet. S. item Greg. Nyſſen. in orat. de infantibus, qui præ natura morte rapiuntur, ſic loquitur: *Conſentaneum eſt, ab illo, qui peræquè futurum nouit, ac præteritum, prohiberi paruuli progreſſionem ad perfectam ætatem, ne malum illud, quod præſciens illa vis & facultas cognouerit, in eo qui victurus eſſet, ita perficiatur, eique materia nequitiæ vita fiat.*

Probatur 3. ratione; Nam ſcientia Dei non eſſet vndequaque perfecta, niſi omne verum attingeret. At non attingeret omne verum,

niſi

niſi futura conditionata cognoſceret; cùm hæc non minùs vera ſint; quàm quæ abſolutè futura ſunt, imò priùs ſecundùm rationem, futurum contingens ſit verùm conditionatè, quàm abſolutè: nam ſi verum eſt, quod Petrus poſitus in talibus circumſtantijs peccat; certè, antequam in his poſitus eſſet, verum erat, quod ſi in ijs poneretur, peccaret.

3 Quod autem ſpectat ad id, quod aliqui Theologi dicunt nihil eſſe futurum, ſiue abſolutè, ſiue ſub conditione, niſi dependenter à decreto aliquo ipſius Dei, quo efficaciter vult prædeterminare creaturam quamcumque, etiam liberam ad agendum: & per quod proinde cognoſcit futura ſub conditione, atque ita hanc cognitionem non ſpectare ad ſcientiam illam conditionatam ſeu mediam, ſed potiùs ad ſcientiam liberam, certè magnam id recipere videtur difficultatem. Si enim hoc verum eſſet, ſequeretur Deum fore cauſam peccati; v. g. in illa prædictione ſuprà ex lib. 1. Reg. relata, ſenſus illius eſſet, Deum fficaciter decreuiſſe aut decreturum fuiſſe, vt Saul contra ius faſque ad necem Dauidem quæreret, & eo animo vrbem, in quam confugerat, obſideret. Præterea exprobratio Chriſti ſuprà relata contra Iudæos per comparationem Tyriorum & Sydoniorum cum ipſis, videretur parùm rationi conſentanea: potuiſſent ſi quidem Iudæi reſpondere, non mirum eſſe, quod Tyrij in occaſione ibi declarata eſſent conuertendi: quia vi decreti alicuius diuini auxilia quædam efficacia & ineluctabilia erant accepturi, quibus ipſi carere debebant, & ſine quibus pœnitentiam agere non poterant. Quæ omnia & plura alia ſimilia, quæ hìc in vtramque partem dicenda forent, ex ijs quæ in tractatu de Gratia explicanda ſunt, pleniùs intelligentur.

SECTIO V.

An aliquæ rerum creatarum Ideæ in Deo ſint.

1 SVPPONENDVM eſt nomen Ideæ nihil aliud ſignificare, quàm formam illam, ſeu ſpeciem intelligibilem exiſtentem in intellectu artificis, ad quem ille reſpiciens operatur: vnde & deriuatur à verbo εἴδω quod eſt videre. Quia ſcilicet idea eſt veluti exemplar, quod artifex in agendo reſpicit & intuetur, vt ſimilem ei effectum exprimat. Hoc ſuppoſito,

Dicendum eſt 1. in mente diuina eſſe ideas omnium creaturarum.

Probatur 1. ex Scriptura ad Hæbr. 11. *Fide credimus apta eſſe ſæcula verbo Dei, vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent*; hoc eſt, v

iuxta inuiſibile exemplar, quod eſt in mente Dei fierent hæc viſibilia. Ita hunc locum explicat Hugo Card. & alij. S. Ioan. cap 1. *Quod factum eſt, in ipſo vita erat*: hoc eſt, vt explicat S. Auguſt. tract. 1. In S. Ioan. quod factum eſt extra Deum, erat viuens in Deo, ſecundùm rationem & ideam ipſius in diuina mente ab æterno exiſtentem.

Probatur 2. ex eodem S. Auguſt. lib. 12. de Ciuit. cap. 20. vbi poſtquàm dixit in ſapientia diuina eſſe inuiſibiles atque incommutabiles rationes rerum, etiam viſibilium & mutabilium, quæ per illam factæ ſunt, hanc affert dicti ſui rationem: *Quoniam Deus non aliquid neſciens fecit, quod nec de quolibet homine artifice rectè dici poteſt. Porrò, ſi ſciens fecit omnia, ea vtique fecit nouerat, &c.*

2 Dicendum 2. ideas diuinas non eſſe aliquid diſtinctum ab eſſentia Dei, ſed eſſe ipſammet eſſentiam diuinam vt cognitam ab ipſo Deo, tanquàm eminenter in ſe rerum omnium perfectiones continentem, ac proinde tanquàm id, ad cuius imitationem res omnes ab ipſo produci poſſunt. Ita Sanctus Thomas 1. part. quæſt. 15. art. 2.

Ratio eſt quia, cùm ex antedictis conſtet eſſentiam diuinam eſſe ſimpliciſſimam, & nihilominus in ea rerum omnium perfectiones eminenter contineri, hinc ſequitur ideas non eſſe aliquid diſtinctum ab eſſentia diuina, illamque eſſentiam poſſe optimè, & perfectiſſimè tenere rationem ideæ in mente diuina; ad productionem cuiuslibet creaturæ quantumcumque perfectæ; cum in ea cuiuslibet perfectionis exemplar abſolutiſſimum reperiatur.

CAPVT IV.

De voluntate Dei.

SECTIO I.

An ſit in Deo voluntas, & qualis.

1 DICENDVM 1. in Deo verè & propriè eſſe voluntatem. Hoc euidenter conſtat ex Scriptura, S. Matth. 7. *Fiat voluntas tua.* Rom. 9. *Voluntati eius quis reſiſtit?*

Dicendum 2. voluntatem in Deo non eſſe ſicut in nobis, per modum potentiæ; ſed actum puriſſimum & ſimpliciſſimum, ſeu ipſam actualem volitionem diuinam.

Hoc

Hoc euidenter conſtat ex ijs quæ ſuprà dicta ſunt de ſimplicitate Dei, vbi probatum eſt in Deo nullam dari poſſe compoſitionem; daretur autem, ſi voluntas in eo eſſet per modum potentiæ.

Dicendum 3. voluntatem Dei, quamuis in ſe vnica & ſimpliciſſima ſit, eſſe tamen virtute,& ſecundùm noſtrum concipiendi modum multiplicem, ſecundùm varios reſpectus ad creaturas, & diuerſa circa illas decreta.

Hinc eſt quòd aliquando Scriptura in plurali numero de voluntatibus diuinis loquatur, vt Pſalm. 102. *Notas fecit Iſrael voluntates ſuas.* Eo ſenſu multiplex apud Doctores reperitur diuinæ voluntatis diuiſio.

Primò enim diuiditur in voluntatem ſigni, & voluntatem beneplaciti. Voluntas beneplaciti eſt ea, quà Deus vult aliquid, quia ita placet ipſi. Voluntas verò ſigni eſt ipſius diuinæ voluntatis declaratio per aliqua ſigna externa, quæ communiter à Theologis quinque numerantur, ſcilicet præceptum, prohibitio, conſilium, permiſſio, & operatio. Quando enim Deus aliquid iubet, ſignum eſt, quod velit illud fieri; & è contrà quando prohibet, quod nolit: ſimili modo cùm aliquod conſilium dat, ſignum eſt id quod conſulitur, illi placere: quando verò aliquid permittit, ſignum eſt, nolle impedire, cùm poſſet ſi vellet: denique quando operatur, ſiue per ſe ſolum, ſiue cum cauſa ſecunda, ſignum eſt velle id, quod ipſe agit; aliàs ſi nollet, non ageret. Vnde S. Anſelm. dixit in libello de voluntate Dei: *Appellari Dei voluntatem, quidquid in nobis ipſe miſericorditer operatur.* Et S. Auguſt. in Enchirid. cap. 9. *Nihil fit quod omnipotens non velit, vel ſinendo vt fiat, vel faciendo.*

Secundò diuiditur in voluntatem antecedentem & conſequentem, quæ diuiſio deſumitur ex S. Damaſc. lib. 2. de Fide cap. 29. Vbi per voluntatem antecedentem, intelligit eam quà Deus vult ex ſe aliquid, nulla ad id volendum ratione inductus ex parte creaturæ. Et de hac voluntate intelligit illud dictum Apoſtoli 1. Tim. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*, Per conſequentem verò intelligit eam voluntatem, quà Deus vult aliquid, aliquà ratione ad id volendum inductus ex parte creaturæ. Et hac voluntate dicit Deum velle punire peccatores propter ipſorum peccata.

Tertiò diuiditur in voluntatem abſolutam & conditionatam. Voluntas abſoluta eſt ea, quæ ſemper impletur, ideò vocatur etiam efficax. De ea intelligitur illud Eſther 13. *Non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ.* Conditionata verò ea, quæ ad hoc vt impleatur, aliquam conditionem adiunctam habet: vnde non ſemper eſt efficax, cùm non ſemper ponatur ea conditio. Talis eſt ea voluntas

luntas v.g. qua Deus vult peccatores ad pœnitentiam reuerti: cum hac conditione tamen, ſi & ipſi gratiæ ſuæ cöoperari velint. Quo ſenſu dixit Chriſtus Dominus Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, &c. & noluiſti?*

4 Dices inde ſequi aliquam voluntatem otioſam & imperfectam in Deo reperiri: hanc v.g. qua vult omnes homines ſaluos fieri cum hac conditione, ſcilicet ſi & ipſi velint, & media conuenientia ad ſalutem amplectantur. Illa enim voluntas reſpectu reproborum otioſa eſt; cum effectum ſuum nunquam habitura ſit. Eſt etiam imperfecta; quia ſic potiùs dicenda eſſet velleitas quàm voluntas: hæc autem velleitas dicit impotentiam & defectum in voluntate.

Reſpondetur voluntatem conditionatam, illam v.g. qua Deus vult omnes homines ſaluos fieri, nec otioſam nec imperfectam dici poſſe: non otioſam; cùm ex ea ſequatur præparatio mediorum & auxiliorum, quæ dantur omnibus hominibus vt ſalui fiant quod ſupponimus ex tractatu de Gratia. Neque etiam imperfectam, cùm non ſit velleitas, ſed vera voluntas: non enim dicit Apoſtolus, quod Deus vellet, ſed quod vult omnes homines ſaluos fieri. Et in eo vera eſſe oſtenditur, quod per eam verè Deus mouetur ad illorum mediorum & auxiliorum præparationem.

SECTIO II.

Quænam ſint obiecta diuinæ voluntatis.

1 NON hìc agimus de primario & præcipuo diuinæ voluntatis objecto, quod eſt ipſe Deus: certum eſt enim naturaliter & neceſſariò Deum velle & amare ſeipſum; cùm ſit ſui ipſius ſummum bonum: nec vllam hæc veritas difficultatem recipit. Quæſtio eſt igitur de objectis externis & ſecundarijs diuinæ voluntatis. De quibus,

Dicendum 1. Deum amare omnes creaturas, quæ exiſtunt in aliqua differentia temporis.

Hoc maniſeſtè conſtat ex Scriptura. Sap. 11. *Diligis omnia, quæ ſunt; & nihil odiſti eorum quæ feciſti.* Deinde quia, ſicut ſe habet intellectus diuinus ad verum, ita voluntas diuina ad bonum. Sed diuinus intellectus fertur in omne verum, non ſolùm increatum, ſed etiam creatum, vt ſuprà oſtenſum eſt: Ergo & voluntas diuina in omne bonum, non tantùm increatum, ſed etiam creatum; quale eſt omne ens à Deo productum, iuxta illud Geneſ. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.*

Dicendum 2. Deum velle & amare omnes creaturas in ordine ad ſe, & propter ſeipſum.

Hæc veritas conſtat ex Scriptura, Prouerb. 16. *Vniuerſa propter*

ſemetipſum operatus eſt Dominus. Iſa.43. *Omnem,qui inuocat nomen meum,in gloriam meam creaui eum.* Deinde ex eo quòd,cùm Deus ſit omnium rerum vltimus finis,hinc ſequitur res omnes naturaliter in illum referri & ordinari debere: alioquin eſſet ordo inuerſus & præpoſterus.

Quando autem dicitur Deum creauiſſe omnia propter ſe,hoc intelligi non debet,quod Deus ijs indigeat. Verè enim Pſaltes regius Pſal.15. *Dixi Domino, Deus meus es tu;quoniam bonorum meorum non eges.* Sed vt in ijs ſapientiæ, bonitatis, ac potentiæ ſuæ opes oſtendat, gloriamque ſuam clariorem & illuſtriorem reddat.

Dicendum 3. Deum velle malum pœnæ,non præcisè vt malum eſt (*Nemo enim*,vt ait S.Dionyſ.de diu.nom.cap.4. *Intendens malum operatur*)ſed quatenùs bonum aliquod adiunctum habet.

Hoc conſtat ex Scriptura Iſai.45. *Ego Deus faciens pacem, & creans malum.* Ierem.26. *Adducam ſuper eos omne malum quod locutus ſum.* Denique certum eſt, & experientia nimis compertum, Deum velle omnes pœnalitates huius vitæ,& mortem ipſam,ratione peccati originalis,& etiam aliorum peccatorum actualium;tùm quia ipſius iuſtitię diuinæ ordo id exigit,tùm etiam quia aliquando ipſius hominis bonum ſpirituale id requirit.

3 Dicendum 4. Deum nullomodo velle malum culpæ; neque per ſe,neque per accidens.

Hæc veritas eſt de fide,cui oppoſitus eſt error hæreticorum noſtri temporis,qui eò impietatis deuenerunt,vt dicerent,Deum non modò permittere,ſed poſitiuè velle peccatum,vt in eo puniendo iuſtitiam ſuam oſtendat; & proditionem Iudæ æquè fuiſſe opus Dei, ac S.Pauli conuerſionem. Ita etiam olim ſenſerunt alij hæretici, vt teſtatur Vincentius Lirinenſis lib.1. aduerſus hæreſes capite 34. & Euſebius lib.5.hiſt.cap.20.

Refellitur hic error, & veritas aſſertionis noſtræ probatur, 1.ex Scriptura. Pſal.5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* S.Iac.c.1. *Deus intentator malorum eſt.*

Probatur 2.ex S.Ambroſio lib.de Cain.& Abel.cap.9. *Quantò grauius*,inquit,*peccato ipſo,ad Deum referre:quod fecerit & reatus tui inuidiam transfundere in Authorem, non criminis,ſed innocentiæ.* Et S.Auguſt.Epiſt.105. ad Sixtum: *Iniquitatem quam rectiſſima veritas improbat damnare nouit Deus,non facere.* S.Fulgent.lib.1. ad Monimum cap.13. *In Sanctis coronat Deus iuſtitiam, quam eis gratis ipſe tribuit,gratis ſeruauit,gratiſque perfecit: iniquos autem condemnabit,pro impietate vel iniuſtitia,quam in eis ipſe non fecit.*

Probatur 3.ratione qua vtitur S.Anſelmus in lib. de libero arbitrio cap.8.quia iuſta voluntas hominis eſt ea,qua vult id,quod Deus

vult

vult eam velle; iniuſta verò è contrario eſt ea, qua vult id, quod non vult Deus eam velle. Vnde ſequitur, quòd ſi Deus vellet hominem peccare, homo peccando non peccaret, ſimulque voluntas ejus iuſta & iniuſta foret: Iuſta, inquantùm conformis eſſet diuinæ voluntati, quâ Deus vellet illum peccare: iniuſta, inquantùm eidem voluntati repugnaret, quæ prohibet peccare.

Confirmatur ex eo quòd (vt dicit S. Ambr. lib. 1. Exameron. cap 8.) non alium ob finem Filius Dei in mundum venit, niſi vt tollat peccata mundi, & diſſoluat opera diaboli: qua ratione igitur fieri poteſt vt opera illa diaboli velit aſtruere, & ad peccata impellere & incitare?

4 Multa ex Scriptura ſolent obijcere hæretici, v.g. quod in ea dicatur Deum velle, vt fiant aliqua mala opera, & ad ea impellere; hominesque excæcare, & eorum corda indurare, vt nec poſſint benè agere.

Reſpondetur ijs omnibus & ſimilibus alijs loquendi modis, qui in Scriptura occurrunt, ſignificari tantum, vel Deum velle permittere peccata, quod ſapientiſſimè, & cum ſummis rationibus facere poteſt: vel iuſto iudicio ſuo velle ſubtrahere interdum hominibus peculiarem gratiæ ſuæ protectionem, vnde ſequitur eorum lapſus in peccata.

Plura ſuper hac re videri poſſunt apud Bellarm. tom. 4. lib. 2. de amiſſione gratiæ & ſtatu peccati c. 11. & ſequentibus. Et vniuerſim ad has & ſimiles diſſoluendas obiectiones è Scripturis petitas recurrendum eſt ad illud principium, de quo ſuprà in tractatu de fide, nempè veram & certam Scripturæ interpretationem, non à ſenſu particulari, ſed ab authoritate ipſius Eccleſiæ, & vnanimi Patrum conſenſu eſſe petendam: & ſic, cum obijcitur aliquis Scripturæ locus, videndum eſt, non quid illius verba præ ſe ferre videantur, ſed quo ſenſu à SS. Patribus, & ab vniuerſa Eccleſiâ intelligantur.

SECTIO III.

An voluntas Dei ſit libera.

1 AD clariorem huius quæſtionis reſolutionem, explicandum eſt breuiter, quid ſit libertas, & in quo verè & propriè conſiſtat. Id autem melius & certius diſcere non poſſumus quàm à S. Bernardo in lib. de gratia & libero arbitrio, vbi dicit triplicem eſſe libertatem, de qua promiſcuè mentio fit, tum in Scripturis, tum apud SS Patres: 1. eſt quam vocat libertatem naturę: 2. gratiæ: 3. denique gloriæ. Per primam, dicit nos liberari à coactione &

F 2 neceſſi-

neceſſitate. Per ſecundam à peccato. Per tertiam denique, à morte & alijs huius vitæ miſerijs. In eo autem præſertim differunt, quod ſecunda & tertia libertatis ſpecies ſtatum quemdam & conditionem hominis propriè reſpiciunt: prima verò reſpicit actiones ab eius voluntate elicitas. Per ſecundam & tertiam ideò liberi ſumus, quia liberati à ſtatu ſubiectionis, tùm peccati, tùm mortis: per primam verò ideò ſumus liberi: quia in eliciendis voluntatis noſtræ actibus minimè ſumus coacti, aut neceſſitate adacti.

De hoc igitur 1. genere libertatis, ſeu de libertate naturæ quærimus hìc, in quo illa conſiſtat; vt euidentiùs fiat, qua ratione diuina voluntas propriè libera dici poſſit. Certum eſt enim, ac per ſe euidens, non ideò dici liberam, quòd ſit liberata à peccato, vel à morte; ſed quia eſt ex ſe & natura ſua libera: & iam vidimus, ſecundùm mentem S. Bernardi in eo conſiſtere libertatem naturæ; quòd voluntas in actibus ſuis eliciendis, non ſolùm à coactione, ſed etiam à neceſſitate libera ſit: ſi enim eo modo libera non eſſet, *Iam*, inquit, *voluntas non eſſet: vbi quippe neceſſitas, ibi non eſt voluntas.*

2 Dicendum eſt igitur (ſecundùm illius S. Patris ſententiam quam fuſiùs ibidem explicat & probat) libertatem naturæ ſeu liberum voluntatis arbitrium, verè & propriè in eo conſiſtere; quòd voluntati nulla neque coactio neque neceſſitas inferatur; ſed quòd relinquatur libera & indifferens ad agendum vel non agendum, & ad hoc vel illud agendum; ſeu tam quoad exercitium, quàm quoad ſpecificationem actuum ſuorum.

Et hæc eſt etiam communis aliorum SS. Patrum ſententia: vt S. Hieron. lib. 2. contra Iouinianum: vbi ſic loquitur: *liberi arbitrij nos Deus condidit: nec ad virtutes, nec ad vitia neceſſitate trahimur: alioquin, vbi neceſſitas eſt, nec damnatio, nec corona eſt.* S. Ambr. lib. 2. in S. Lucam: *non potes dicere, quia noluit te bonum facere, antequam poſuit bonum & malum: vt non ex neceſſitate bonum tuum eſſet, ſed voluntarium.* S. Auguſtinus denique, qui pluribus in locis agens de libero voluntatis arbitrio, dicit in eo conſiſtere, quod homo poſſit agere vel non agere, & hoc, vel illud agere: vt in hom. 12. ex quinquaginta; *Rogo*, inquit; *vos, fratres chariſſimi, quare Satanas ſeducit ad peccandum, cùm Deus poſuerit hominem in poteſtate non conſentire Satanæ? &c. dat quidem diabolus conſilium: ſed Deo auxiliante, noſtrum eſt, vel eligere, vel repudiare quod ſuggerit.* Et lib. de Spiritu & littera cap. 24. *In omnibus miſericordia eius præuenit nos: conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, propriæ voluntatis eſt.* Et lib. 22. contra Fauſtum Manichæum, cap. 78. expreſsè dicit, ex illa indiffe-

ren-

rentia voluntatis, & poteſtate eius ad agendum, vel non agendum, oriri rationem meriti vel demeriti.

His breuiter circa propriam & veram libertatis notitiam delibatis, ad quæſtionem initio ſectionis propoſitam,

3 Dicendum eſt 1. Deum non liberè ſed neceſſariò, ſuam ipſius bonitatem velle & amare, tam quoad ſpecificationem, quàm quoad exercitium actus. Ita S. Thomas 2. part. qu. 19. art. 3. Hoc conſtat ex antedictis.

Quod enim Deus neceſſariò ſuam bonitatem velit & amet quoad ſpecificationem actus patet, quia Deus illam odiſſe non poteſt; cùm in ea nulla, vel minima mali vmbra eſſe poſſit: imo cum in ea omnes boni rationes, tam in genere entis, quàm in genere moris reperiantur.

Quod autem eandem bonitatem ſuam neceſſariò velit & amet quoad exercitium actus, patet, tum quia Deus non poteſt non eſſe perfectè beatus: ad perfectam autem beatitudinem requiritur actualis amor ſummi boni: tum etiam quia actus ille diuinæ voluntatis, quo Deus bonitatem ſuam vult & amat, eſt actus immanens & eſſentialis, imo eſt ipſe Deus ac proinde qui deſinere non poteſt. Sicut autem Deus neceſſariò ſuam bonitatem vult & amat: ita è contrario peccatum quod eſt illi oppoſitum, ex neceſſitate non vult & odio proſequitur: & hanc S. Auguſt. vocat lib. 1. cont. Iulianum, *Beatam neceſſitatem, quâ Deus iniuſtus eſſe non poteſt.*

Dicendum 2. Deum, quicquid extra ſe vult & amat, liberè & ſine vlla neceſſitate velle & amare.

Probatur 1. ex Scriptura. Pſalm. 134. *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra.* Ad Epheſ. 1. *Operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.*

Probatur 2. ex S. Ambr. lib. 2. Exameron, cap. 2. vbi contra quoſdam Philoſophos, qui Deum omnia fato quodam & neceſſitate feciſſe dicebant, expreſsè aſſerit, Deum multa potuiſſe facere, quæ tamen facere noluit: ac proinde voluntate ſua elegiſſe ex illis omnibus quæ facere potuit, ea quæ reipſa fecit. Et lib. 2. de Fide c. 5. *Omnia*, inquit, *operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult; hoc eſt, pro liberæ voluntatis arbitrio, non pro neceſſitatis obſequio.* Et ex S. Bernard. lib. cit. de gratia & libero arbitrio, vbi ſic loquitur: *Verum libertas à neceſſitate, æquè & indifferenter Deo vniuerſæque tam malæ quàm bonæ rationali conuenit creaturæ; nec peccato nec miſeria amittitur vel minuitur; nec maior in iuſto eſt quàm in peccatore; nec plenior in Angelo, quàm in homine, &c.*

Probatur 3. hac ratione: illud Agens cenſetur liberum, quod poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, poteſt adhuc ex ſe agere,

 vel

vel non agere; & à nulla re ſibi extrinſeca determinatur neceſſariò ad agendum vel non agendum. Atqui Deus eo modo ſe habet reſpectu eorum quæ extra ſe operatur: poſita enim cognitione eorum omnium quæ ſunt poſſibilia, poteſt ex illis producere aliqua, vel non producere; & nihil eſt quod eum ad id agendum vel non agendum neceſſitet. Ergo Deus habet voluntatem plenè & perfectè liberam, reſpectu eorum omnium quæ extra ſe operatur.

Supereſt hìc vna difficultas explicanda: in quo ſcilicet conſiſtat illud velle liberum Dei; & qua ratione in eo ſit aliquis actus liber, quo poſſit velle aut nolle, ſine vlla ſui mutatione. Pro cuius reſolutione,

5 Dicendum 3. liberam Dei volitionem, non eſſe denominationem extrinſecam, aut reſpectum rationis, aut perfectionem aliquam realiter ab ipſa eſſentia diuina diſtinctam: ſed eſſe ipſammet volitionem neceſſariam, qua Deus ſeipſum vult & amat: quatenùs tamen hæc extenditur ſeu terminatur ad creaturas, ad quas poſſet non extendi & terminari: ſeu prout efficacitate ſua illas infert & efficit, cùm poſſet non inferre & efficere: ſeu denique quatenùs indifferens eſt: vt ſine vlla ſui mutatione eas efficiat, aut non efficiat.

Quòd non ſit denominatio extrinſeca, patet: Quia Dei volitio libera eſt in Deo ab æterno: denominatio verò extrinſeca oritur à productione creaturarum, quæ eſt temporalis.

Quod non ſit reſpectu rationis, patet: Quia cùm ſit ab æterno in Deo, eſt ante omnem operationem intellectus, qui poſſit talem reſpectum rationis fingere. Quod etiam non ſit aliquid diſtinctum realiter ab eſſentia diuina conſtat: Quia id eius omnimodæ ſimplicitati repugnat.

Reſtat igitur vt dicamus, aut nullum actum liberum in Deo eſſe admittendum, quod eſſet contra fidem: aut, ſi quis admittendus eſt, non alium admittendum eſſe, quàm ipſum actum immanentem diuinæ volitionis, ſub ea ratione, quàm ſuprà explicauimus.

SECTIO IV.

Quanam ſit diuinæ voluntatis efficacitas.

1 DICENDVM 1. talem eſſe diuinæ voluntatis efficacitatem, ſeu vim ad efficiendum; vt per illam ſolam Deus immediatè efficiat, quidquid extra ſe in ratione primæ cauſæ efficit.

Ita communiter docent SS. Patres. S. Cyril. libro 3. cont. Iulianum dicit, Deum *ſola voluntate eſſe perfectorem operum*. Et Clemens Alexand. in Protreptico; *Sola* inquit, *Deus voluntate molitur; & ſolum*

ſolum eius velle,factum eſſe conſequitur. Et eo ſenſu S. Aug. lib. 3. de Trinit. cap. 4. docet voluntatem Dei eſſe primam & ſummam cauſam omnium corporalium ſpecierum atque motionum. Huc etiam ſpectat dictum Pſalmiſtæ Pſal. 148. *Dixit,& facta ſunt; mandauit, & creata ſunt*.

Dicendum 2. efficacitatem illam,& vim effectricem diuinę Voluntatis extendere ſe ad omnia poſſibilia: ſeu (quod idem eſt) diuinam voluntatem eſſe omnipotentem; Deumque poſſe, quidquid voluerit, efficere.

Hoc conſtat manifeſtè ex innumeris Scripturæ locis. Iob. 42. *Scio Domine, quia omnia potes*. S. Matth. 19. *Apud Deum omnia poſſibilia ſunt*. Et hanc veritatem adeò manifeſtam exiſtimauit S. Aug. vt ſerm. 139. de Tempore ſic loquatur: *Non dico, da mihi Chriſtianum, da mihi Iudæum; ſed da mihi Paganum,idolorum cultorem,dæmonum ſeruum,qui non dicat Deum eſſe omnipotentem, Negare Chriſtum poteſt;negare Deum omnipotentem non poteſt*.

2 Quęres, an ſit defectus poteſtatis in Deo non poſſe mori; non poſſe peccare: non poſſe rem factam infectam reddere.

Reſpondetur nullam eſſe in Deo impotentiam, ſed potiùs maximam omnipotentiæ ſuæ perfectionem.

Poſſe enim mori aut aliquid pati, non eſt potentia, ſed defectus potentiæ: vnde rectè dicit Sanctus Auguſtinus lib. 5. de Ciuit. c. 10. *Omnipotens eſt Deus,faciendo quidquid vult, non patiendo, quod non vult*.

Poſſe item peccare non eſt argumentum potentiæ,ſed potiùs infirmitatis. Rectè enim Petrus Damian. Opuſc. 36. de Omnipotentia Dei cap. 10. *Quod malum eſt*, inquit, *potiùs nihil debet dici,quàm aliquid: atque ideò nihil præiudicat,ſi dicamus Deum omnia poſſe, licet mala non poſſit,cùm mala non intrà omnia, ſed potiùs extrà omnia debeant ſupputari*.

Denique quod Deus non poſſit id, quod ſemel factum eſt, infectum reddere; non ex imbecillitate prouenit, ſed potiùs ex diuinæ veritatis perfectione. Vt enim rectè dixit S. Auguſt. lib. 26. contra Fauſt. Manich. cap. 5. *Quiſquis dicit: ſi omnipotens eſt Deus, faciat, vt quæ facta ſunt,facta non fuerint: non videt hoc ſe dicere: ſi omnipotens eſt, faciat vt ea quæ vera ſunt, eo ipſo quo vera ſunt,falſa ſint*. Inde patet,cur communiter Theologi dicant, Deum illa non poſſe, quæ inuoluunt contradictionem.

neceſſitas eſt illa, quæ oritur ex ſola poſitione effectus, et ſi à cauſa libera proueniat.

Hoc poſito, ad majorem objectionis declarationem reſpondetur cum diſtinctione: Cùm enim in ea dicitur, illud, quod Deus præſciuit faciendum à cauſa libera, fieri neceſſariò debere: ſi de neceſſitate antecedente ſermo ſit; negatur, ſi de conſequente, conceditur. Verùm hæc neceſſitas (vt per ſe patet) nullo modo libertati præiudicat; cum ideò tantùm aliquid faciendum neceſſariò dicitur, quia re vera fiet, licet liberè fiat: ſicut de eo, quod iam factum eſt, poteſt dici quòd neceſſariò factum eſt: hoc eſt, quòd fieri non poteſt quin factum ſit, quamuis liberè factum ſit.

SECTIO IV.

An Deus cognoſcat futura conditionata.

1 ILLA dicuntur conditionata, quæ reipſa nunquam exiſtent: ſed tamen, quæ liberè exiſterent: id eſt, ab aliqua cauſa libera fierent, ſi certa aliqua conditio poneretur. Et de talibus quæritur, an Deus futura illa conditionata cognoſcat.

Vt autem ea, quæ dicenda ſunt, clariùs intelligantur: ſupponendum eſt quòd licet ſcientia Dei ſit in ſe ſimpliciſſima, & maximè vna: nihilominùs ſecundùm diuerſam habitudinem, quam concipimus habere ad ſua objecta, communiter à Theologis diuidi ſolet in eam quæ dicitur ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & eam, quæ ſcientia viſionis appellatur.

Scientia viſionis dicitur ea, qua Deus cognoſcit res quæ in aliqua differentia temporis exiſtentiam habent, vel habuerunt, aut habituræ ſunt.

Scientia verò ſimplicis intelligentię eſt, qua cognoſcit res omnes, quoquo modo eſſe poſſint; ſiue reipſa aliquando futuræ ſint, ſiue non.

Hæc vtraque ſcientia alijs nominibus aliquando appellatur. Scientia enim ſimplicis intelligentiæ dicitur ſcientia neceſſaria: quia fieri non poteſt quin creaturæ omnes, reſpectu diuinæ omnipotentiæ, ſint poſſibiles: proinde neceſſarium eſt illas à Deo vt tales cognoſci. Scientia verò viſionis vocatur ſcientia libera, eò quòd ſupponit in Deo decretum liberum producendi creaturas, & ad illarum exiſtentiam & operationes concurrendi.

2 Præter hanc duplicem ſcientiam Dei, alteram adhuc Theologi plerique aſſignant, quam vocant mediam, qua Deus cognoſcit res illas contingentes & liberas: quæ quidam nunquam futuræ ſunt: ſed tamen quæ, ſi certa aliqua conditio poneretur, eſſent futuræ.

Et de hoc quidem tertio genere ſcientiæ, maxima eſt inter Theologos controuerſia; alijs pro parte affirmatiua magno ardore certantibus, alijs non minori conatu eam oppugnantibus. Nos hic, prout propoſitum nobis eſt, & ratio compendij poſtulat, ea tantum proponemus, quæ tanquam certa & indubitata tenenda ſunt: reliquis omnibus, quæ inter Theologos controuertuntur, cujuſque iudicio & arbitrio permiſſis.

Dicendum eſt igitur Deum certò & infallibiliter cognoſcere omnia illa futura contingentia conditionata; ſeu (quod idem eſt) Deum ab æterno præuidiſſe, quid Angeli vel homines liberè facturi eſſent; ſi in tali, vel in tali rerum ordine, cum his, aut illis circumſtantijs, collocarentur.

Probatur 1. ex authoritate Scripturæ, quæ varijs in locis teſtatur, Deum prædixiſſe res quaſdam euenturas eſſe ſi aliqua conditio poneretur: quæ tamen, cum poſita non fuerit, res illæ non euenerunt. Vnde ſequitur Deum certò & infallibiliter cognouiſſe eiuſmodi res, quæ non extiterunt, verè futuras fuiſſe, ſi talis conditio poſita fuiſſet. Ita habetur in libro primo Reg. cap. 21. vbi duo futura conditionata fuerunt diuinitùs Dauidi reuelata. Nempè quòd, ſi maneret in vrbe Ceyla, Saul Rex deſcenſurus eſſet ad obſidendam Vrbem. Et quòd, ſi Saul vrbem illam obſideret, incolæ illius tradituri eſſent ipſum Dauidem in manus Saulis. Quorum tamen neutrum euenit, quia conditio defuit: Dauid enim ibi non remanſit, ſed accepto diuino illo oraculo inde ſine mora diſceſſit. Idem patet ex S. Matth. cap. 11. vbi Chriſtus teſtatur Tyrios & Sydonios pœnitentiam fuiſſe acturos, ſi apud eos ea miracula edidiſſet, quæ in Iudæa patrauerat.

Probatur 2. ex S. Auguſt. lib. de corrept. & gratia, cap. 8. vbi ex his verbis Sap. 4. *Placens Deo factus eſt dilectus, & viuens inter peccatores, translatus eſt: raptus eſt: ne malitia mutaret intellectum eius, &c.* colligit prædeſtinatos ſingulari Dei beneficio ex hac vita, morte immatura ſubtrahi; quos, ſi diutiùs viuerent, in peccatum lapſuros, & ex inde gratia & ſalute priuandos fore præſciuit. Vnde ſequitur Deo notum fuiſſe id quod reuerà non contigit: contigiſſet autem certiſſimè, ſi vita illorum longiùs producta fuiſſet. S. item Greg. Nyſſen. in orat. de infantibus, qui præmatura morte rapiuntur, ſic loquitur: *Conſentaneum eſt, ab illo, qui peræquè futurum nouit, ac præteritum, prohiberi paruuli progreſſionem ad perfectam ætatem, ne malum illud, quod præſciens illa vis & facultas cognouerit, in eo qui victurus eſſet, ita perficiatur, eique materia nequitiæ vitæ fiat.*

Probatur 3. ratione; Nam ſcientia Dei non eſſet vndequaque perfecta, niſi omne verum attingeret. At non attingeret omne verum, niſi

niſi futura conditionata cognoſceret; cùm hæc non minùs vera ſint; quàm quæ abſolutè futura ſunt, imò priùs ſecundùm rationem, futurum contingens ſit verùm conditionatè, quàm abſolutè: nam ſi verum eſt, quod Petrus poſitus in talibus circumſtantijs peccat; certè, antequam in his poſitus eſſet, verum erat, quod ſi in ijs poneretur, peccaret.

3 Quod autem ſpectat ad id, quod aliqui Theologi dicunt nihil eſſe futurum, ſiue abſolutè, ſiue ſub conditione, niſi dependenter à decreto aliquo ipſius Dei, quo efficaciter vult prædeterminare creaturam quamcumque, etiam liberam ad agendum: & per quod proinde cognoſcit futura ſub conditione, atque ita hanc cognitionem non ſpectare ad ſcientiam illam conditionatam ſeu mediam; ſed potiùs ad ſcientiam liberam, certè magnam id recipere videtur difficultatem. Si enim hoc verum eſſet, ſequeretur Deum fore cauſam peccati; v. g. in illa prædictione ſuprà ex lib. 1. Reg. relata, ſenſus illius eſſet, Deum efficaciter decreuiſſe aut decreturum fuiſſe, vt Saul contra ius faſque ad necem Dauidem quæreret, & eo animo vrbem, in quam confugerat, obſideret. Præterea exprobratio Chriſti ſuprà relata contra Iudæos per comparationem Tyriorum & Sydoniorum cum ipſis, videretur parùm rationi conſentanea: potuiſſent ſiquidem Iudæi reſpondere, non mirum eſſe, quod Tyrij in occaſione ibi declarata eſſent conuertendi: quia vi decreti alicuius diuini auxilia quædam efficacia & ineluctabilia erant accepturi, quibus ipſi carere debebant, & ſine quibus pœnitentiam agere non poterant. Quæ omnia & plura alia ſimilia, quæ hìc in vtramque partem dicenda forent, ex ijs quæ in tractatu de Gratia explicanda ſunt, pleniùs intelligentur.

SECTIO V.

An aliquæ rerum creatarum Ideæ in Deo ſint.

1 SVPPONENDVM eſt nomen Ideæ nihil aliud ſignificare, quàm formam illam, ſeu ſpeciem intelligibilem exiſtentem in intellectu artificis, ad quem ille reſpiciens operatur: vnde & deriuatur à verbo ἰδεῖν quod eſt videre. Quia ſcilicet idea eſt veluti exemplar, quod artifex in agendo reſpicit & intuetur, vt ſimilem ei effectum exprimat. Hoc ſuppoſito,

Dicendum eſt 1. in mente diuina eſſe ideas omnium creaturarum.

Probatur 1. ex Scriptura ad Hæbr. 11. *Fide credimus apta eſſe ſæcula verbo Dei, vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent*; hoc eſt, v

iuxta

iuxta inuiſibile exemplar, quod eſt in mente Dei fierent hæc viſi bilia. Ita hunc locum explicat Hugo Card. & alij. S.Ioan. cap 1. *Quod factum eſt, in ipſo vita erat*: hoc eſt, vt explicat S.Auguſt.tract.1. In S.Ioan. quod factum eſt extra Deum, erat viuens in Deo, ſecundùm rationem & ideam ipſius in diuina mente ab æterno exiſtentem.

Probatur 2. ex eodem S. Auguſt.lib.12. de Ciuit. cap.20. vbi poſtquàm dixit in ſapientia diuina eſſe inuiſibiles atque incommutabiles rationes rerum, etiam viſibilium & mutabilium, quæ per illam factæ ſunt, hanc affert dicti ſui rationem: *Quoniam Deus non aliquid neſciens fecit, quod nec de quolibet homine artifice rectè dici poteſt. Porrò, ſi ſciens fecit omnia, ea vtique fecit nouerat, &c.*

2 Dicendum 2. ideas diuinas non eſſe aliquid diſtinctum ab eſſentia Dei, ſed eſſe ipſammet eſſentiam diuinam vt cognitam ab ipſo Deo, tanquàm eminenter in ſe rerum omnium perfectiones continentem, ac proinde tanquàm id, ad cuius imitationem res omnes ab ipſo produci poſſunt. Ita Sanctus Thomas 1. part. quæſt. 15. art.2.

Ratio eſt quia, cùm ex antedictis conſtet eſſentiam diuinam eſſe ſimpliciſſimam, & nihilominus in ea rerum omnium perfectiones eminenter contineri, hinc ſequitur ideas non eſſe aliquid diſtinctum ab eſſentia diuina, illamque eſſentiam poſſe optimè, & perfectiſſimè tenere rationem ideæ in mente diuina; ad productionem cuiuslibet creaturæ quantumcumque perfectæ; cum in ea cuiuslibet perfectionis exemplar abſolutiſſimum reperiatur.

CAPVT IV.

De voluntate Dei.

SECTIO I.

An ſit in Deo voluntas, & qualis.

1 DICENDVM 1. in Deo verè & propriè eſſe voluntatem. Hoc euidenter conſtat ex Scriptura, S.Matth.7. *Fiat voluntas tua.* Rom.9. *Voluntati eius quis reſiſtit?*

Dicendum 2. voluntatem in Deo non eſſe ſicut in nobis, per modum potentiæ; ſed actum puriſſimum & ſimpliciſſimum, ſeu ipſam actualem volitionem diuinam.

Hoc

Hoc euidenter conſtat ex ijs quæ ſuprà dicta ſunt de ſimplicitate Dei, vbi probatum eſt in Deo nullam dari poſſe compoſitionem, ſi daretur autem, ſi voluntas in eo eſſet per modum potentiæ.

Dicendum 3. voluntatem Dei, quamuis in ſe vnica & ſimpliciſſima ſit, eſſe tamen virtute,& ſecundùm noſtrum concipiendi modum multiplicem, ſecundùm varios reſpectus ad creaturas, & diuerſa circa illas decreta.

Hinc eſt quòd aliquando Scriptura in plurali numero de voluntatibus diuinis loquatur, vt Pſalm. 102. *Notas fecit Iſrael voluntates ſuas.* Eo ſenſu multiplex apud Doctores reperitur diuinæ voluntatis diuiſio.

Primò enim diuiditur in voluntatem ſigni, & voluntatem beneplaciti. Voluntas beneplaciti eſt ea, qua Deus vult aliquid, quia ita placet ipſi. Voluntas verò ſigni eſt ipſius diuinæ voluntatis declaratio per aliqua ſigna externa, quæ communiter à Theologis quinque numerantur, ſcilicet præceptum, prohibitio, conſilium, permiſſio, & operatio. Quando enim Deus aliquid iubet, ſignum eſt, quod velit illud fieri; & è contrà quando prohibet, quod nolit: ſimili modo cùm aliquod conſilium dat, ſignum eſt id quod conſulitur, illi placere: quando verò aliquid permittit, ſignum eſt, nolle impedire, cùm poſſet ſi vellet: denique quando operatur, ſiue per ſe ſolum, ſiue cum cauſa ſecunda, ſignum eſt velle id, quod ipſe agit; aliàs ſi nollet, non ageret. Vnde S. Anſelm. dixit in libello de voluntate Dei: *Appellari Dei voluntatem, quidquid in nobis ipſe miſericorditer operatur.* Et S. Auguſt. in Enchirid. cap. 9. *Nihil fit quod omnipotens non velit, vel ſinendo vt fiat, vel faciendo.*

Secundò diuiditur in voluntatem antecedentem & conſequentem, quæ diuiſio deſumitur ex S. Damaſc. lib. 2. de Fide cap. 29. Vbi per voluntatem antecedentem, intelligit eam quà Deus vult ex ſe aliquid, nulla ad id volendum ratione inductus ex parte creaturæ. Et de hac voluntate intelligit illud dictum Apoſtoli 1. Tim. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*, Per conſequentem verò intelligit eam voluntatem, quà Deus vult aliquid, aliquà ratione ad id volendum inductus ex parte creaturæ. Et hac voluntate dicit Deum velle punire peccatores propter ipſorum peccata.

Tertiò diuiditur in voluntatem abſolutam & conditionatam. Voluntas abſoluta eſt ea, quæ ſemper impletur, ideò vocatur etiam efficax. De ea intelligitur illud Eſther 13. *Non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ.* Conditionata verò ea, quæ ad hoc vt impleatur, aliquam conditionem adiunctam habet: vnde non ſemper eſt efficax, cùm non ſemper ponatur ea conditio. Talis eſt ea voluntas

luntas v.g. qua Deus vult peccatores ad pœnitentiam reuerti: cum hac conditione tamen, ſi & ipſi gratiæ ſuæ cöoperari velint. Quo ſenſu dixit Chriſtus Dominus Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, &c. & noluiſti?*

4 Dices inde ſequi aliquam voluntatem otioſam & imperfectam in Deo reperiri: hanc v.g. qua vult omnes homines ſaluos fieri cum hac conditione, ſcilicet ſi & ipſi velint, & media conuenientia ad ſalutem amplectantur. Illa enim voluntas reſpectu reproborum otioſa eſt; cum effectum ſuum nunquam habitura ſit. Eſt etiam imperfecta; quia ſic potiùs dicenda eſſet velleitas quàm voluntas: hæc autem velleitas dicit impotentiam & defectum in voluntate.

Reſpondetur voluntatem conditionatam, illam v.g. qua Deus vult omnes homines ſaluos fieri, nec otioſam nec imperfectam dici poſſe: non otioſam; cùm ex ea ſequatur præparatio mediorum & auxiliorum, quæ dantur omnibus hominibus vt ſalui fiant quod ſupponimus ex tractatu de Gratia. Neque etiam imperfectam, cùm non ſit velleitas, ſed vera voluntas: non enim dicit Apoſtolus, quod Deus vellet, ſed quod vult omnes homines ſaluos fieri. Et in eo vera eſſe oſtenditur, quod per eam verè Deus mouetur ad illorum mediorum & auxiliorum præparationem.

SECTIO II.

Quænam ſint obiecta diuinæ voluntatis.

1 NON hìc agimus de primario & præcipuo diuinæ voluntatis objecto, quod eſt ipſe Deus: certum eſt enim naturaliter & neceſſariò Deum velle & amare ſeipſum; cùm ſit ſui ipſius ſummum bonum: nec vllam hæc veritas difficultatem recipit. Quæſtio eſt igitur de objectis externis & ſecundarijs diuinæ voluntatis. De quibus,

Dicendum 1. Deum amare omnes creaturas, quæ exiſtunt in aliqua differentia temporis.

Hoc manifeſtè conſtat ex Scriptura. Sap. 11. *Diligis omnia, quæ ſunt; & nihil odiſti eorum quæ feciſti.* Deinde quia, ſicut ſe habet intellectus diuinus ad verum, ita voluntas diuina ad bonum. Sed diuinus intellectus fertur in omne verum, non ſolùm increatum, ſed etiam creatum, vt ſuprà oſtenſum eſt: Ergo & voluntas diuina in omne bonum, non tantùm increatum, ſed etiam creatum; quale eſt omne ens à Deo productum, iuxta illud Geneſ. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.*

Dicendum 2. Deum velle & amare omnes creaturas in ordine ad ſe, & propter ſeipſum.

Hæc veritas conſtat ex Scriptura, Prouerb. 16. *Vniuerſa propter*

ſemetipſum operatus eſt Dominus. Iſa.43. *Omnem, qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum.* Deinde ex eo quòd, cùm Deus ſit omnium rerum vltimus finis, hinc ſequitur res omnes naturaliter in illum referri & ordinari debere: alioquin eſſet ordo inuerſus & præpoſterus.

Quando autem dicitur Deum creauiſſe omnia propter ſe, hoc intelligi non debet, quod Deus ijs indigeat; Verè enim Pſaltes regius Pſal.15. *Dixi Domino, Deus meus es tu; quoniam bonorum meorum non eges.* Sed vt in ijs ſapientiæ, bonitatis, ac potentiæ ſuæ opes oſtendat, gloriamque ſuam clariorem & illuſtriorem reddat.

Dicendum 3. Deum velle malum pœnæ, non præciſè vt malum eſt (*Nemo enim*, vt ait S. Dionyſ. de diu. nom. cap.4. *Intendens malum operatur*) ſed quatenùs bonum aliquod adiunctum habet.

Hoc conſtat ex Scriptura Iſai.45. *Ego Deus faciens pacem, & creans malum.* Ierem.26. *Adducam ſuper eos omne malum quod locutus ſum.* Denique certum eſt, & experientia nimis compertum, Deum velle omnes pœnalitates huius vitæ, & mortem ipſam, ratione peccati originalis, & etiam aliorum peccatorum actualium; tùm quia ipſius iuſtitię diuinæ ordo id exigit, tùm etiam quia aliquando ipſius hominis bonum ſpirituale id requirit.

3 Dicendum 4. Deum nullomodo velle malum culpæ; neque per ſe, neque per accidens.

Hæc veritas eſt de fide, cui oppoſitus eſt error hæreticorum noſtri temporis, qui eò impietatis deuenerunt, vt dicerent, Deum non modò permittere, ſed poſitiuę velle peccatum, vt in eo puniendo iuſtitiam ſuam oſtendat; & proditionem Iudæ æquè fuiſſe opus Dei, ac S. Pauli conuerſionem. Ita etiam olim ſenſerunt alij hæretici, vt teſtatur Vincentius Lirinenſis lib.1. aduerſus hæreſes capite 34. & Euſebius lib.5. hiſt. cap. 20.

Refellitur hic error, & veritas aſſertionis noſtræ probatur, 1. ex Scriptura. Pſal.5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* S. Iac. c.1. *Deus intentator malorum eſt.*

Probatur 2. ex S. Ambroſio lib. de Cain. & Abel. cap 9. *Quantò grauius*, inquit, *peccato ipſo, ad Deum referre: quod fecerit & reatus tui inuidiam transfundere in Authorem, non criminis, ſed innocentiæ.* Et S. Auguſt. Epiſt. 105. ad Sixtum: *Iniquitatem quam rectiſſima veritas improbat damnare nouit Deus, non facere.* S. Fulgent. lib.1. ad Monimum cap. 13. *In Sanctis coronat Deus iuſtitiam, quam eis gratis ipſe tribuit, gratis ſeruauit, gratiſque perfecit: iniquos autem condemnabit, pro impietate vel iniuſtitia, quam in eis ipſe non fecit.*

Probatur 3. ratione qua vtitur S. Anſelmus in lib. de libero arbitrio cap. 8. quia iuſta voluntas hominis eſt ea, qua vult id, quod Deus

vult eam velle;iniuſta verò è contrario eſt ea, qua vult id, quod non vult Deus eam velle. Vnde ſequitur, quòd ſi Deus vellet hominem peccare, homo peccando non peccaret, ſimulque voluntas ejus iuſta & iniuſta foret: Iuſta, inquantùm conformis eſſet diuinæ voluntati, quâ Deus vellet illum peccare: iniuſta, inquantùm eidem voluntati repugnaret, quæ prohibet peccare.

Confirmatur ex eo quòd (vt dicit S. Ambr. lib. 1. Exameron. cap 8.) non alium ob finem Filius Dei in mundum venit, niſi vt tollat peccata mundi, & diſſoluat opera diaboli: qua ratione igitur fieri poteſt vt opera illa diaboli velit aſtruere, & ad peccata impellere & incitare?

4 Multa ex Scriptura ſolent obijcere hæretici, v.g. quod in ea dicatur Deum velle, vt fiant aliqua mala opera, & ad ea impellere; hominesque excæcare, & eorum corda indurare, vt nec poſſint benè agere.

Reſpondetur ijs omnibus & ſimilibus alijs loquendi modis, qui in Scriptura occurrunt, ſignificari tantum, vel Deum velle permittere peccata, quod ſapientiſſimè, & cum ſummis rationibus facere poteſt: vel iuſto iudicio ſuo velle ſubtrahere interdum hominibus peculiarem gratiæ ſuæ protectionem, vnde ſequitur eorum lapſus in peccata.

Plura ſuper hac re videri poſſunt apud Bellarm. tom. 4. lib. 2. de amiſſione gratiæ & ſtatu peccati c. 11. & ſequentibus. Et vniuerſim ad has & ſimiles diſſoluendas obiectiones è Scripturis petitas recurrendum eſt ad illud principium, de quo ſuprà in tractatu de fide, nempè veram & certam Scripturæ interpretationem, non à ſenſu particulari, ſed ab authoritate ipſius Eccleſiæ, & vnanimi Patrum conſenſu eſſe petendam: & ſic, cum obijcitur aliquis Scripturæ locus, videndum eſt, non quid illius verba præ ſe ferre videantur, ſed quo ſenſu à SS. Patribus, & ab vniuerſa Eccleſiâ intelligantur.

SECTIO III.

An voluntas Dei ſit libera.

1 Ad clariorem huius quæſtionis reſolutionem, explicandum eſt breuiter, quid ſit libertas, & in quo verè & propriè conſiſtat. Id autem melius & certius diſcere non poſſumus quàm à S. Bernardo in lib. de gratia & libero arbitrio, vbi dicit triplicem eſſe libertatem, de qua promiſcuè mentio fit, tum in Scripturis, tum apud SS Patres: 1. eſt quam vocat libertatem naturę: 2. gratiæ: 3. denique gloriæ. Per primam, dicit nos liberari à coactione &

neceſſitate. Per ſecundam à peccato. Per tertiam denique, à morte & alijs huius vitæ miſerijs. In eo autem præſertim differunt, quod ſecunda & tertia libertatis ſpecies ſtatum quemdam & conditionem hominis propriè reſpiciunt: prima verò reſpicit actiones ab eius voluntate elicitas. Per ſecundam & tertiam ideò liberi ſumus, quia liberati à ſtatu ſubiectionis, tùm peccati, tùm mortis: per primam verò ideò ſumus liberi: quia in eliciendis voluntatis noſtræ actibus minimè ſumus coacti, aut neceſſitate adacti.

De hoc igitur 1. genere libertatis, ſeu de libertate naturæ quærimus hìc, in quo illa conſiſtat; vt euidentiùs fiat, qua ratione diuina voluntas propriè libera dici poſſit. Certum eſt enim, ac per ſe euidens, non ideò dici liberam, quòd ſit liberata à peccato, vel à morte; ſed quia eſt ex ſe & natura ſua libera: & iam vidimus, ſecundùm mentem S. Bernardi in eo conſiſtere libertatem naturæ; quòd voluntas in actibus ſuis eliciendis, non ſolùm à coactione, ſed etiam à neceſſitate libera ſit: ſi enim eo modo libera non eſſet, *Iam*, inquit, *voluntas non eſſet: vbi quippe neceſſitas, ibi non eſt voluntas*.

2 Dicendum eſt igitur (ſecundùm illius S. Patris ſententiam quam fuſiùs ibidem explicat & probat) libertatem naturæ ſeu liberum voluntatis arbitrium, verè & propriè in eo conſiſtere; quòd voluntati nulla neque coactio neque neceſſitas inferatur; ſed quòd relinquatur libera & indifferens ad agendum vel non agendum, & ad hoc vel illud agendum; ſeu tam quoad exercitium, quàm quoad ſpecificationem actuum ſuorum.

Et hæc eſt etiam communis aliorum SS. Patrum ſententia: vt S. Hieron. lib. 2. contra Iouinianum: vbi ſic loquitur: *liberi arbitrij nos Deus condidit: nec ad virtutes, nec ad vitia neceſſitate trahimur: alioquin, vbi neceſſitas eſt, nec damnatio, nec corona eſt*. S. Ambr. lib. 2. in S. Lucam: *non potes dicere, quia noluit te bonum facere, antequam poſuit bonum & malum: vt non ex neceſſitate bonum tuum eſſet, ſed voluntarium*. S. Auguſtinus denique, qui pluribus in locis agens de libero voluntatis arbitrio, dicit in eo conſiſtere, quod homo poſſit agere vel non agere, & hoc, vel illud agere: vt in hom. 12. ex quinquaginta; *Rogo*, inquit; *vos, fratres chariſſimi, quare Satanas ſeducit ad peccandum, cùm Deus poſuerit hominem in poteſtate non conſentire Satanæ? &c. dat quidem diabolus conſilium: ſed Deo auxiliante, noſtrum eſt, vel eligere, vel repudiare quod ſuggerit*. Et lib. de Spiritu & littera cap. 24. *In omnibus miſericordia eius præuenit nos: conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, propriæ voluntatis eſt*. Et lib. 22. contra Fauſtum Manichæum, cap. 78. expreſsè dicit, ex illa indifferen-

ren-

rentia voluntatis, & poteſtate eius ad agendum, vel non agendum, oriri rationem meriti vel demeriti.

His breuiter circa propriam & veram libertatis notitiam delibatis, ad quæſtionem initio ſectionis propoſitam,

3 Dicendum eſt 1. Deum non liberè ſed neceſſariò, ſuam ipſius bonitatem velle & amare, tam quoad ſpecificationem, quàm quoad exercitium actus. Ita S. Thomas 2. part. qu. 19. art. 3. Hoc conſtat ex antedictis.

Quod enim Deus neceſſariò ſuam bonitatem velit & amet quoad ſpecificationem actus patet, quia Deus illam odiſſe non poteſt; cùm in ea nulla, vel minima mali vmbra eſſe poſſit: imo cum in ea omnes boni rationes, tam in genere entis, quàm in genere moris reperiantur.

Quod autem eandem bonitatem ſuam neceſſariò velit & amet quoad exercitium actus, patet, tum quia Deus non poteſt non eſſe perfectè beatus: ad perfectam autem beatitudinem requiritur actualis amor ſummi boni: tum etiam quia actus ille diuinæ voluntatis, quo Deus bonitatem ſuam vult & amat, eſt actus immanens & eſſentialis, imo eſt ipſe Deus ac proinde qui deſinere non poteſt. Sicut autem Deus neceſſariò ſuam bonitatem vult & amat: ita è contrario peccatum quod eſt illi oppoſitum, ex neceſſitate non vult & odio proſequitur: & hanc S. Auguſt. vocat lib. 1. cont. Iulianum, *Beatam neceſſitatem, quà Deus iniuſtus eſſe non poteſt.*

Dicendum 2. Deum, quicquid extra ſe vult & amat, liberè & ſine vlla neceſſitate velle & amare.

Probatur 1. ex Scriptura. Pſalm. 134. *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra.* Ad Epheſ. 1. *Operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.*

Probatur 2. ex S. Ambr. lib. 2. Exameron, cap. 2. vbi contra quoſdam Philoſophos, qui Deum omnia fato quodam & neceſſitate feciſſe dicebant, expreſsè aſſerit, Deum multa potuiſſe facere, quæ tamen facere noluit: ac proinde voluntate ſua elegiſſe ex illis omnibus quæ facere potuit, ea quæ reipſa fecit. Et lib. 2. de Fide c. 3. *Omnia*, inquit, *operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult; hoc eſt, pro libera voluntatis arbitrio, non pro neceſſitatis obſequio.* Et ex S. Bernard. lib. cit. de gratia & libero arbitrio, vbi ſic loquitur: *Verum libertas à neceſſitate, æquè & indifferenter Deo vniuerſæque tam malæ quàm bonæ rationali conuenit creaturæ; nec peccato nec miſeria amittitur vel minuitur; nec maior in iuſto eſt quàm in peccatore; nec plenior in Angelo, quàm in homine, &c.*

Probatur 3. hac ratione: illud Agens cenſetur liberum, quod poſitis omnibus ad agendum præ requiſitis, poteſt adhuc ex ſe agere, vel

vel non agere; & à nulla re ſibi extrinſeca determinatur neceſſariò ad agendum vel non agendum. Atqui Deus eo modo ſe habet reſpectu eorum quæ extra ſe operatur: poſita enim cognitione eorum omnium quæ ſunt poſſibilia, poteſt ex illis producere aliqua, vel non producere; & nihil eſt quod eum ad id agendum vel non agendum neceſſitet. Ergo Deus habet voluntatem plenè & perfectè liberam, reſpectu eorum omnium quæ extra ſe operatur.

Supereſt hic vna difficultas explicanda: in quo ſcilicet conſiſtat illud velle liberum Dei; & qua ratione in eo ſit aliquis actus liber, quo poſſit velle aut nolle, ſine vlla ſui mutatione. Pro cuius reſolutione,

5 Dicendum 3. liberam Dei volitionem, non eſſe denominationem extrinſecam, aut reſpectum rationis, aut perfectionem aliquam realiter ab ipſa eſſentia diuina diſtinctam: ſed eſſe ipſammet volitionem neceſſariam, qua Deus ſeipſum vult & amat: quatenùs tamen hæc extenditur ſeu terminatur ad creaturas, ad quas poſſet non extendi & terminari: ſeu prout efficacitate ſua illas infert & efficit, cùm poſſet non inferre & efficere: ſeu denique quatenùs indifferens eſt: vt ſine vlla ſui mutatione eas efficiat, aut non efficiat.

Quòd non ſit denominatio extrinſeca, patet: Quia Dei volitio libera eſt in Deo ab æterno: denominatio verò extrinſeca oritur à productione creaturarum, quæ eſt temporalis.

Quod non ſit reſpectu rationis, patet: Quia cùm ſit ab æterno in Deo, eſt ante omnem operationem intellectus, qui poſſit talem reſpectum rationis fingere. Quod etiam non ſit aliquid diſtinctum realiter ab eſſentia diuina conſtat: Quia id eius omnimodæ ſimplicitati repugnat.

Reſtat igitur vt dicamus, aut nullum actum liberum in Deo eſſe admittendum, quod eſſet contra fidem: aut, ſi quis admittendus eſt, non alium admittendum eſſe, quàm ipſum actum immanentem diuinæ volitionis, ſub ea ratione, quàm ſuprà explicauimus.

SECTIO IV.

Quænam ſit diuinæ voluntatis efficacitas.

1 DICENDVM 1. talem eſſe diuinæ voluntatis efficacitatem, ſeu vim ad efficiendum; vt per illam ſolam Deus immediatè efficiat, quidquid extra ſe in ratione primæ cauſæ efficit.

Ita communiter docent SS. Patres. S. Cyril. libro 3. cont. Iulianum dicit, Deum *ſola voluntate eſſe perfectorem operum*. Et Clemens Alexand. in Protreptico; *Sola* inquit, *Deus voluntate molitur; &*

ſolum

ſolum eius velle, factum eſſe conſequitur. Et eo ſenſu S. Aug. lib. 3. de Trinit. cap. 4. docet voluntatem Dei eſſe primam & ſummam cauſam omnium corporalium ſpecierum atque motionum. Huc etiam ſpectat dictum Pſalmiſtæ Pſal. 148. *Dixit, & facta ſunt; mandauit, & creata ſunt*.

Dicendum 2. efficacitatem illam, & vim effectricem diuinę Voluntatis extendere ſe ad omnia poſſibilia: ſeu (quod idem eſt) diuinam voluntatem eſſe omnipotentem; Deumque poſſe, quidquid voluerit, efficere.

Hoc conſtat manifeſtè ex innumeris Scripturæ locis. Iob. 42. *Scio Domine, quia omnia potes*; S. Matth. 19. *Apud Deum omnia poſſibilia ſunt*. Et hanc veritatem adeò manifeſtam exiſtimauit S. Aug. vt ſerm. 139. de Tempore ſic loquatur: *Non dico, da mihi Chriſtianum, da mihi Iudæum; ſed da mihi Paganum, idolorum cultorem, dæmonum ſeruum, qui non dicat Deum eſſe omnipotentem. Negare Chriſtum poteſt; negare Deum omnipotentem non poteſt.*

2 Quęres, an ſit defectus poteſtatis in Deo non poſſe mori; non poſſe peccare: non poſſe rem factam infectam reddere.

Reſpondetur nullam eſſe in Deo impotentiam, ſed potiùs maximam omnipotentiæ ſuæ perfectionem.

Poſſe enim mori aut aliquid pati, non eſt potentia, ſed defectus potentiæ: vnde rectè dicit Sanctus Auguſtinus lib. 5. de Ciuit. c. 10. *Omnipotens eſt Deus, faciendo quidquid vult, non patiendo, quod non vult*.

Poſſe item peccare non eſt argumentum potentiæ, ſed potiùs infirmitatis. Rectè enim Petrus Damian. Opuſc. 36. de Omnipotentia Dei cap. 10. *Quod malum eſt*, inquit, *potiùs nihil debet dici, quàm aliquid: atque ideò nihil præiudicat, ſi dicamus Deum omnia poſſe, licet mala non poſſit, cùm mala non intrà omnia, ſed potiùs extrà omnia debeant ſupputari*.

Denique quod Deus non poſſit id, quod ſemel factum eſt, infectum reddere; non ex imbecillitate prouenit, ſed potiùs ex diuinæ veritatis perfectione. Vt enim rectè dixit S. Auguſt. lib. 26. contra Fauſt. Manich. cap. 5. *Quiſquis dicit: ſi omnipotens eſt Deus, faciat, vt quæ facta ſunt, facta non fuerint: non videt hoc ſe dicere: ſi omnipotens eſt, faciat vt ea quæ vera ſunt, eo ipſo quo vera ſunt, falſa ſint*. Inde patet, cur communiter Theologi dicant, Deum illa non poſſe, quæ inuoluunt contradictionem.

SECTIO V.

An & qua ratione in diuina voluntate amor, & odium, miſericordia, iuſtitia, & ſimiles effectus reperiantur.

1 CERTUM eſt hos & ſimiles effectus, ſi conſiderentur prout ſecum inferunt aliquam mutationem, ſiue corporalem, ſiue ſpiritualem, nullomodo in diuina voluntate reperiri: cum ſit omnis prorſus mutationis expers, vt ex antedictis conſtat. Quæſtio igitur propoſita de ijs intelligenda eſt, prout habent ſimpliciter rationem actus, ſine vlla imperfectione adiuncta. Et in hoc ſenſu,

Dicendum eſt 1. in diuina voluntate eſſe verum amorem, non tantum erga ſe, ſed etiam erga creaturas.

Hoc patet ex ijs quæ dicta ſunt ſectione ſecunda. Et confirmari poteſt, quantum ſpectat ad amorem, quem Deus habet erga creaturas: ex eo quod quidquid entitatis & bonitatis habent creaturæ, id totum habent, quia Deus vult eas habere: amare enim aliquem nihil eſt aliud quàm ei bonum velle. Ita S. Thom. 1. part. quæſt. 20. ar. 2. Vbi rectè obſeruat differentiam amoris diuini, & humani: homo enim ſupponit in objecto amato bonitatem: at verò Deus amando infundit bonitatem; atque adeo facit id, quod amat, bonum, ac proinde amabile.

2 Dicendum 2. Deum non æqualiter omnes creaturas æqualiter diligere.

Certum eſt enim, vt docet S. Thomas ſupra art. 4. meliores ſemper magis amari à Deo quatenus meliores: eo enim meliores ſunt, quo maius bonum à diuina voluntate accipiunt: maius autem bonum à Deo accipere, eſt magis ab eo amari. Eſt autem notanda doctrina S. Doctoris in reſponſione ad tertium, vbi docet præſumptuoſum eſſe, velle dijudicare, an aliquis ſanctorum ſit altero ſanctior & Deo charior: nam (vt dicitur Prou. 16.) *Spirituū ponderator eſt Dominus.*

Sicut autem amor, ſic etiam contrariam ob cauſam in diuina voluntate reperitur odium, tam reſpectu peccati, quam peccatoris, quatenus peccator eſt. Sap. 14. *Similiter odio ſunt Deo impius, & impietas eius.* Et hoc ſatis manifeſtè conſtat ex eo quod Deus peccatoribus vult malum vindictæ ac pœnæ æternæ. Eſt autem proprius odij actus, velle malum; ſicut amoris velle bonum.

Dicendum 3. in Deo eſſe iuſtitiam.

Patet ex innumeris Scripturæ locis. Pſ. 118. *Iuſtitia tua, iuſtitia in æternum.* Rom. 1. *Iuſtitia Dei in eo reuelatur ex fide.* Cum autem duplex ſit iuſtitia, nempè commutatiua & diſtributiua.

Prior,

Prior, quę conſiſtit in eo, vt tantum reddatur, quantum acceptum fuerit, non eſt propriè in Deo, vt rectè docet S. Th. q. 21 a 1. iuxta illud ad Rom. 11. *Quis prior dedit ei, & tribuetur ei?* Nihil enim à nobis Deus accipere poteſt, quin prius illud ipſe nobis dederit. Vnde cum maxima ratione Concilium Trid. ſeſſ. 6. cap. 16. ſic loquitur: *Abſit vt Chriſtianus homo in ſeipſo vel confidat, vel glorietur, & non in Domino; cuius tanta eſt erga omnes homines bonitas, vt eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona.*

Poſterior verò iuſtitia, quæ conſiſtit in diſtributione bonorum communium iuxta proportionem meritorum cuiuſque, ſi ſtrictè ſumatur, non eſt etiam propriè in Deo: quia nullum creaturæ meritum omnia Dei dona præcedere poteſt, cùm omne meritum ab aliquo gratuito Dei dono, hoc eſt, ab eius gratia initium ſumat, vt ſupponimus ex tractatu de gratia. Deinde quia Deus erga creaturas nullius rei debitor eſt.

Quare dicere debemus iuſtitiam in Deo reperiri modo longè perfectiori & eminentiori: conſiderando illam: prout abſtrahit ab omnibus humanæ iuſtitiæ conditionibus, quæ Deo minimè conueniunt: & dicit aliquam in Deo perfectionem, quæ ſecundùm noſtrum concipiendi modum voluntatem eius dirigit, tùm in diſtributione præmiorum: ſuppoſito creaturæ per ipſius Dei gratiam merito; tùm in inflictione pœnarum, ſuppoſito eiuſdem creaturæ per propriam voluntatem peccato.

4 Dicendum 4. in Deo eſſe miſericordiam.

Hoc patet ſimiliter ex Scripturis, quæ vbique diuinam prædicant miſericordiam: Pſalm. 88. *Miſericordias Domini in æternum cantabo.* Thren. 3. *Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti.* Et hæc propriè in Deo inuenitur, vt docet S. Thom. ſuprà art. 3. non quidem ſecundùm Paſſionis affectum, ſed ſecundùm effectum. Vnde S. Anſelm. in Proſol. cap. 10. *Miſericors es, non quia tu ſentis affectum, ſed quia nos ſentimus effectum.*

Obſeruat autem rectè S. Doctor ſuprà art. 4. in omnibus Dei operibus miſericordiam eius, & iuſtitiam ſimul inueniri. Vnde dicit in reſponſione ad 1. etiam in damnatis reperiri aliquam Dei miſericordiam; non quidem totaliter relaxantem ſed aliqualiter ſubleuantem, hoc eſt quòd cùm Deus iuſtè poſſit acerbioribus adhuc pœnis eos affligere, id tamen ex miſericordia non facit, ſed eos ſemper citrà condignum punit.

SECTIO VI.

An ſit in Deo prouidentia, & ad quæ ſe extendat.

1 Nomine prouidentiæ intelligimus hìc actum aliquem, tum intellectus, tum voluntatis Dei, quo ipſe ordinat & dirigit res creatas in ſuos fines particulares, ac præſertim in finem omnium vltimum, qui eſt ipſe Deus. Hoc ſuppoſito,

Dicendum eſt 1. in Deo eſſe prouidentiam reſpectu omnium rerum creatarum. Eſt de Fide.

Probatur 1. ex pluribus Scripturæ locis, Sap. 8. *Attingit à fine ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.* Et cap. 14. *Tua, pater, prouidentia cuncta gubernat.* S. Matth. 6. *Reſpicite volatilia cœli; quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater veſter cœleſtis paſcit ea. Conſiderate lilia agri, &c.*

Probatur 2. ex S. Cypriano lib. de Idolorum vanitate: *Mundi vnus eſt rector, qui vniuerſa quæcumque ſunt, verbo iubet, ratione diſpenſat, virtute conſummat.* Et ex S. Damaſceno lib. 1. de Fide cap. 2. *Quod Deus bonus ſit iuſtus rerum omnium conditarum architectus: quod vim omnem imperiumque habeat, omnia inſpectet, omnibus proſpiciat, omnia in poteſtate habeat: hæc inquam, omnia ſcimus, & confitemur.*

Probatur 3. ratione, qua vtitur S. Th. 1. p. q. 21. a. 2. quia, cum Deus ſit cauſa efficiens prima & perfectiſſima omnium rerum, quæ ab illa pendent, non tantum in fieri, ſed etiam in conſeruari: hoc eſt, quod creaturæ omnes indigeant, non tantum vt initium ſui eſſe à Deo accipiant, ſed etiam eiuſmodi conſeruationem & perfectionem: hinc ſequitur, ad illum etiam pertinere res omnes, quas creauit in ſuos fines dirigere: cùm inde potiſſimum earum & conſeruatio & perfectio pendeat.

Tertullianus in libello de animæ teſtimonio, hanc veritatem manifeſtam eſſe dicit ex communi conſenſu omnium Gentium & nationum; inter quas nulla fuit adeò barbara, quæ non ſenſerit, eſſe aliquod numen ſupremum; quod res humanas cognoſcat & gubernet; & ad quod in periculis & afflictionibus ſit confugiendum; & à quo præmia pro rectè factis, ſupplicia pro ſceleribus, ſint expectanda.

2 Dicendum 2. prouidentiam diuinam ad omnes prorsùs res creatas, etiam minimas ſe extendere. Eſt de Fide.

Probatur 1. ex Scriptura. Sap. 6. *Magnum & puſillum, ipſe fecit, & æqualiter eſt illi cura de omnibus.* S. Luc. 12. *Nonne quinque paſſeres veneunt dipondio, & vnus ex illis non eſt in obliuione coram*

ram Deo? ſed & capilli capitis veſtri numerati ſunt?

Probatur 2. ex S. Iren. lib 2 cap. 4. *Nihil omnino eorum, quæ facta ſunt, & quæ fiunt, vel fient, Deum fugit; ſed per illius prouidentiam vnumquodq; & habitum, & ordinem, & numerum, & quantitatem accipit propriam.* Et S. Hieron. Epiſt. 3. *Creatorem non tantum in cœlo miramur & terra, Sole & Oceano, elephantibus, camelis,* &c. *ſed & in minutis quoque animalibus, formica, culice, muſcis, vermiculis, & iſtiuſmodi, quorum magis ſcimus corpora quàm nomina, eamdemq; in cunctis veneramur ſolertiam.* Videndus S. Ambr. lib. 1. de officijs cap. 13. 14. & 15. S. Greg. lib. 4. mor. cap. 16. S. Aug. lib. 2. de Geneſi ad litteram cap. 21. & alij.

2 Verùm contra hanc de prouidentia doctrinam duæ potiſſimum fieri ſolent obiectiones.

Prima eſt; quòd non videatur decere Dei maieſtatem, vt eius prouidentia minimis rebus ſe immiſceat, iuxta illud Apoſtoli 1. Cor. 1. cap. 9. *Numquid de bobus cura eſt Deo?*

Secunda; quod ſi Deus humanas regeret & gubernaret, multi in eius gubernatione & regimine defectus reperirentur; cùm boni & iuſti varijs plerumque conflictentur aduerſis, mali è contrà & peccatores bonis ac voluptatibus affluant.

Ad primam reſpondetur cum S. Ambr. lib. 1. de officijs, *Si non eſt iniuria & probrum Dei minutiſſimas quaſque res feciſſe; multò minus probrum illius eſſe, eas factas regere.* Apoſtolus autem loco citato non omninò negat Deo curam eſſe de animantibus rationis expertibus, ſed non talem nec tam ſpecialem quam de hominibus; ac præſertim de ijs, qui ſe totos eius obſequio & cultui mancipant, de quibus illic loquitur.

Ad ſecundam verò dicendum eſt, Deum cum ſummâ ſapientia permittere, imò velle, vt in hac vita interdum iuſti affligantur, mali verò proſperè agant. Cùm enim nulli adeò mali ſint; quin aliquando boni aliquid agant: Deus illos in peccatis morituros, ob idque damnandos præuidens, illorum opera vtcumque bona, proſperitate aliqua temporali præmiatur; iuſtos autem afflictionibus varijs exerceri vult, tam ad probandum eorum fidem, tum ad pleniorem pro peccatis ſatisfactionem, tùm etiam ad meritorum cumulum augendum: quare optimè S. Auguſt. in Enchir. c. 11. *Deus cum ſumme bonus ſit, nullo modo ſineret mali aliquid eſſe in operibus ſuis; niſi vſque adeò eſſet omnipotens & bonus, vt etiam de malo benefaceret.*

CAPVT V.

De Prædeſtinatione.

QVOD olim Ezechieli Prophetæ hoc cuilibet Catholico in omnibus fidei myſteriis, ſed præſertim in illisquæ diuinæ prædeſtinationis arcana ſpectant, humiliter profitendum eſt: huius torrentis aquas ita profundas & altas eſſe, vt tranſuadari omninò non poſſint; Vnde meritò exclamat Apoſt. Rom. 11. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, &c.* Ideò iuxtà conſilium eiuſdem Apoſt. 1. Cor. 10. noſmetipſos nobis ipſis metientes, in hoc prædeſtinationis negotio procedemus ſecundùm menſuram regulæ, qua menſus eſt nobis Deus: id eſt, earum præſertim veritatum notitiam hìc inquiremus, quas Deus ipſe reuelare, & per Eccleſiam proponere voluit: cætera omnia eius inſcrutabili ſapientiæ, & incomprehenſibilibus judicijs relinquentes, memores illius effati à Salomone Prou. 25. prolati: *Quoniam, qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria.*

SECTIO I.

Quid prædeſtinationis, quid item reprobationis nomine debeat intelligi.

1 PRÆDESTINATIO, ſi vim nominis ſpectes, idem eſt, ac præcedens deſtinatio. Deſtinare autem eſt, vel aliquid omninò apud ſe ſtatuere, vel (vt dicit S. Thom. 1. p. q. 23. a. 1.) aliquid in finem deſignare aut tranſmittere.

Huius autem vocis ſic intellectæ apud SS. Patres duplex acceptio inuenitur. Vna lata & minùs propria, pro ordinatione rationalis creaturæ facta à Deo in quemlibet finem, ſiue in beatitudinem, ſiue in damnationem. Quo ſenſu dicit S. Aug. lib. 15. de ciuit. c. 1. ciuitatem Dei eſſe prædeſtinatam ad gloriam, ciuitatem verò diaboli ad ignem æternum eſſe prædeſtinatam. Altera ſtricta & propria, pro ſola ordinatione rationalis creaturæ ad beatitudinem & vitam æternam. Et eo ſenſu communiter, tùm in Scripturis, tùm apud SS. Patres ſumi ſolet, vt ex dicendis patebit.

Cùm autem hæc diuina ordinatio ſit ab æterno, ac proinde omne tempus præcedat, ideo præordinatio & prædeſtinatio dicitur: ita vt particula (præ) nihil aliud ſignificet, quàm anteceſſionem durationis ſeu æternitatis ad tempus, vt docet Alenſis 1. parte quæſt. 28.

mem.

mem.8.Camachæus in 1.par.quæſt.25.c.1.Iſambert. ad eandemque diſp.1.ar.1.& alij communiter. Vnde dicit eo ſenſu Apoſtolus Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi constitutionem*. Et Rom.8. *Quos præſciuit & prædeſtinauit*, vbi ſimul iungit, & in eodem ſenſu accipit præſcientiam & prædeſtinationem. Eſt autem euidens particulam (præ) in verbo (præſciuit) ſignificare tantum anteceſſionem ipſius ſcientiæ diuinæ ſecundùm durationem: id eſt, Deum ſcire res, antequam exiſtant: vnde ſequitur particulam in voce prædeſtinationis eodem modo eſſe accipiendam.

Et ſic dicendum eſt, quod prædeſtinatio nihil eſt aliud quàm æterna, & omne tempus præcedens deſtinatio, qua Deus ante mundi conſtitutionem creaturas aliquas ad gloriam & beatitudinem cœleſtem elegit, & deſtinauit.

Quæres, an prædeſtinatio ſit propriè actus intellectus, an voluntatis Dei?

Reſpondetur eſſe vtriuſque. Intellectus quidem, cùm in Scriptura explicetur terminis ſignificantibus actum intellectus; vt Rom.11. *Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſciuit*: id eſt, quam prædeſtinauit, vt explicat S.Auguſt. libro de bono perſeu. Voluntatis autem, cùm in eadem Scriptura ſæpè vocetur electio, propoſitum, beneplacitum, &c. vt Rom.8. Epheſ.1. & alijs in locis. Et hunc vtrumque actum conjungit S.Auguſt. lib. de bono perſeu. cùm dicit quod prædeſtinatio *eſt præſcientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur*. Præſcientia ſi quidem ad intellectum diuinum propriè ſpectat; præparatio verò beneficiorum ad voluntatem; cùm ſit actus amoris & beneuolentiæ.

2 Ex his autem verbis S.Aug. colligitur, ad completam rationem prædeſtinationis, prout ab illo & alijs SS.Patribus ſumitur, debere per eam intelligi, non tantùm electionem & deſtinationem ad gloriam & beatitudinem, ſed etiam præparationem omnium mediorum ad illam conſequendam; propoſitumque ac voluntatem media illa tribuendi: ita vt prædeſtinatio non tantùm reſpiciat gloriam conferendam, ſed etiam ſimul omnia gratiæ dona, quibus ad illam gloriam homines perducuntur.

Quod autem ſpectat ad Reprobationem; dicendum eſt, per illam nihil aliud intelligi, quàm actum illum, tùm intellectus, tùm voluntatis Dei; quo ab æterno præſciuit aliquos gratiæ ſuæ donis malè vſuros, & in peccata mortalia lapſuros, in ijſque morituros: & proptereà decreuit eos à gloria excludere, ac illis ſecundùm peccatorum meritum damnationis æternæ pœnas infligere.

3 Quomodò autem iſta debeant intelligi; & qua ratione prædeſtinatio ac reprobatio inter ſe differant euidens fiet ex dicendis.

SECTIO II.

Quid Fides Catholica de prædeſtinatione & reprobatione credendum proponat.

1 PRÆCIPVAS hic veritates circà prædeſtinationem & reprobationem Fide catholica credendas, cum erroribus oppoſitis ab Eccleſia proſcriptis & damnatis, breuiter proponemus: reliqua verò, quæ ad eandem materiam ſpectant, in ſequentibus ſectionibus explicabimus.

Dicendum igitur 1. Fide Catholica credendum eſſe in Deo prædeſtinationem, ac reprobationem verè reperiri: ſeu Deum aliquos de facto prædeſtinaſſe, alios verò reprobaſſe.

Hæc veritas expreſsè habetur in Scripturis Epiſt. 1. *Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum.* In eodem capite. *In quo ſumus prædeſtinati, ſecundùm propoſitum eius, qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Sap. 9. *Noli me reprobare a pueris tuis.* Heb. 12. *Eſau reprobatus eſt: non enim inuenit pœnitentiæ locum.*

Eadem veritas etiam aſſeritur à SS. Patribus, præſertimque à S. Aug. in toto lib. de prædeſtinatione Sanctorum, & alibi paſſim.

Ratio etiam ſuffragatur: quia, cùm fide diuina certum ſit, quoſdam homines æternã ſalutem per Chriſti gratiam conſequi, certum etiam eſſe debet, Deũ ijs gratiã & gloriã illam ab æterno præparaſſe: cùm Deus nihil in tempore faciat, quod ab æterno facere non decreuerit. E contrà cùm certum ſit multos huic gratiæ deeſſe, ideòque gloriam illam non conſequi, certum eſt etiam Deum, ob peccata illorum præuiſa, decreuiſſe ab æterno eos à gloria excludere.

2 Dicendum 2. Fide Catholica credendum eſſe, ex parte prædeſtinati, nullam omnino dari cauſam prædeſtinationis: ſi ſumatur prædeſtinatio, prout comprehendit, non tantum electionem ad gloriam, ſed etiam præparationem omnium gratiarum; ſeu decretum conferendi omnia gratiæ auxilia, ac proinde etiam primam gratiam, qua Deus ipſum prædeſtinatum præuenire & excitare decreuit.

Huic veritati oppoſiti ſunt varij errores.

Primus fuit Origenis, qui aſſerit lib. 1. Periarchon. cap 8. Deum ad prædeſtinationis gratiam homini conferendam, moueri propter bona opera, quæ anima, antequàm eius corpori vniretur, exercuit: exiſtimabat enim animas omnes ante hunc mundum corporeum ſimul fuiſſe creatas.

Hunc errorem refellit S. Thomas q. 23. art. 5. authoritate Apoſto-

li ad Rom. 9. vbi Iacob electum, & Eſau reprobatum dicit: *Cum nondum nati eſſent, aut quidquam boni vel mali egiſſent*. Quod autem dicit animas ante mundum corporeum fuiſſe creatas, hoc ab Eccleſia damnatum fuit in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. ſeſſ. 8.

3 Secundus error fuit Pelagianorum, qui aſſerebant hominem operibus bonis, per ſolas naturales arbitrij ſui vires, factis, gratiam prædeſtinationis poſſe promereri. Hanc illorum hæreticorum ſententiam explicat S. Auguſt. lib. de prædeſtin. Sanctorum cap. 18. his verbis: *Praſciebat Deus* (*ait Pelagianus*) *qui futuri eſſent ſancti & immaculati per libera voluntatis arbitrium: & ideò eos omnes ante mundi conſtitutionem, in ipſa ſua praſcientia, quia tales futuros eſſe praſciuit, elegit*. Et quamuis interdum Pelagius, vt veritati fucum faceret, & Eccleſiæ damnationem effugeret, verbis magnificis gratiam commendauerit: nunquam tamen ex animo priſtinum errorem retractauit, ſed illum varijs verborum inuolucris obtegere ſemper conatus eſt, vt patet ex S. Aug. toto ferè lib. de Gratia Chriſti, ac præſertim ex cap. 3. 4. 6. 9. 41. & 42. Quod in tractatu de Gratia fuſius explicabitur, vbi oſtendetur hunc errorem à ſummis Pontificibus Innocentio, Zoſimo, Cæleſtino, & à Concilijs Mileuitano, Carthaginenſi, & aliis damnatum fuiſſe.

Eiuscertè falſitas manifeſtè reuincitur ab eodem S. Aug. lib. cit. de prædeſt. ſanct. c. 18. ex illis Apoſtoli verbis ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati*. Ex quibus ſic concludit: *Non ergo quia futuri eramus, ſed vt eſſemus ſancti, ideò quippè tales eramus futuri, quia elegit ipſe prædeſtinans, vt tales per gratiam eius eſſemus*.

Errori Pelagianorum affinis fuit error Semipelagianorum & Maſſilienſium: qui licet faterentur nos ſine Chriſti gratia non poſſe ſalutem æternam conſequi, (in quo à Pelagianis diſſidebant) exiſtimabant tamen Deum hanc nobis conferre gratiam ab æterno decreuiſſe, intuitu & occaſione alicuius boni operis, vel ſaltem alicuius boni deſiderij, ſeu conatus noſtræ voluntatis, per naturæ vires eliciti. Vnde Caſſianus huius ſententiæ præcipuus aſſertor lib. 2. de inſtitutis renunciantium cap 14. dicebat: *Dei miſericordiam præſtò eſſe: occaſione tantummodò bonæ voluntatis à nobis oblata*; Et collatione 3. cap. 13. *Ob id ſolùm Deum exigere vel expectare, ad ſuam gratiam tribuendam, quoſdam bonæ voluntatis conatus, ne penitùs dormientibus, aut inerti otio diſſolutis; ſua videatur dona conferre*.

Refelluntur hi errores, & ſimul noſtræ fidei veritas probatur 1. authoritate Scripturæ. 2. ad Timoth. cap. 1. *Vocauit nos vocatione ſua ſancta; non ſecundùm opera, ſed ſecundùm propoſitum ſuum.*

1. Co=

1. Corinth. 4. *Quis te diſcernit? quid habes quod non accepiſti?* 2. ad Cor. 3. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.*

Probatur 2. authoritate Concilij Arauſicani 2. canone 2. in quo anathema profertur in eos qui dixerint, *Deum expectare noſtram voluntatem, qua velimus à peccato purgari: non autem per Spiritus ſancti inſpirationem fieri, vt etiam purgari velimus.* Et can 25. *Hoc etiam profitemur, quòd in omni opere bono nos non incipimus, & poſteà per miſericordiam Dei adiuuamur: ſed ipſe nobis, nullis præcedentibus meritis, fidem & amorem ſui inſpirat.* Ex quibus Concilij & Scripturæ verbis, cum conſtet nos primam gratiam promereri non poſſe; conſtat etiam prædeſtinationem, prout illam primam gratiam complectitur, ex noſtris meritis nuſquam prouenire.

Confirmatur 1. ab exemplo prædeſtinationis paruulorum, qui ab hac vita ſtatim poſt ſuſceptum Baptiſmum rapiuntur: ſicut enim nulla ex parte illorum datur cauſa illius prædeſtinationis, quia nulla dantur merita, quibus ſe diſponere potuerint ad percipiendam Baptiſmi gratiam, quæ ex ſola gratuita Dei miſericordia ipſis confertur: ſic etiam de aliorum adultorum prædeſtinatione dicendum eſt, nullam dari illius cauſam ex parte ipſorum, quia nulla dantur merita quibus ſe diſponere potuerint ad primam gratiam accipiendam (vt fuſiùs infrà ſuo loco probabitur.)

Quod autem aliqui ex illis hæreticis dicebant paruulos illos à Deo prædeſtinatos eſſe, propter bona opera quæ facturos illos, ſi diutiùs vixiſſent, ipſe præuiderat, repugnat veritati Catholicæ, & refellitur à Sancto Auguſtino libro de prædeſt. Sanct. cap. 12. vbi rectè docet omnes homines iudicandos *ſecundùm propria corporis* (vt loquitur Apoſtolus 2. ad Cor. 5.) id eſt prout in hac vita corporali ſe de facto geſſerint, non autem prout ſe geſſiſſent, ſi diutiùs vixiſſent, vel in alijs occaſionibus benè vel malè acturi fuiſſent.

Confirmatur 2. ab exemplo Chriſti, qui ſicut eſt caput, ita etiam eſt omnium prædeſtinatorum exemplar, quos (vt ait Apoſtolus) ipſe Deus *prædeſtinauit conformes fieri imagini Filij ſui.* Sicut enim Chriſtus, vt homo, prædeſtinatus eſt, nullis præcedentibus meritis, vt per vnionem hypoſtaticam cum Verbo, eſſet Filius Dei naturalis: ita etiam nos ſine vllis præcedentibus meritis prædeſtinamur, vt ſimus Filij Dei adoptiui per gratiam. Hanc rationem eleganter tractat S. Aug. de bono perſeu. capite vltimo, & aliis in locis.

Dicendum 3. Fide Catholica credendum eſſe, neminem à Deo reprobari, & ad pœnam æternam damnationis deputari, niſi ratione præuiſorum demeritorum.

Huic

Huic veritati oppoſitus eſt error Caluini qui lib. 3. Inſtit. cap. 21. paragr. 5. poſt antiquiores quoſdam hæreticos (quos refert & refutat Valdenſis lib. 1. doctrinalis fidei) aſſeritur Deum ante præuiſionem cujuſcumque peccati, non tantùm excluſiſſe aliquos à cæleſti gratia, ſed etiam efficaci voluntate eos ad pœnam æternam deputaſſe, vnde capite 23. paragr. 9. ait Deum, vt ipſi reprobi efficaciter ad hunc finem a ſe intentum perueniant, non tantum eos gratiis ad ſalutem neceſſariis priuare, ſed etiam iniicere iis peccandi neceſſitatem, quam euadere non poſſint.

Hæc blaſphemia refellitur, & veritas noſtræ fidei probatur 1. Authoritate Scripturæ variis in locis, in quibus teſtatur Deus ſe nolle vt vllus pereat, ſed vt omnes peccatores ad pœnitentiam conuertantur, & ſic vitam æternam conſequantur. Ezech. 18. *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impÿ, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à vÿs ſuis, & viuat?* Et cap. 33. *Viuo ego dicit Dominus, nolo mortem impii, ſed vt conuertatur impius à via ſua, & viuat.* S. Matth. 18. *Non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, vt pereat vnus ex his puſillis.* 2. S. Petri. *Deus patienter agit propter vos nolens aliquem perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti.*

Probatur 2. ex concilijs Arauſicano can. 25. & Trident. ſeſſ. 6. ca. 17. in quibus anathema dicitur ijs, qui aſſeruerint aliquos diuina poteſtate ad malum eſſe prædeſtinatos. Item ex Concil. Valentino cap. 3. vbi dicitur: *In electione ſaluandorum miſericordiam præuenire; in damnatione autem periturorum, meritum malum præcedere iuſtum iudicium.*

Probatur 3. authoritate S. Auguſt. lib 3. cont. Iulianum cap. 18. *Bonus eſt Deus*, inquit, *iuſtus eſt Deus: poteſt aliquos ſine bonis meritis liberare; quia bonus eſt: non poteſt quemquam ſine malis meritis damnare; quia iuſtus eſt.* Et S. Proſp. lib. 1. reſponſ. ad capitula Gallorum, ad capitulum 7. vbi ſic loquitur *Gratia Dei non prius eos* (reprobos ſcilicet) *deſeruit, quam ab ÿs deſeretur: & quia hoc ipſos voluntaria defectione facturos præuidit; ideò in prædeſtinationis electione illos non habuit.*

Probatur 4. ratione: quia, ſicut pœna neceſſariò peccatum præſupponit, cùm ſit illius punitio: ita deſtinatio ad pœnam, præſupponit etiam peccatum in eo qui ad illam deſtinatur: & peccati cognitionem in eo qui deſtinat. aliàs iudicium eius, nec iuſtum nec determinatum eſſe poſſet: cum nec cauſam legitimam puniendi haberet, vbi nullum eſſet peccatum; nec rationem vllam determinandi pœnam ad certum gradum intenſionis vel extenſionis, cùm hoc ex cognitione grauitatis aut leuitatis peccati pendeat: pro menſura enim delicti, debet eſſe plagarum modus.

SECTIO III.

** An ſolum peccatum originale ſit cauſa reprobationis poſitiuæ tam adultorum quàm infantium.*

SENSVS quæſtionis eſt, an illi qui reprobati ſunt, fuerint à Deo reprobati, & æternis ſupplicijs addicti, ante præuiſionem cuiuſcunque peccati actualis, & ob ſolum peccatum originale præuiſum. Pro cuius reſolutione,

Dicendum primò, falſum eſſe dicere, Deum ob ſolum peccatum originale, ab æterno reprobaſſe poſitiuè, & pœnis æternis addixiſſe omnes & quoſcumque homines qui ab ipſo reprobati ſunt.

Probatur 1. ex his Apoſtoli verbis ad Rom. 8. *Nihil damnationis eſt ijs qui ſunt in Chriſto Ieſu.* Quæ quidem verba Concilium Tridentinum ſeſſione 5. intelligit de omnibus qui Baptiſmum ſuſceperunt, & per illius gratiam iuſtificati ſunt, ac inter membra Chriſti connumerati, ipſique tanquam capiti inſerti; inter quos tamen certum eſt quam plurimos reperiri reprobatos qui ſi ob ſolum peccatum originale reprobati eſſent, dici non poſſet *nihil damnationis in illis reperiri* poſt baptiſmum, cum ſemper in eis remaneret cauſa damnationis, nempe quod in peccato originali fuiſſent concepti:

Probatur 2. authoritate eiuſdem Concilij loco citato, vbi hæc habentur; *Si quis per Ieſu Chriſti gratiam quæ in baptiſmo confertur, reatum originali peccatis remitti negat, aut etiam aſſerit non tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet, &c. Anathema ſit. In renatis enim nihil odit Deus, &c.*

Hæc autem Concilij doctrina vera non eſſet, ſi illi qui inter baptizatos reprobati ſunt, ante præuiſionem cuiuſcumque peccati actualis, ob ſolum peccatum originale præuiſum, eſſent à Deo reprobati; quia dici non poſſet reatum originalis peccati, per gratiam in baptiſmo collatam, verè ipſis remiſſum fuiſſe, aut ſublatum fuiſſe id totum, quod veram & propriam peccati rationem habet; cùm ob ipſummet peccatũ originale damnandi & ęternis cruciatibus plectendi forent; Deus enim neminem damnat: aut æternis cruciatibus plectit ob peccatum quod verè & propriè remiſſum eſſet. Falſum præterea eſſet dicere, quod in ijs qui per baptiſmum renati eſſent, nihil odiſſet Deus; quia ſemper in illis odio haberet, id ob quod eos à ſe reprobatos & damnatos conſpiceret.

Probatur 3. ex pluribus alijs falſis & abſurdis, quæ ſequerentur ex ſententia illa quam impugnamus. Si enim Deus ob ſolum originale peccatum reprobat, hinc ſequitur verum non eſſe quod dixit Apoſtolus 1. ad *Tim. 2. Deum velle omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Nam è contrariò dicendum eſſet, Deum

velle

velle longè maiorem partem hominum poſitiuè à ſalute excludere, & æternis pœnis plectere.

Sequitur etiam falſum eſſe id quod ſimiliter dixit Apoſt. princeps, Epiſt. 2. c. 3. *Deum nolle aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti*: nam poſita illa ſententia, vult è contrariò voluntate antecedenti omnes illos perire, quos poſitiuè ob peccatum originale reprobauit, nec proinde vult vt agant pœnitentiam, & in ſtatu gratiæ decedant, cùm id eius decreto antecedenti & voluntati efficaci è diametro repugnet.

Sequitur inſuper ex eadem ſententia falſum eſſe quod definitum eſt in Concilio Arauſicano 2. can. 25. hic verbis: *Hoc etiam ſecundùm fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptiſmum gratia, omnes baptizati, Chriſto auxiliante & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere.* Et quod dicitur in Concilio Trid. ſeſſ. 6. c. 13 *Omnes iuſtificatos in Dei auxilio ſpem firmiſſimam collocare & reponere debere, Deumque niſi ipſi eius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita & illud perfecturum eſſe*. Sequitur inquam, Conciliorum illorum doctrinam falſam eſſe, quia poſita illa ſententia, quicumque inter baptizatos reprobati ſunt, quamuis per baptiſmum gratiam acceperint, tamen neque auxilium Dei ad perſeuerandum in gratiâ vnquam accipient, neque auxilio illo deſtituti, poterunt vnquam, quantumcumque laborauerint, ea quæ ad ſalutem conſequendam neceſſaria ſunt adimplere. Cùm verò hæc omnia quæ ex illa ſententia ſequuntur, abſurda ſint, & abſona ab omni veritate, hinc concludere oportet eam tanquam falſam penitus repudiandam & abijciendam eſſe.

Dicendum 2. Nullum adultum poſitiuè à Deo reprobatum eſſe, & æternæ damnationis ſupplicijs addictum, niſi ob aliquod peccatum mortale actuale, & finalem in eo impœnitentiam ab æterno præuiſam.

Hæc aſſertio ſequitur manifeſtè ex probatione præcedentis: Si enim nullus eorum qui baptizati ſunt, ob ſolum originale peccatum poſitiuè reprobatus eſt, conſequens eſt quod quiſquis inter baptizatos reprobatus eſt, ob aliquod actuale peccatum ab æterno præuiſum reprobatus ſit. Idem verò dici debet etiam de reprobatis adultis non baptizatis, cùm quoad reprobationem par ſit vtrorumque ratio, & argumenta ac rationes quibus vtuntur aſſertores ſententiæ quam impugnamus, æquè probent de his atque de illis, vt ex ſolutione obiectionum conſtabit, nullamque inter reprobos adultos conſtituant differentiam, ſed omnes ſiue baptizatos, ſiue non baptizatos in eadem *perditionis maſſa*, vt loquuntur, inuolutos eſſe contendant, idque ob ſolum præuiſum peccatum originale.

Probari prætereà poteſt hæc 2. aſſertio ex his Chriſti Domini

verbis Matth. 25. quibus formam futuri Iudicij repræſentant: *Ite maledicti in ignem æternum, &c. eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare*. In quibus notanda eſt particula cauſalis, *enim*, quæ apertè ſignificat rationem ob quam igni æterno addicentur, ſcilicet ob tranſgreſſionem diuinæ legis: eſt autem ibi ſermo non de executione duntaxat, ſed etiam de ipſo æterno decreto quo æternis sũt ſupplicijs, ob præuiſa eorum peccata actualia adiudicati, ſicut in eadem diuini iudicis ſententia exprimitur, regnum cœleſte non modo dandum electis, ob eorum bona opera, ſed etiam ab æterno illis paratum fuiſſe, ob illa eadem opera, de qua re agetur ſectione ſequenti.

Dicendum 3. Infantes abſque baptiſmo decedentes à regno cæleſti excluſos fuiſſe æterno Dei decreto, idque ob præuiſam eorum mortem in peccato originali, nuſquàm verò ob illud ſolum peccatum originale pœnis & ſupplicijs fuiſſe addictos.

Prima pars huius aſſertionis eſt in confeſſo apud omnes Catholicos, & manifeſtè conſtat ex his Chriſti Domini verbis Ioan. 3. *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.*

Secunda pars eiuſdem aſſertionis pleniùs intelligetur ex dicendis tract. 4. cap. 5. de lapſu hominis ſect. 5. & interim probatur auctoritate ſancti Doctoris varijs in locis, ac præſertim quæſt. 5. de malo, art. 2. & in 2. diſt. 33. quæſt. 2. art. 1. vbi aſſerit & probat peccato originali non deberi pœnam ſenſus, ſed tantum pœnam damni, hoc eſt carentiam viſionis beatificæ.

Verùm contra ea quæ aſſertione prima dicta ſunt, obiicitur authoritas ſancti Auguſtini, qui varijs in locis loquitur de quædam maſſa perditionis & damnationis, in qua omnes homines ob peccatum originale inuolutos eſſe cenſet, & proinde ob ſolum peccatum originale ab æterno reprobatos, exceptis ijs quos Deus ex illa maſſa ſecreuit, & ex mero beneplacito prædeſtinauit.

Vt non excedamus hic limites compendij, expendendo ſingula loca quæ ex D. Auguſtino allegari ſolent: duo breuiter reſpondemus.

Primum eſt, quod quamuis concederetur hanc fuiſſe D. Auguſtini ſententiam, minimè tamen teneremur illi adhærere, quia eiuſmodi ſententia nullius vnquam Concilij vel Pontificis Romani iudicio vel authoritate firmata eſt. Imò Cæleſtinus Papa in Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, in qua expresſè declarauit, quid in doctrina S. Auguſtini tenendum eſſet circa controuerſias gratiæ, occaſione Semipelagianorum tunc denuò exortas, nullam prorſus illius ſententiæ mentionem facit, quamvis illud præſertim caput in doctrina S. Auguſtini tunc à multis impeteretur. Et in Concilijs Dioſpolitano.

Mile-

Mileuitano, Carthaginenſi, Arauſicano, & alijs quæ habita ſunt contra errores Pelagianorum & Semipelagianorum, non modo altum inuenitur ſilentium de illa reprobatione generali ob ſolum peccatum originale, ſed etiam plura in illis reperiuntur, quæ eiuſmodi ſententiæ omninò repugnant. Vnde ſequitur Eccleſiam vel nuſquam agnouiſſe hanc fuiſſe D. Auguſtini ſententiam; vel ſi agnouit, illam approbare noluiſſe.

Secundum eſt, D. Auguſtinum circa ea quæ myſterium prædeſtinationis & reprobationis ſpectant mentem ſuam nuſquam apertè declaraſſe, aut explicaſſe; ex quo factum eſt vt de illa inter Doctores Catholicos nunquam planè conſtiterit, cum ab ipſis in diuerſos & contrarios ſenſus accipiatur. Quam ob cauſam Petrus Lombardus Epiſcopus Pariſienſis non dubitauit dicere lib. 1. ſentent. diſt. 41. *Beatum Auguſtinum tam variè & obſcurè de prædeſtinatione locutum fuiſſe, vti quid intelligere voluerit, ignoretur*. Eandemque ob cauſam Claudius de Xaintes Epiſcopus Ebroicenſis in libro Atheiſmorum Caluini, tract. 7. aſſeruit Diuum Auguſtinum non eandem ſemper ſententiam, ſed plures ac planè diuerſas, circa myſterium prædeſtinationis tenuiſſe, nec vnquam ſatis mentem ſuam aperuiſſe, quod ibi fuſiùs declarat. Quæ cum ita ſe habeant, non eſt quod quis corrogatis & truncatis aliquot D. Auguſtini teſtimonijs, & contra illius mentem haud dubiè intellectis, ſtabilire velit & propugnare ſententiam tam apertè Scripturis ſacris & Concilijs repugnantem.

SECTIO IV.

An prædeſtinatio ad gloriam, ſit ante vel poſt præuiſa merita.

1 SVMITVR hìc nomen prædeſtinationis, non prout comprehendit præparationem mediorum, ſeu gratiarum ad ſalutem æternam conſequendam; ſed prout ſignificat tantùm electionem ad gloriam. Et in eo ſenſu quæritur, an Deus omnes ſaluandos ita prædeſtinauerit, vt eos abſoluta & efficaci voluntate elegerit ad gloriam certumque gloriæ gradum: priùſquam, ſecundùm noſtrum concipiendi modum, vlla eorum merita præuiderit; an è contrà electio illa efficax ad gloriam facta ſit propter præuiſa bona illorum opera, & finalem in gratia perſeuerantiam.

Duæ ſunt ſuper hac quæſtione oppoſitæ Theologorum ſententiæ.

Prima eſt eorum, qui exiſtimant electionem ſaluandorum ad gloriam, à Deo factam eſſe abſoluta & efficaci voluntate, ante vlla

præuiſa eorum merita, & virtute illius electionis, à Deo præparata & decreta eſſe omnia illa gratiæ ſupernaturalis auxilia, quibus electi ad opera bona, illius gloriæ de condigno meritoria, efficaciter excitarentur, & adiuuarentur.

Ita Scotus in 1. diſt.41.quæſt.1.Sotus in cap.9.epiſt.ad Rom. Bellar.libr.2.de grat.& libero arbit.cap.15.Suar.lib,3. de auxilijs cap.16. & plures alij.

Probatur hæc ſententia ab illis 1. ex Scriptura quæ aliquibus in locis videtur ſignificare, Deum gratuitò, ex mera beneuolentia prædeſtinaſſe ad gloriam: vt S. Luc. 12. *Nolite timere puſillus Grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum*. Rom.7. *Gratia Dei vita æterna*. Act.13. *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam*. Rom.8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum ijs, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt Sancti: nam quos præſciuit & prædeſtinauit, &c.*

Probatur 2. authoritate S. Auguſt. quem illi authores maximè pro ſua ſententia ſtare contendunt, cuius hic citationes ab illis factas recenſere (cùm in eorum ſcriptis videri poſſint) minimè neceſſarium exiſtimauimus.

Probatur 3. ratione; quia Deus ordinatiſſimè in ſuis conſilijs & decretis procedit: Ergo priùs intendit finem quàm media; Atqui gloria ſe habet per modum finis: merita autem, & bona opera ſunt media ad illam. Ergo priùs intendit abſolutè illam gloriam electis conferen, dam cum ijs poſteà de medijs ad illam conſequendam per gratiæ ſuæ auxilia, prouidere decernit.

2 Secunda ſententia eſt eorum qui exiſtimant electionem abſolutam & efficacem prædeſtinatorum ad gloriam factam non eſſe, niſi poſt præuiſionem meritorum, ac finalis in gratia perſeuerantiæ.

Huic ſententiæ ſubſcribunt Alexander Alenſis 1. par.. quæſt. 28. num,3. art.3.S. Bonauent. in 1. diſtinct.41, quæſt.2. num. 15. & plurimi alij celeberrimi Doctores, tam veteres, quàm recentiores, quos citat & ſequitur Leſſius in opuſc. de prædeſtinatione & reprobatione, ſect. 2. quibus addere poſſumus Philippum Gammachæum in 1.partem S.Thom.quæſt.25. cap.6. & Nicolaum Iſambertum ad eandem quæſtionem diſp.4. art.2.

Probatur ab illis Authoribus hæc ſententia 1. ex Scriptura Matth. 20. vbi Chriſtus dicit: *Sedere ad dexteram meam vel ad ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo*. Quibus verbis (vt SS. Patres docent) Chriſtus innuit non fauori & gratiæ, ſed laboribus & meritis paratam eſſe ſeſſionem in regno ſuo. Ita hunc locum explicat S. Epiph. hæreſi 69. S. Cyrill. lib. 10. theſauri cap.16. & Hieron.lib.cont. Iouinianum, vbi ait, ideò Chriſtum Dominum ibi dicere: *Non eſt meum dare vobis*; vt nouerit

vnuſquiſque manſionem ſibi in cœlo, non ex ſola Chriſti largitate, ſed etiam ex proprijs operibus eſſe præparandam. Item S. Matth. 25, *Venite benedicti, poſſidete paratum vobis Regnum &c. Eſuriui enim, &c.* Quibus verbis apertè inſinuatur, Regnum Cœlorum ab æterno eſſe iuſtas præparatum ob præuiſa eorum bona opera: quod patet tum ex particula cauſali (enim) tùm ex eo quod ſimiliter dicitur reprobis: *Ite maledicti in ignem æternum qui paratus eſt diabolo, &c.* Atqui hic ignis non eſt paratus diabolo, niſi ob præuiſa eius demerita; Ergo nec regnum eſt iuſtis præparatum, niſi ob præuiſa eorum merita.

Probatur 2. ex S. Hieron. Epiſt. ad Hedibiam quæſt. 10. *Deus,* inquit, *vaſa miſericordiæ quæ præparauit in gloriam ſuam, non irrationabiliter ſaluat, & abſque veritate, ſed cauſis præcedentibus; quia alij non ſuſceperunt Filium Dei, alij autem recipere ſua ſponte voluerunt. Ex quo oſtenditur non gentes eligi, ſed hominum voluntates.* S. Ambroſ. lib. 5. de Fide cap. 3. *quorum merita præſciuit, eorum præmia prædeſtinauit.*

* Honor. Auguſtodun. in dial. de præd. to. 9, Bibl. Pat. vbi poſtquam dixit *prædeſtinationem eſſe, pro meritis cuiuſque æternam Dei præparationem, vel ad gloriam, vel ad pœnam,* Hæc addit, *Porrò qui præuiſi ſunt in bonis permanſuri, ad gloriam ſunt prædeſtinati; qui verò præſciti in malo vitam finituri, ad pœnam ſunt vtique præordinati. Ergo quos Deus præſciuit in filium ſuum credituros, & mandata eius voluntariè ſeruaturos, hos ante ſæcula prædeſtinauit, &c. quos autem id minimè facturos præſciuit, hos à regno gloriæ reprobauit.*

S. etiam Aug. licet contrariæ ſententiæ aliquibus in locis fauere videatur, in alijs tamen ſatis apertè aſſerit, electionem ad gloriam ſupponere bona opera & merita electorum; vt lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. *Non præcedit electio iuſtificationem, ſed electionem iuſtificatio: nemo enim eligitur, niſi iam diſtans ab illo, qui reijcitur.* Et Ser. 7. de Verb. Dom. paulò poſt medium: *Quos voluit hos Deus elegit: elegit autem (ſicut dicit Apoſtolus) & ſecundùm ſuam gratiam, & ſecundùm illorum iuſtitiam.*

His SS. Patribus meritò adiungi poteſt beatæ memoriæ Franciſcus Saleſius, olim Gebennenſium Epiſcopus, qui in opuſculo de amore Dei libro 3. cap. 5. id expreſſè docet & probat ex verbis cuiuſdam Collectæ, in qua Eccleſia Deum alloquens dicit, illum *miſereri omnium, quos ſuos fide & opere futuros eſſe prænoſcit.* Quibus verbis, (vt ille dicit) fatetur Eccleſia, gloriam ijs eſſe deſtinatam, quos diuina ſapientia præuidit gratiæ ſuæ vocationi obtemperaturos: & per illam ad fidem viuam, quæ per charitatem operatur, eſſe peruenturos.

* Ibidemq; ad maiorem veritatis illius elucidationem, ordinem gratiarum & donorum in diuina & æterna prædeſtinatione ſic explicat.

Voluit ab æterno Deus vero & ſincero voluntatis affectu, etiam poſt præuiſum Adæ peccatum, vt omnes homines ſaluarentur, idque medijs illorum naturæ arbitrio libero præditæ conuenientibus. Hoc eſt quod omnium illorum ſalutem voluit, qui auxilijs, & gratijs quas ipſis ad hunc finem præpararet, offerret, & conferret, conſenſum voluntatis ſuæ præbere vellent.

Inter illas autem gratias voluit vocationem primum locum tenere, talemque illam, & ita noſtræ eſſe libertati contemperatam, vt liberè illam vel acceptare vel abijcere poſſemus. Iis verò, quos gratiam illam vocationis acceptaturos præuidit, motus internos pænitentiæ conferre voluit: & rurſùm ijs, qui internis illis motibus aſſentirentur, charitatis donum tribuere, & illis qui charitate præditi eſſent, auxilia ad perſeuerandum neceſſaria conferre, & demùm ijs, qui auxilijs illis fideliter cooperarentur, ipſam finalem perſeuerantiam, ac tandem beatam æterni amoris gloriam largiri decreuit.

SECTIO V.

Quid ſuper quæſtione in ſectione præcedenti propoſita ſentiendum videatur.

1 VT in quæſtione difficili & obſcura lucem aliquam afferamus; neque tamen limites nobis propoſitos excedamus tria hìc breuiter pro illius reſolutione dicenda ſunt.

Primum eſt nihil adhuc ab Eccleſia definitum eſſe ſuper illa quæſtione, ac proinde liberum eſſe vnicuique illud tenere, quod ſibi probabilius videbitur.

Et quamuis (vt ſincerè loquamur) verum ſit ſanctum Auguſtinum magis propendere in eam ſententiam, quæ dicit electionem ad gloriam factam eſſe ante præuiſa merita; eius tamen authoritas, licet maximi facienda, nullam ſecum fidei obligationem inuehit, vt ſatis euidens eſt; tum ex eo, quòd tot maximi nominis Doctores & maxime catholici, qui ſectione præcedenti citati ſunt, non ſolùm ab hac ſed & ab alijs plurimis S. Auguſtini ſententijs apertè diffideant; tum etiam ex ijs, quæ idem S. Auguſtinus pro ſingulari ſua & prorſus admirabili modeſtia & humilitate de ſeipſo ac ſcriptis ſuis dixit varijs in locis, & præſertim epiſt. 7. ad Marcellinum; & in prologo ſuarum Retractationum. Quamdiu enim ſuper aliqua quæſtione nihil ab Eccleſia definitum eſt

vni-

vnicuique ſine cuiuſquam præiudicio in ſuo ſenſu abundare permiſſum eſt.

Secundum eſt, quod licet vtraque ſententia non ſolùm ſit pietati conſentanea, ſed plurimis tùm rationibus, tùm authoritatibus fulciatur: illam tamen, quæ aſſerit electionem abſolutam & efficacem ad gloriam, non niſi ratione præuiſorum meritorum: à Deo factam eſſe, videri longè probabiliorem.

* Tum ob authoritates & rationes ſectione præcedenti allatas; tum maximè quia ſententia illa communis fuit omnium ſanctorum Patrum qui præceſſerunt S. Auguſtinum, vt fatetur S. Proſper eius diſcipulus, Epiſtola ad eundem S. Auguſtinum, quæ eius libro de prædeſtinatione ſanctorum præfixa eſt, vbi expreſsè dicit quod omnium illorum antiquorum Patrum *par inuenitur & vna ſententia, qua propoſitum & prædeſtinationem Dei ſecundùm præſcientiam receperunt vt ob hoc Deus alios vaſa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem vniuſcuiuſque præuiderit; & ſub ipſo gratiæ adiutorio in qua futurus eſſet voluntate & actione præſciuerit.*

3 Eadem etiam ſententia communis fuit quam plurimorum SS. Patrum & Doctorum Græcorum & Latinorum, qui poſt S. Aug. ſcripſerunt, vt videre eſt apud Leſſ. Opuſc. de prædeſt. & reprob. ſect. 2. communis autem ille Patrum & Doctorum conſenſus maximi ponderis apud quemcumque Theologum eſſe debet, ad probandum alicuius ſententiæ veritatem.

Quæ autem pro ſententia oppoſita allata ſunt, facile diſſolui poſſunt.

Ad primum enim locum Scripturæ reſpondendum eſt, Chriſtum Dominum loqui de complacentia dandi regnum, non abſoluta, ſed conditionata: ſicut & promiſſio dandi eiuſdem regni non abſoluta, ſed conditionata eſt, vt expreſsè definiuit Concil. Tridentin. ſeſſ. 6. can. 20.

Ad ſecundum, vitam æternam dici ab Apoſtolo gratiam Dei, non quia gratis abſolutè decreta ſit; ſed quia per gratiam Dei obtinenda ſit. Et præterea quia cum talis & tanta ſit, tamen pro valdè exiguis operibus ex gratuito Dei beneplacito ſit tanquam merces conſtituta.

Ad tertium, dicendum eſt præordinationem illam intelligendam eſſe; non ad gloriam, ſed ad fidem: iuſtus enim (vt ait Apoſtolus Roman. 1.) ex fide viuit; & (vt loquitur Chriſtus) hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum: id eſt, hæc eſt quædam inchoatio vitæ æternæ, vt cognoſcant Deum per Fidem, quem cognituri ſunt poſtea per viſionem beatificam.

Vel reſpondendum eſt illos dici præordinatos ad vitam æternam

qui

qui in illa Apoſtolorum concione (de qua in eo loco mentio fit) donum Fidei acceperunt, vt oſtendatur donum illud Fidei, quod tunc illis collatum fuit, & per quod Deus illos ad vitam æternam ordinauit ac diſpoſuit, omnia illorum merita præceſſiſſe; ſicque illos præordinatos, hoc eſt antè vlla merita ordinatos fuiſſe, ſeu aptos & idoneos redditos per Fidem gratis acceptam, ad vitam æternam per bona opera promerendam.

* Certè ſi locus iſte Actorum intelligi deberet ſecundùm mentem illorum, qui ex eo probare volunt prædeſtinationem efficacem ad gloriam præcedere præuiſionem meritorum; ex illo ſimiliter probaretur vocationem ad fidem ſupponere præordinationem ad vitam æternam, vnde ſequeretur nullos niſi prædeſtinatos fidem habere, & proinde omnes & quoſcumque fidem habentes eſſe prædeſtinatos: quod tamen manifeſtè repugnat Scripturæ, & damnatur à Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 17. Et è contra ſequeretur eos qui præordinati ſeu prædeſtinati non ſunt ad gloriam, nunquam credere aut fidem habere, quod æquè falſum eſt.

Ad quartum; verum eſſe eos qui à Deo per gratiam vocantur vt ex peccatoribus fiant iuſti & ſancti, vocari ad illam gratiam, non ex meritis, ſed ex gratuito Dei propoſito, vt ex antedictis patet. Verba autem quæ ſequuntur (*quos præſciuit & prædeſtinauit*) ſic intelligenda eſſe: quos præſciuit per vocationem gratiæ ſuę, fidem & charitatem habituros, eos prædeſtinauit, vt eſſent conformes Filio ſuo: itaque ſicut Filio tribulationes cooperatæ ſunt in bonum, ita & illis cooperabuntur. Ita S. Cyril. apud Oecumenium in hunc locum, S. Ambroſius. lib. 5. de Fide cap. 3. S. Chryſ. hom. 15. in Epiſt. ad Rom. & alij.

Ad rationem denique reſpondetur, Deum intendere gloriæ collationem, non ſimpliciter, nec tanquam purum & gratuitum donum; ſed tanquam mercedem & præmium bonorum operum & meritorum, vt manifeſtè teſtatur Scriptura: quæ varijs in locis, ſub nomine mercedis, gloriam æternam deſignat. Vnde ſequitur quòd Deus nullum ad eam ab æterno efficaciter elegerit, niſi quem bonis operibus & finali perſeuerantia illam promeriturum eſſe præuidit.

4 Tertium denique eſt, hanc ſecundam ſententiam, quam probabiliorem eſſe diximus, nullo modo derogare (quod alicui ſine ratione inficiantur) ſummæ & omnimodæ illi dependentiæ, quam homo in ſe agnoſcere & profiteri debet, reſpectu diuinæ potentiæ & miſericordiæ, in negotio ſalutis.

Cum illa ſiquidem ſtat ſemper inconcuſſa veritas illa quam vt baſim & fundamentum totius Chriſtianæ pietatis ſæpiùs ingerit S. Auguſtinus; nimirum nihil in ſe habere hominem, vnde coram Deo

gloriari

gloriari poſſit; nihil ex ſe poſſe in ſalute ſibi procuranda, quo acceptum Deo referre non debeat: nullum ex ſe meritum proferre, quod gratiæ Chriſti adſcribere non teneatur. Decreuit quidem Deus ab æterno gloriam homini ob merita conferre, ſed quid ex ſe mereri poteſt, qui nequidem, aliquid boni cogitare ex ſe ſufficiens eſt? vndecum ſine gratiæ diuinæ auxilio nihil omninò poſſit, gratia autem illa ſit ei prorsùs indebita, & ex pura tantùm Dei miſericordia concedatur, ſequitur vt & merita omnia, & gloriæ ipſius præmia tanquàm gratiæ munera, & diuinæ miſericordiæ dona debeat agnoſcere. Cùm autem gratiam illam Deus non æqualiter & vniformiter omnibus, ſed vnicuique provt vult, largiatur, & vni quidem maiorem, alteri minorem; huic efficacem tribuat, illi non item; iuſtum modo ſpeciali ad ſe trahat, alium ſimili auxilio non iuuet, verè ac meritò cum Apoſtolo dicere ſemper debemus, *O altitudo diuitiarum ſapientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius!* (&) *Nunquid dicit figmentum ei qui ſe finxit: quid me feciſti ſic? an non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?*

SECTIO VI.

Quinam ſunt effectus prædeſtinationis & reprobationis.

1 QVAMVIS (vt rectè docet S.Thom. 1.part. qu.23. art.2.) prædeſtinatio formaliter non ſit in prędeſtinato, ſed in Deo prædeſtinante; nihilominùs, in quantum executioni mandatur, aliquos effectus producit in ipſo prædeſtinato: de quibus quęſtio propoſita intelligenda eſt. Pro cuius reſolutione,

Dicendum 1. duos eſſe in genere effectus prædeſtinationis, gratiam ſcilicet & gloriam. Porrò, quia gratia duplex eſt; vna actualis: quæ dicitur gratia vocationis: altera habitualis, quæ vocatur gratia iuſtificationis: hinc factum eſt vt primus ille effectus nomine gratiæ comprehenſus, in duo ſubdiuidatur, Et ſic tres præcipui effectus prædeſtinationis numerentur; nempè vocatio, iuſtificatio, & glorificatio, iuxta Apoſt.Rom.8. *Quos prædeſtinauit, hos & vocauit; & quos vocauit, hos & iuſtificauit; quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit.*

Eſt autem obſeruandum, ad gratiam vocationis reduci omnia auxilia & adiumenta, non ſolùm interna, ſed etiam externa, quæ ad iuſtificationem ſuo modo ſimul cum internis concurrunt: vt externa Euangelij prædicatio, à parentibus Chriſtianis ortus & educatio, occaſionum peccandi remotio, cùm pijs & bonis conuerſatio, fraterna

terna correctio, & alia ſimilia. Ad gratiam quoque iuſtificationis pertinere omnes alios habitus ſupernaturales, qui ſimul cum ipſa gratia habituali infunduntur: vt habitus fidei, ſpei, charitatis, & aliarum virtutum ſupernaturalium: item dona Spiritus ſancti, gratias ſacramentales, ac donum finalis perſeuerantiæ. Ad glorificationem denique pertinere non ſolùm ipſam viſionem beatificam, & amorem beatificum, ſed etiam alia dona gloriæ accidentalis, quæ animam vel corpus reſpiciunt. Quæ omnia & ſimilia inter effectus prædeſtinationis computari debent, tanquam ab illa beneuolentia & charitate prouenientes, qua Deus ab æterno prædeſtinatos ob Chriſti merita dilexit: & per quam illis tot & tanta ſuæ largitatis dona præparauit.

2 Dicendum 2. duos eſſe tantùm effectus reprobationis. Primus eſt permiſſio peccati; vnde dicit Apoſtolus, Rom. 9. *Quod Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam; ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum*. Et ad hunc effectum reducitur obduratio, ſeu excæcatio reprobi, cùm nihil aliud ſit quàm ipſa peccati permiſſio: quatenùs Deus permittendo peccatum, ſimul iuſta aliqua ex cauſa ſubtrahit reprobo peculiare aliquod gratiæ ſuæ auxilium, quo eius cor emolliretur, vel illuminaretur intellectus. Secundus verò effectus reprobationis eſt æterna ipſius reprobi punitio; patet ex illis Chriſti verbis Mat. 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum*.

Quæres an etiam peccata ipſius reprobi dici debeant effectus reprobationis.

Reſpondetur negatiuè: Quia effectus reprobationis ſunt à Deo reprobante vt à cauſa: atqui Deus peccatorum cauſa nec eſt, nec dici debet; vt iam alia occaſione probatum eſt, & fuſiùs probabitur in tractatu de peccatis.

SECTIO VII.

An prædeſtinatio ſit certa, & an à prædeſtinato cognoſci poſſit.

1 QVÆSTIONIS propoſitæ, quoad primam illius partem, ſenſus eſt, an prędeſtinatio certò & infallibiliter effectum ſuum conſecutura ſit. Cùm autem duplex certitudo diſtingui poſſit, vna cognitionis, quà Deus certò cognoſcit effectum illius futurum: altera medij & cauſalitatis: quatenùs medium illius prædeſtinationis exequendæ tale eſt, vt eo poſito, effectus certò & infallibiliter futurus ſit.

Dice-

Dicendum 1. prædeſtinationem electorum ad gloriam, eſſe Deo certiſſimam certitudine cognitionis.

Probatur ex Apoſtolo 2. ad Timoth. cap. 1. *Firmum fundamentum ſtat, habens ſignaculum hoc: cognouit Dominus qui ſunt eius.* Id etiam prætereà conſtat ex ijs quæ ſupra dicta ſunt de certitudine & infallibilitate ſcientiæ Dei.

Dicendum 2. prædeſtinationem electorum ad gloriam eſſe etiam certiſſimam certitudine medij & cauſalitatis. Ita Sanctus Thomas in quæſtionibus diſputatis de veritate, quæſtion. 6. articul. 3.

Probatur 1. ex cap. 10. S. Ioan. vbi Chriſtus de prædeſtinatis ſic loquitur: *Non peribunt in æternum, & nemo rapiet eos de manu mea.*

Probatur 2. ex S. Auguſtino libro 5. cont. Iulianum cap. 5. vbi loquens de prædeſtinatis: *Ex his*, inquit, *nemo perit, quacumque ætate moriatur: abſit enim, vt prædeſtinatis ad vitam, ſine ſacramento mediatoris finire permittatur hanc vitam.* Et libro de bono perſeu. cap. 14. dicit quod *prædeſtinatio eſt præparatio beneficiorum, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur.*

Quoad ſecundam quæſtionis partem.

2 Dicendum neminem poſſe certo ſcire, ſe eſſe de numero prædeſtinatorum, abſque ſpeciali aliqua Dei reuelatione.

Hæc propoſitio eſt de fide contra Caluinum lib. 3 Inſtit. cap. 24. parag. 8. aſſerentem, vnumquemque fidelem certa fide credere debere, ſe eſſe prædeſtinatum.

Refellitur hic error, & veritas noſtræ fidei probatur 1. ex illis verbis Eccl. 9. *Neſcit homo, vtrum amore vel odio dignus ſit: ſed omnia in futurum reſeruantur dubia & incerta.* Vnde meritò admonet Apoſtolus 1. Cor. cap. 10. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Et ad Philip. 2. *cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini.*

Probatur 2. ex Concilio Tridentino ſeſſion. 6. can. 15. & 16. vbi anathema profertur in eum, qui, citra ſpecialem reuelationem abſoluta & infallibili certitudine crediderit, aut dixerit, ſe eſſe de numero prædeſtinatorum; vel ſe donum finalis perſeuerantiæ habiturum.

Probatur 3. ex S. Auguſtino libro de corrept. & gratia cap. 13. *Quis ex multitudine fidelium quandiù in hac mortalitate viuitur, in numero prædeſtinatorum ſe eſſe præſumat?*

Probatur 4. ratione: quia cum prædeſtinatio ad gloriam pendeat à finali perſeuerantia, & ab eo ſtatu, in quo quis futurus eſt in exitu vitæ; euidens eſt neminem certò ſcire poſſe, qualis tunc futurus ſit: cum ea, quæ futura ſunt contingenter, quale eſt illud de quo loquimur, nullus naturaliter certò præſcire poſſit.

Quærunt hìc aliqui quomodò certitudo illa & infallibilitas prædeſtinationis cum humana arbitrij libertate concordari poſſit.

Reſpondetur breuiter; cùm in prædeſtinatione duo conſiderari poſſint ſcilicet præſcientia Dei, & decretum conferendi gratiæ auxilia ad gloriam promerendam; certum eſſe, decretum illud non magis arbitrij libertatem lædere quàm ipſam gratiam quæ vi illius confertur, & qua liberum arbitrium non cogitur, nec neceſſitatur; ſed tantùm excitatur & adiuuatur, vt ſupponimus ex tractatu de Gratia. Quod autem ſpectat ad præſcientiam diuinam iam ſuprà oſtendimus, cùm ageremus de ſcientia Dei quomodo nullum libertati humanæ afferat præiudicium, ſed illam intactam & illibatam omninò relinquat. Quare diutiùs non eſt in hac quæſtione immorandum.

CAPVT VI.

De cognoſcibilitate Dei, ſeu de modo, quo ab intellectu creato Deus clarè cognoſci poteſt.

HACTENVS de Deo egimus, provt à nobis in ſtatu vitæ ſecundùm noſtrum imperfectum concipiendi modum, per fidem cognoſci poteſt: ſupereſt nunc vt eundem conſideremus, prout à beatis in ſtatu gloriæ clarè cernitur.

SECTIO I.

An clara Dei cognitio ſit intellectui creatò poſſibilis.

1 QVÆSTIO intelligenda eſt, non de potentia naturali: certum eſt enim, nullum intellectum humanum poſſe naturaliter ad illam claram eſſentiæ diuinæ cognitionem pertingere. Vnde meritò ab Eccleſia proſcripti ſunt Ætius, & Eunomius; & illorum diſcipuli Anomæi, qui (vt refert S. Epiphanius hær. 76.) non minùs impiè quàm ſtolidè, ſe perfectè & clarè Dei eſſentiam in hac vita videre, & cognoſcere iactabant.

Propoſita igitur quæſtio intelligi debet de potentia obedientiali; ſeu, an intellectus creatus auxilio aliquo, & lumine ſupernaturali poſſi-

poſſit ita confortari & eleuari; vt ad claram & intuitiuam eſſentiæ diuinæ cognitionem pertingere queat. Pro cuius reſolutione,

Dicendum eſt claram & intuitiuam diuinæ eſſentiæ cognitionem intellectui creato eſſe poſſibilem, modo ſuprà explicato.

2 Huic veritati, quæ de fide eſt, oppoſitus eſt error cuiuſdam Gregorij Palamæ (de quo frequens mentio eſt in hiſtoria Ioannis Cantacuzeni, præſertim lib. 2. cap. 40.) & aliorum illius aſſeclarum; nec non & Armenorum quorumdam, de quibus agit Richardus Radulphus Archiepiſcopus Armacanus libro 14. de quæſt. Armenorum. c. 1. Qui omnes tàm Græci quàm Armeni negabant ab vllo intellectu creato diuinam eſſentiam, prout in ſe eſt, clarè cognoſci poſſe.

Refellitur hic error: & veritas noſtræ fidei probatur 1. authoritate Scripturæ S. Matth. capite 5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Et capite 18. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in Cælis eſt* S. Ioan. cap. 3. *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* 1. Cor. 13. *Videmus nunc per ſpeculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicut cognitus ſum.*

Probatur 2. authoritate Concilij Florentini in decreto vnionis, in quo definitum eſt, animas iuſtorum in cælo clara Dei trini & vnius viſione & fruitione eſſe beatas.

Probatur 3. ex S. Greg. Papa lib. 18. moral. capite 28. vbi ſic loquitur: *Sciendum verò eſt quòd fuerunt nonnulli, qui Deum dicerent, etiam in illa regione beatitudinis, in claritate quidem ſua conſpici, ſed in natura minimè videri.* Poſteà S. ille Pater varia Scripturæ loca citat, quibus hunc errorem refellit, & Deum in ſua eſſentia videri à beatis probat. S. Iren. lib. 4. cap. 27. *Deus incomprehenſibilis viſibilem ſe, & comprehenſibilem, & capacem hominibus præſtat, vt viuificet percipientes & videntes ſe.* Et paulò poſt: *Homines igitur videbunt Deum & viuent per viſionem immortales facti, & pertingentes vſque ad Deum* S. Bernard. ſerm. 4. in feſto omnium Sanctorum; *In hoc erit vita æterna, vt cognoſcamus Patrem & Filium cum Spiritu Sancto, & videamus Deum ſicuti eſt, non modò ſicuti eſt: id eſt, non modò ſicut ineſt, nobis videlicet aut cæteris creaturis: ſed ſicut eſt in ſemetipſo.*

Probatur 4. duplici ratione, qua vtitur S. Th. 1. p. q. 12. art. 1. Prima, quod vel dicendum eſt in Deo repoſitam non eſſe beatitudinem noſtram; quod falſum eſt, & fidei repugnat; vel ſi in Deo repoſita eſt, debet eſſe in actu perfectiſſimo circa Deum vt obiectum: qui actu alius eſſe non poteſt, quàm clara eius viſio. Secunda ratio eſt, quòd naturale deſiderium clarè Deum videndi nobis inditum ſit: cùm enim homo intuetur effectum, naturaliter appe-

tit videre cauſam ; At ſi clara Dei viſio non eſſet poſſibilis, ſequeretur Deum fruſtra & ſine ratione deſiderium illud naturæ noſtræ indidiſſe, quod omninò dici non debet.

Objiciebant Armeni 1 Apoſtolum dixiſſe 1. ad Tim. cap. 1. Deum eſſe inuiſibilem; & cap. 6. habitare lucem inacceſſibilem, nullumque hominem eum videre poſſe.

Reſpondetur (ex mente S. Aug. epiſt. 12. ad Paulinam, vbi hæc Apoſtoli verba fusè explicat) illa eſſe intelligenda de ſtatu Viatorum, non verò Beatorum: hoc eſt Deum ab hominibus, quandiù in hac mortali vita degunt, ſecundùm legem ordinariam, per ſolas naturæ vires clarè videri non poſſe; iuxta illud Exodi 33. *Non videbit me homo & viuet*.

2 Objiciebant 2. authoritatem multorum SS. Patrum, præſertim S. Ioan. Chryſoſtomi, Theodoreti, Theophilacti, Euthimij, quorum verba refert Sixtus Senenſis lib. 6. biblioth. ſanctæ ann. 183. qui denegare videntur Deum ab vllo intellectu creato clarè, vt in ſe eſt, videri poſſe.

Reſpondetur cum eodem Sixto Senenſi, verba illorum Patrum intelligenda eſſe vel de viſione Dei per oculum corporeum, quam fatemur eſſe impoſſibilem: vel de clara Dei viſione ex ſolis naturę viribus, & ſecundùm legem ordinariam, in hac vita: vel de eadem clara Dei viſione, etiam in altera vita, quatenùs ipſius eſſentiæ diuinæ comprehenſionem ſignificat; quæ haud dubiè cuicumque intellectui creato eſt omninò impoſſibilis.

Objiciebant 3. nullam eſſe proportionem inter Deum, vt clarè videndum, & potentiam creatam intellectiuam: cùm hæc ſit finita, ille verò infinitus: vnde ſequitur Deum ab intellectu creato clarè videri non poſſe.

Reſpondetur ex mente S Doctoris ſupra, reſponſ. ad 6. verum eſſe, nullam inter finitum & infinitum reperiri proportionem; ſi proportionis nomine intelligatur habitudo certa quantitatis vnius ad alterum: at poſſe aliquam eſſe proportionem: ſi per illam qualibet vnius ad alterum habitudo intelligatur, qualis eſt effectus ad cauſam, potentiæ ad objectum. Et ſic poteſt eſſe proportio creaturæ ad Deum, in quantum ſe habet ad illum, vt effectus ad cauſam ſuam, vel vt potentia ad obiectum ſuum: Si enim inter potentiam & objectum finita aliqua & determinata proportio eſſe deberet, ſequeretur nequidem voluntatem creatam poſſe ferri in Deum per actum charitatis ſupernaturalis, quod tamen euidenter falſum eſt.

SECTIO II.

An de facto nunc beati eſſentiam Dei clarè videant.

SENSUS quæſtionis eſt, an ſanctorum animæ, quæ hinc diſcedunt, ab omni peccati tùm macula, tùm pœna perfectè purgatæ, ſtatim atque à corporibus ſolutæ ſunt, clara Dei viſione fruantur; an verò hæc viſio poſt corporum reſurrectionem, aut in aliud tempus differatur?

Partem negantem ſecuti ſunt Millenarij, ſic dicti quod praue intelligentes aliqua verba libri Apocalypſeos, aſſererent Chriſtum Dominum poſt communem reſurrectionem cum ſanctis regnaturum ſuper terram mille annis, antequàm ad cœleſtem beatitudinem, ac diuinæ eſſentiæ fruitionem illos deducat. Videri poteſt Lactant. lib. 7. Inſtitutionum diui. c. 29. & S. Hieron. lib. de Script. Eccl. c. 28. vbi etiam Tertullianum in eo errore fuiſſe dicit, nec non & Vigilantium, in eo libro quem contra eum edidit. Caluinus etiam nonniſi poſt communem reſurrectionem beatos in cœlo Dei viſione fruituros exiſtimat lib. 4. Inſtit. cap. 20.

2 Pars verò affirmans, quæ ſanctorum animas nunc in cœlo claraꝫ Dei viſione frui aſſerit, de fide eſt.

Et probatur, ac ſimul error oppoſitus refellitur 1. ex Scriptura, S. Luc. 23. vbi Chriſtus dixit Latroni ſecum crucifixo, *Hodie mecum eris in Paradiſo*. In quibus verbis, nomine Paradiſi, SS. Patres ipſam gloriam & viſionem beatificam intelligunt. Ita S. Ambr. ſuper hunc locum: S. Hier. in c. 9. Zach. & S. Aug Epiſt. 57. vbi verba illa eo ſenſu intelligenda eſſe exiſtimat, vt à Chriſto dicta ſint, non in quantùm homo erat, ſed in quantùm Deus, cum quo futurus erat latro per viſionem claram ipſius, quod eſt eſſe in Paradiſo, id eſt, Paradiſi gloria & beatitudine frui. Item ex 2. ad Cor. c. 5. vbi Apoſtolus ſic loquitur: *Audemus, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum*: hoc eſt, vt Deum ipſum intuitiuè, & facie ad faciem videamus; quo in ſenſu hæc Apoſtoli verba intelligit S. Aug. lib. 15. de Trin. cap 2.

Probatur 2. authoritate Concilij Florentini in decreto ſupra citato, vbi id expreſsè definitum habetur.

Probatur 3. ex S. Cypr. lib. de exhortatione ad martyrium; vbi ſic loquitur: *Quanta eſt dignitas, & quanta ſecuritas exire hinc lætum, exire inter anguſtias & preſſuras glorioſum, claudere in momento oculos, quibus homines videbantur & mundus; & aperire eoſdem ſtatim, vt Deus videatur, & Chriſtus!* S. Aug. lib. 12. de Geneſi capite 34. vbi dicit animas Sanctorum eſſe in Paradiſo, ſiue in tertio

Cœlo, quò raptus fuit S.Paulus, eaſque in illo Cœlo Dei ſubſtantiam verbumque Deum, per quod facta ſunt omnia, ineffabiliter videre. Et in lib. Meditationum capite 22. *Felix anima*, inquit, *quæ terreno reſoluta corpore, libera cœlum petit; ſecura eſt & tranquilla; non timet hoſtem, neq; mortem: habet enim præſentem, cernitq; indeſinenter pulcherrimum Dominum cui ſeruiuit: quem dilexit, & ad quem tandem læta & glorioſa peruenit.*

Probatur 4. hac ratione: Deus cuius natura bonitas, cuius opus miſericordia eſt, pronior eſt haud dubiè ad remunerandum, quàm ad puniendum. Atqui animabus impiorum, ſtatim atque decedunt è corporibus, pœnam æternam tàm damni quàm ſenſus infligit, vt patet de Diuite epulone, S.Luc.16. cuius anima, ſtatim atque à corpore ſoluta eſt, in infernum eſt delata, ibique pœnis & cruciatibus affecta. Ergo multò magis credendum eſt, illum beatitudinem æternam, quæ in clara eſſentiæ ſuæ viſione conſiſtit, animabus ſanctorum & iuſtorum, concedere, ſtatim atque ex hac vita perfectè à peccatis purgatæ migrauerint.

3 Obijcies, S.Matth.cap.20. & 25. in parabola operariorum, mercedem non niſi in fine diei omnibus ſimul operarijs ſolui: & Apocalyp.6. animas ſanctorum viſas eſſe ſub altari, diuinumque reſponſum accepiſſe, vt expectarent adhuc modicum tempus, donec compleretur numerus fratrum ſuorum. Ex quibus locis videtur ſequi viſionis beatificæ fruitionem, ſimul omnibus electis concedendam, vſque in diem iudicij differri.

Reſpondetur hæc & ſimilia Scripturę loca intelligenda eſſe de beatitudine totali & completa, quæ non animæ ſolùm, ſed etiam corporis gloriam requirit: quæ quidem vt ſic, poſt corporum reſurrectionem in vltimum iudicium, ſecundùm legem ordinariam reſeruatur.

SECTIO III.

An intellectus creatus indigeat ſpecie aliqua intelligibili ad videndum Deum.

SVPPONIMVS de duplici ſpecie quæſtionem intelligi poſſe, de expreſſa ſcilicet aut de impreſſa. Species expreſſa eſt ipſamet conceptio intellectus; per quam ſibi ipſi exprimit id quod intelligit, & dicitur etiam verbum mentis, quia per illam ſpeciem expreſſam intellectus veluti ſibi ipſi loquitur. Species impreſſa eſt, quæ obiectum intellectui repræſentat, vt ab eo cognoſci poſſit. Hoc præſuppoſito,

Dicendum eſt primò in cognitione intuitiua ſeu viſione beatifica diuinæ eſſentiæ neceſſariam eſſe ſpeciem expreſſam, ſeu verbum

mentis, eſſentiam diuinam provt in ſe eſt, intellectui creato repræſentans.

Probatur ex eo quod (vt docet S. Thomas 1. p. q. 27. art. 1. c.) *quicunque intelligit, ex hoc ipſo quod intelligit procedit aliquid intra ipſum, quod eſt conceptio rei intellectæ ex vi intellectiua proueniens quæ conceptio dicitur verbum cordis.* Cum igitur cognitio ſeu viſio Dei fiat per intellectionem, ſequitur, ex mente ſancti Doctoris, quod intellectio illa non aliter formari poſſit, quàm per verbum internum ſeu ſpeciem expreſſam.

Dicendum 2. in viſione beatifica diuinæ eſſentiæ non dari ſpeciem impreſſam, ſeu beatos ad videndum Deum non indigere vlla ſpecie impreſſa, quæ ipſis diuinam eſſentiam repræſentet.

Probatur hac ratione, non eſt neceſſaria ſpecies impreſſa ad repræſentandum obiectum, quando ipſummet obiectum per ſeipſum poteſt ſe inſtar ſpeciei intellectui repræſentare: atqui eſſentia diuina poteſt inſtar ſpeciei ſe repræſentare intellectui beatorum: ergo, &c.

Probatur maior, quia quoties admittuntur impreſſæ ſpecies, toties & ideo admittuntur, quia obiecta non poſſunt ſeipſa inſtar ſpeciei repræſentare, vel ob defectum proportionis cum facultate cognoſcente, quomodo ſe habent res materiales cum intellectu comparatæ: vel ob defectum vnionis cum facultate cognoſcente, quando v. g. ab illa facultate ſunt diſtantia: vnde in Angelis nullæ à Theologis admittuntur ſpecies impreſſæ ad cognoſcendam propriam ſubſtantiam, quia hæc ſeipſam ſufficienter repræſentare poteſt, vtpote eorum intellectui maximè proportionata & intimè præſens.

Minor probatur, nimirum, quod eſſentia diuina poteſt ſe inſtar ſpeciei repræſentare intellectui beatorum, quia ipſi tribui poſſunt ea quæ neceſſaria videntur, vt aliquod obiectum inſtar ſpeciei ad ſui cognitionem concurrat: eſt enim intimè præſens ipſi intellectui beatorum, & præterea eſt obiectum maximè accommodatum & proportionatum eidem intellectui: non quidem quoad virtutem naturalem ipſius, ſed quoad obedientialem, ratione cuius fit, vt quo obiectum illud eſt præſtantius, eo magis fit ipſi intellectui accommodatum & proportionatum, vtpote quod eo aptius ſit ad eius ſupplendam inſufficientiam, & infirmitatem adiuuandam.

Dicendum 3. quod quamuis non datur de facto ſpecies intelligibilis impreſſa in viſione beatifica, quæ diuinam eſſentiam provt in ſe eſt, repræſentet, poſſibilem tamen eſſe ejuſmodi ſpeciem.

Probatur, quia in viſione beatifica datur de facto ſpecies expreſſa (vt ſupra dictum eſt) quæ eſt actualis repræſentatio diuinæ eſſentiæ: ergo etiam dari poteſt ſpecies impreſſa, quæ eandem eſſentiam repræſentet, quamuis enim hæ duæ ſpecies in multis differant,

in eo tamen conueniunt, quod vtraque repræſentet rem intellectam: vnde quoad hoc par eſt ratio vtriuſque; quare ſi ſpecies expreſſa poſſibilis eſt, erit etiam impreſſa.

Dices, Eſſentia diuina eſt infinita, ergo non poteſt prout in ſe eſt repręſentari per ſpeciem finitam, cum finiti ad infinitum nulla ſit proportio. Reſpondetur negando conſequentiam, quia ſi eſſentia diuina poteſt, vt in ſe eſt, repręſentari per ſpeciem expreſſam quæ finita eſt, poterit etiam per ſpeciem impreſſam finitam, eſt enim par vtriuſq; ratio. Quamuis autem eſſentia diuina infinita ſit, poteſt tamen finito modo repręſentari per ſpeciem finitam, ſicut eadem eſſentia licet in ſe infinita, finito tamen modo cognoſcitur per viſionem beatificam.

SECTIO IV.

An ad Deum clarè videndum intellectus creatus lumine aliquo ſupernaturali indigeat.

1 DICENDVM 1. intellectum creatum auxilio aliquo ſupernaturali indigere, quo confortetur & eleuetur ad claram Dei viſionem eliciendam. Quod quidem auxilium ſupernaturale communiter à Theologis lumen gloriæ vocatur.

Probatur 1. ex Pſal. 35. *Apud te eſt fons vitæ; & in lumine tuo videbimus lumen*. Apoc. 21. *Claritas Dei illuminabit eam*, ſcilicet ſocietatem beatorum videntium Deum: vt explicat S. Thomas, quæſt. 12. art. 5. vbi ex his duobus Scripturæ locis probat neceſſitatem luminis gloriæ.

Probatur 2. ex Concilio Viennenſi ſub Clem. V. in quo inter alios errores Begardorum & Beguinarum, iſte quinto loco recenſetur: *Quod anima non indiget lumine gloriæ, eleuante illam ad Deum videndum, & eo beatè fruendum*: & hoc ibidem tanquam hæreticum damnatur, vt etiam refertur Clementina (*ad noſtrum*) titul. de hæreticis.

Probatur 3. ex S. Aug. lib. 1. de peccatorum meritis & remiſſione cap. 19. vbi ſic loquitur: *Veruntamen, ſi percepto baptiſmate ex hac vita emigrauerit ſoluto reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficiatur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens in æternum, iuſtificatos præſentia creatoris illuminat.*

Probatur 4. hac ratione: ſi intellectus ad eliciendum actum fidei ſupernaturalis in hac vita indiget auxilio aliquo ſupernaturali; multò magis indigebit ad eliciendum actum viſionis beatificæ; cum longè ſit perfectior, ac multò magis ſupereminеat naturali facultati ipſius intellectus. Atqui certum eſt intellectum non poſſe ſine

auxilio aliquo ſupernaturali actum fidei elicere, vt definitum eſt in Concilio Tridentino, ſeſſion.6. can.2. & 3. & antea definitum fuit in Conciliis contra Pelagium congregatis. Ergo à fortiori idem intellectus ad eliciendum actum viſionis beatificæ indigebit auxilio aliquo ſupernaturali. Et illud eſt, quod à Theologis vocatur lumen gloriæ.

2 Dicendum 2. lumen illud gloriæ eſſe qualitatem habitualem intellectui creato ab ipſo Deo infuſam, illique inhærentem. Ita communiter Theologi, aliquibus exceptis, qui aliter illius luminis naturam explicant.

Probatur aſſertio hac ratione; quia ſcilicet per lumen gloriæ intelligitur donum aliquod, quo intellectus creatus eleuatur permanenter, & modo ſibi connaturali, ad Deum clarè videndum: cùm enim ſtatus beatitudinis ſit permanens, debet etiam habere modum ſibi conuenientiſſimum, quo intellectus perficiatur permanenter, ac reddatur capax per aliquid ſibi inhærens, ad viſionem illam eliciendam, in qua eſſentialis eius beatitudo conſiſtit.

Confirmatur ex eo quòd ad actum fidei eliciendum, ipſa fides habitualis tanquam lux aliqua ſubobſcura intellectui infunditur, illique inhæret eo fine, vt compleat & perficiat eius vim ex ſe inſufficientem ad credendum in Deum. Ergo à pari, imò à fortiori, dicendum eſt, lumen gloriæ habitualiter inhærere intellectui creato, vt compleat, & perficiat eius vim debilem & inſufficientem ad clarè videndum Deum.

Obſeruandum eſt autem hìc, quòd, quamuis de fide ſit, intellectum creatum indigere aliquo auxilio ſeu lumine ſupernaturali, ad claram Dei viſionem eliciendam, vt patet ex Concilio Viennenſi ſupra relato: non eſt tamen expreſsè definitum quid propriè ſit illud lumen: an ſit qualitas habitualis inhærens, vel aliquid aliud, quamuis longè probabilius ſit id quod diximus; & oppoſitum, licet non ſit hæreticum, videatur tamen aliquibus Theologis erroneum, vt docet Iſambertus ad q.12. diſp.2. art.3.

3 * Quæres 1. in quem vſum neceſſarium ſit lumen illud gloriæ, quod beatis datur.

Reſpondetur ad hoc eſſe neceſſarium, & in eum finem dari, vt compleat & perficiat inchoatam & debilem vim intellectus ad videndum Deum, & cum eodem intellectu effectiuè concurrat ad viſionem beatificam.

Hæc enim viſio duo habet, nimirum quòd ſit actio quædam vitalis, & quòd ſit ſupernaturalis. Ad primum neceſſarius eſt intellectus, qui eſt talis facultas. Ad ſecundum aliqua eſt in eo neceſſaria potentia maior naturali, quæ ad ſola naturalia ſe extendit, ac proinde virtus aliqua ſupernaturalis, quæ ipſius intellectus naturali

potentiæ ſuperaddita compleat & perficiat eius inſufficientiam; & hæc eſt quæ à Theologis vocatur lumen gloriæ.

4 Quæres 2. an lumen illud gloriæ tale ſit, vel eſſe poſſit, vt non tantùm creatum intellectum, ſed etiam oculum corporeum eleuare queat ad viſionem claram diuinæ eſſentiæ? ſeu an oculus corporeus lumine aliquo eleuari poſſit ad eſſentiam ipſius Dei videndam?

Reſpondetur id fieri omninò non poſſe. Ita S. Auguſt. Epiſt. 111. & 112. vbi ex profeſſo illud varijs tū Scripturæ, tum SS. Patrum Athanaſij, Gregorij, & Nazianz. Ambr. & Hieronymi authoritatibus probat. Ratio eius rei eſt, quia nulla potentia, ſua vitali actione extra limites objecti ſui verſari poteſt: vnde, ſi impoſſibile eſt per facultatem corpoream viſiuam percipere ſaporem vel ſonum; multò magis percipere rem purè ſpiritualem, qualis eſt Deus. Deinde, ſi Deus viſu corporeo, prout in ſe eſt, videri poſſet; magis adhuc poſſet ſenſu interno: vnde ſequeretur ipſa bruta animalia capacia fore beatitudinis, quæ in viſione Dei conſiſtit: quod abſurdum eſt, & dici non debet.

5 Objicies Iob dixiſſe cap. 19. *In carne mea videbo Deum Saluatorem meum.* Et alio in loco: *Auditu auris audiui te; nunc autem oculus meus videt te.*

Ad primum locum reſpondetur cum S. Auguſt. lib. 22. de Ciuit. cap. 19 Iob non dicere, ſe carne, aut per carnem; id eſt, oculis carneis viſurum Deum, ſed in carne; hoc eſt, poſt reſurrectionem reſumpto corpore. Quod autem addit poſtea: *Quem viſurus ſum, & oculi mei conſpecturi ſunt*: vel de oculis mentis accipiendum eſt, vel de viſione humanitatis Chriſti, quem in ſpiritu tunc præuidebat, & redemptorem vocabat. Ad ſecundum locum reſpondetur cum S. Thom. art. 3. de oculo mentis intelligendum eſſe, vel potiùs (vt alij interpretantur) de effectu diuinæ prouidentiæ erga homines, quem tunc ait ſe fuiſſe expertum euidenter, & quaſi ad oculum cognouiſſe; cùm anteà non niſi auditu, & ex aliorum relatione agnouiſſet.

SECTIO V.

Quid intellectus lumine gloriæ illuſtratus, in diuina eſſentia videat.

1 DICENDVM 1. intellectum lumine gloriæ illuſtratum videre Dei eſſentiam, & ſimul tres Perſonas diuinas, ac omnes perfectiones formaliter in Deo exiſtentes.

Probatur 1. ex Scriptura. 1. S. Ioan. 3. *Videbimus eum ſicuti eſt*: quæ verba vnanimiter SS. Patres intelligunt de viſione beatifica, qua

videtur Deus, ſicuti eſt in ſeipſo. Atqui Deus in ſeipſo eſt vnus in eſſentia, trinus in perſonis, habetque formaliter in ſe omnes perfectiones; Ergo, &c.

Probatur 2. ex Concilio Florentino in decreto vnionis: vbi definitum eſt, animas iuſtorum recipi in cœlum, & intueri clarè Deum vnum & trinum, ſicuti eſt: vnde ſequitur, ſecundùm mentem Concilij, omnes etiam diuinas perfectiones à beatis videri: cùm non minùs Deo conueniat eſſe v.g. ſapientem, iuſtum; quàm eſſe vnum in eſſentia, & trinum in Perſonis.

Probatur 3. hac ratione: impoſſibile eſt aliquid, quod eſt omninò ſimplex & indiuiſibile, clarè & perfectè videri: quin ſimul videantur omnia, quæ illi inſunt, & cum quibus realiter idem eſt. Atqui eſſentia diuina eſt ſimpliciſſima & omninò indiuiſibilis, & præthereà eſt idem realiter cum Perſonis diuinis, & cum omnibus perfectionibus formaliter in Deo exiſtentibus. Ergo viſa eſſentia diuina, neceſſariò videntur etiam & Perſonæ diuinæ, & omnes perfectiones formaliter in Deo exiſtentes.

Dices inde conſequens fore, Deum à beatis comprehendi.

Reſpondetur id non ſequi. Ad comprehenſionem enim Dei, præter cognitionem omnium perfectionum quæ formaliter in eo exiſtunt, requiritur prætereà vt cognoſcantur ea omnia, quæ in illo ſunt eminenter, ſeu quæ ab illo extra ſe produci poſſunt; atque inſuper, vt ipſa diuina eſſentia, cum illis omnibus, quæ formaliter vel eminenter in ſe continet, tam perfectè cognoſcatur, quàm in ſe cognoſcibilis eſt. Quod cùm ſolius Dei proprium ſit; ſequitur illam à nullo intellectu creato poſſe comprehendi.

2 Dicendum 2. intellectum lumine gloriæ illuſtratum, videndo clarè diuinam eſſentiam, videre ſimul etiam in ea multas alias res præter ſeipſum Deum. Ita S. Thomas 1.p.quæſt.12.art.9 & quæſt.58.art.6. & cum illo communiter omnes Theologi.

Ad huius autem aſſertionis clariorem intelligentiam, notandum eſt ex S. Doctore, animas beatas duplicem in cœlo habere creatarum rerum cognitionem; vnam, per proprias illarum ſpecies, quas vel initio beatitudinis à Deo acceperant, vel per aliquas reuelationes, quas de nouo accipiunt, alteram verò in eſſentia diuina, ſeu in Verbo diuino.

Hæc doctrina ſic explicata probatur ex S. Auguſt. lib. 11. de Ciuit. Dei cap. 7. vbi ſic loquitur: *Cognitio creaturæ in ſeipſa* (*vt ita dicam*) *decoloratior eſt, quàm cùm in Deo ſapientia cognoſcitur, velut in arte, per quam facta eſt.* Et cap. 29. *Illi* (beati ſcilicet) *non per verba ſonantia Deum diſcunt, ſed per ipſam præſentiam immutabilis veritatis, &c. Ipſam quoque creaturam meliùs ibi, hoc eſt, in ſapientia Dei, tanquam in arte qua facta eſt; quàm in ea ipſa, ſciunt.* Et

paulò poſt, enumeratis varijs creaturarum cæleſtium & terreſtrium ſpeciebus adiungit: *Omnia hæc aliter in verbo Dei cognoſcuntur à beatis, vbi habent cauſas rationeſque ſuas ſecundùm quas facta ſunt incommutabiliter permanentes: aliter in ſeipſis: illic clariore, hic obſcuriore cognitione*. Sic etiam Bernardus paucis verbis id optimè explicat lib. 5. de conſid. cap. 1. *Vident* (beati ſcilicet) *Verbum; & in Verbo, facta per Verbum, &c. optimum videndi genus, ſi nullius egueris ad omne, quod noſſe libuerit.*

Probatur etiam hac ratione: viſio beatifica ſanctorum eſt quædam participatio viſionis illius increatæ, qua Deus in eſſentia ſua videt creaturas ſecundùm eſſe proprium quod habent aut habere poſſunt in ſeipſis: Ergo & ſanctos eodem modo creaturas aliquas in eſſentia diuina videre poſſe cenſendum eſt.

3 * Objicies: Si aliquæ creaturæ videntur in Deo, omnes neceſſariò videbuntur, quia non eſt potior ratio vnius quàm alterius, cùm omnes æquè in eſſentia diuina eminenter contineantur, & hæc æquè omnes in actu primo repræſentet.

Reſpondetur illud conſequens non eſſe, fierique poſſe, vt vi beatificæ viſionis videantur aliquæ tantùm creaturæ in eſſentia diuina: imò fieri poſſe vt ipſa eſſentia diuina clarè ab aliquo beato videretur, abſque eo quod vlla particularis cratura in ea videretur. Vnde autem hæc viſionis beatificæ differentia proueniat, variè explicant Theologi; quidam enim aſſerunt id prouenire ex ipſamet eſſentia diuina, quæ eſt ſpeculum voluntarium, has aut illas creaturas, pro vt ipſi Deo placuerit, vnicuique beatorum repræſentans: alij ex voluntate ipſius Dei, ad has potiùs quàm ad alias videndas ſpeciali influxu concurrere volentis, pro vt ſtatus vel meritum cuiuſque beati exigit. Alij denique ex differentia ſiue ſpecifica ſiue indiuiduali ipſius luminis gloriæ, ratione cuius Deus intellectui beato repræſentatur vt author aliquarum creaturarum, & harum potiùs quàm aliarum.

SECTIO VI.

Quaſnam res, præter Deum, in ſtatu gloriæ Beati cognoſcant.

1 CVM certum ſit (vt in ſectione præcedenti dictum eſt) beatos, non tantùm Deum, ſed etiam alia multa præter ſeipſum, ſiue in eius eſſentia, ſiue per ſpeciales reuelationes, aut alio quouis modo cognoſcere: quæritur, quænam ſint illæ res, quarum cognitio illis in ſtatu gloriæ competat? Pro cuius reſolutione,

Di-

Dicendum 1. beatos non cognoſcere omnia futura contingentia, nec omnes aliorum liberas cogitationes.

Ita communiter Theologi, eſtque ſententia S. Dionyſij, & aliorum SS. Patrum aſſerentium Angelos inferiores à ſuperioribus illuminari, & aliquarum rerum neſcientia purgari. Et colligitur ex capite 10. Danielis vbi refertur vnum Angelum beatũ per tres hebdomadas reſtitiſſe alteri item beato; vtroque illorum pro vtilitate populi ſibi commiſſi contendente, & quid Deus fieri vellet neſciente. Et S. Matth. 24. vbi Chriſtus dicit beatos Angelos iudicij extremi neque diem neque horam ſcire.

2 Dicendum 2. quemlibet beatum perfectè & clarè cognoſcere omnia fidei noſtræ myſteria.

Probatur ex Apoſtolo 1. Cor. cap. 13. vbi loquens de fidei myſterijs dicit: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.*

Probatur 2. ex S. Gregor. lib 18. Moral. cap. vlt. in fine. *Hæc viſio nunc fide inchoatur; ſed tunc in ſpecie perficietur, quando coæternam Dei ſapientiam, quam modò per ora prædicantium quaſi per decurrentia flumina ſumimus; in ipſo ſuo fonte bibemus.* Et S. Auguſtinus lib. 20. de ciuit cap. 1. *Quid videbimus, niſi Deum & omnia illa, quæ nunc non videmus credentes, &c. hic credimus, illic videbimus.*

Probatur 3. ex eo quod præmium debet reſpondere merito. Atqui fidei meritum in eo præſertim conſiſtit, quòd firmiter propter authoritatem Dei reuelantis credantur illa, quæ obſcura ſunt, & ineuidentia: Ergo fidei præmium in eo conſiſtere debet, vt eadem illa euidenter & clarè cognoſcenda proponantur.

3 Dicendum 3. quemlibet beatum omnes rerum ſpecies & genera, omniaque ſcientiarum naturalium objecta cognoſcere, ſeu ea omnia perfectè ſcire quæ ab homine vel Angelo naturaliter ſciri poſſunt. Ita S. Thomas art. 8. in reſp. ad 4.

Hoc conſtat; tùm ex eo quòd non minùs credibile ſit, cuilibet beatorum Deum perfectam rerum omnium ſcientiã communicaturum, quam communicauerat Adamo in ſtatu innocentiæ, vt docet S. Th. q. 94. art. 3. cũ ſtatus gloriȩ longè ſublimior & perfectior ſit tùm etiam ex eo quòd cùm beatitudo ſit ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, requirit vt intellectus beati ea omnia cognoſcat, quæ requiri poſſunt ad naturalem ſui perfectionem, & ad explendum appetitum ſciendi rectæ rationi conſentaneum, qui ipſi naturaliter ineſt: Atqui talis eſt rerum omnium naturalium cognitio, Ergo, &c.

4 Dicendum 4. quemlibet beatum ea omnia cognoſcere, quæ illum ſpeciali modo ſpectant; v. g. Angelos hominum cuſtodes ſcire perfectè

ſecte ea omnia, quæ ad eorum gubernationem conducere quocum-que modo poſſunt: item quemlibet ſanctum cognoſcere omnes orationes, quæ ad illum diriguntur; & omnia quæ ab hominibus viatoribus in eiuſdem honorem fiunt.

Probatur ex illis S. Petri verbis Epiſt. 2. cap 1. *Dabo operam & frequenter habere vos poſt obitum meum, vt horum memoriam faciatis:* quibus ſignificat curam & ſollicitudinem, quam ſeruaturum ſe dicit in ſtatu gloriæ pro ſalute fidelium. Vnde ſequitur eum in illo ſtatu cognoſcere omnia quę ad eorum ſalutem ſpectare poſſunt: hæc enim cognitio, ipſi, vtpote primo & ſummo totius Eccleſiæ poſt Chriſtum Paſtori, maximè competit.

Probatur 2. ex Concilio Senonenſi in decretis fidei cap. 13. vbi damnantur hæretici, qui dicunt noſtras orationes à ſanctis non cognoſci, eoſque proinde à nobis non debere orari, diciturque *eum facile intellecturum; quàm id falſum ſit, qui non ignorat ſanctis ternium eſſe omniforme diuinitatis ſpeculum; in quo, quidquid eorum interſit, illuceſcat.*

Hinc ſequitur (quod notandum eſt) fieri poſſe vt aliquis beatus, qui meritis ac proinde gloria minor eſt, plura in ſtatu beatitudinis ſciat & cognoſcat, quàm alius, qui gradum ſanctitatis & gloriæ ſuperiorem obtinet: Quia ſcilicet illius ſpecialis conditio hanc cognitionem exigit, huius verò minimè. Nec propterea quidquam huius gloriæ & fælicitati detrahitur; ſiquidem, vt rectè dixit S. Auguſtinus lib. 5. de Confeſſ. cap. 4. Deum alloquens: *Beatus eſt qui te nouit: etſi alia neſciat: qui verò te & alia nouit: non propter illa beatior, ſed propter te ſolum.*

SECTIO VII.

An omnes beati æqualiter Deum videant.

1 CVM (vt S. Auguſt. lib. 1. de Trin. cap. 9. & 15.) in viſione clara Dei ſit tota merces, viſioque illa ſit ſummum noſtrum bonum: vnde communiter Theologi eſſentialem hominis beatitudinem in ipſa Dei viſione conſtituunt: hinc intelligi poteſt; cùm quæritur, an beati æqualiter Deum videant? Idem eſſe, ac ſi quæratur, an omnes beati æqualem gloriæ gradum obtineant.

Dicendum eſt igitur 1. ſanctos in cælo non æquali modo videre Deum, nec æqualiter eſſe beatos.

Huic veritati, quæ de fide eſt, oppoſitus eſt error Iouiniani: qui (vt teſtatur S. Hieronymus lib. 2. cont. Iouin.) aſſerebat nullam eſſem inter beatos, ſiue in ratione meriti, ſiue in ſtatu gloriæ, inæqualitatem.

Refellitur hic error, & veritas noſtræ fidei probatur 1. ex Scriptura S. Ioan. 14. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* 1. ad Cor. cap. 15. *Sicut ſtella à ſtella differt claritate: ſic erit reſurrectio mortuorum.* Et cap. 3. *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet iuxta laborem ſuum.* Et 2. ad Cor. 9. *qui parcè ſeminat, parcè & metet.*

Probatur 2. ex communi conſenſu totius Eccleſ. quæ ſanctiſſimam Dei Matrem ſuper omnes choros Angelorum in cæleſtibus regnis exaltatam eſſe prædicat.

Probatur 3. ex S. Greg. lib. 4. moral. cap. 31. *Quia in hac vita diſcretio eſt operum, erit in illa procul dubio diſcretio dignitatum.*

2 Obijciebat Iouinianus parabolam operariorum S. Matth. 20. quibus, licet inæquali tempore & labore operantibus, æqualis merces vnius denarij reddita eſt.

Reſpondetur cum S. Aug. ſer. 59. de verb. Dom. c. 4. per æqualitatem denarij cuique operariorum ſoluti, intelligendam eſſe æqualitatem durationis in beatitudine; hæc enim in omnibus æterna futura eſt. Vel cum S. Thom. 1. 2. q. 5. art. 2. per denarium intelligi obiectum beatitudinis, quod in ſe vnum idemque eſt pro vnoquoque beatorum, ſcilicet eſſentia diuina, quæ eadem ab omnibus clarè videbitur. Quæ tamen æqualitas durationis vel obiecti, non impedit inæqualitatem viſionis & fruitionis ipſius objecti, pro ratione inæqualium meritorum cuiuslibet beati. Etenim, vt rectè docet S. Thom. 1. p. q. 12. a. 6. ille qui plùs habuerit de charitate plùs participabit de lumine gloriæ, ex cuius proinde maiori vel minori intenſione; ſecundùm mentem S. Doct. prouenit maior, vel minor perfectio viſionis beaticæ.

* 3 Dicendum 2. licet aliqui beati Deum perfectiùs quàm alij videant, nullum tamen illorum altiorem gloriæ gradum deſiderare, ſed omnes gradu ſibi conceſſo eſſe contentos.

Id conſtat tùm ex eo, quod Propheta dixit, Pſal. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* tùm etiam ex ratione ipſius beatitudinis, quæ cum in vnoquoque beato licet inæqualis ſit, tamen ſuo modo perfecta, requirit vt ipſe beatus ſit contentus & ſatiatus; aliàs non eſſet verè & perfectè beatus, ſi aliquod bonum ipſi deesſet, quod aſſequi optaret.

Vnde autem proueniat vt vnuſquiſque beatus, licet minori gloria donatus, maiorem non requirat nec deſideret, licet variæ rationes ab aliquibus Theologis afferantur, probabiliſſimè nobis loqui videntur ij, qui id potiſſimum prouenire aſſerunt ab ipſo amore beatifico, quo cum ipſi beati longe plùs diligant Deum quàm ſeipſos, & ſua propria bona & commoda, hinc ſit vt magis optent id quod Deo gratum & acceptum eſſe ſciunt, quam quod ſibi, cùm

verò

cordiſſimam Dei voluntatem, vt præmium reſpondeat meritò, hinc fit vt nihil ampliùs optent, quàm id quod meritis ſuis Deus attribuere voluit.

Quæres quænam præter diuinam voluntatem & merita cuiuſque, ſit proxima cauſa inæqualitatis, qua beatorum alij perfectiùs Deum vident.

Reſpondetur cauſam illam proximam aliam non eſſe quàm maiorem vel minorem intenſionem luminis gloriæ: Ratio eſt, quia licet intellectus concurrat actiuè ad viſionem Dei, nihil tamen ex ſe poteſt, niſi quatenùs & quantùm eleuatur per lumen gloriæ; vnde ſequitur ex illo ſolo lumine inæqualitatem beatificæ viſionis eſſe petendam. Actus enim in ſua entitate & ſubſtantia ſupernaturales excedere non poſſunt virtutem ſupernaturalem a qua producuntur.

TRACTATVS III.
DE SANCTISSIMÆ TRINITATIS MYSTERIO.

CVM ex omnibus Chriſtianæ fidei myſteriis nullum ſit, quod aut violentiùs dæmon, iam ab initio naſcentis Eccleſiæ impugnauerit, myſterio ſanctiſſimæ Trinitatis, aut in cuius impugnatione pertinaciùs perſeuerauerit; vt ſatis euincunt Arrianorum, Sabellianorum, Patripaſſianorum, Macedonianorum hæreſes, & aliæ ſimiles peſtes ex abyſſi puteo emiſſæ, quæ tot in Eccleſia ſtrages ediderunt. Ideò maximi intereſt fidem ſanam & perfectam de tam ſublimi & ineffabili myſterio concipere & ſeruare; ita vt, illius face prælucente verum à falſo, certum ab incerto in re tanti momenti ſecernere valeamus; præſertim cùm (vt rectè dixit S. Auguſt. lib. 1. de Trinit. cap. 3.) *Nec vlli bi periculoſiùs erretur; nec aliquid laborioſiùs quæratur; nec quidquam fructuoſiùs inueniatur*.

Et quoniam non humanæ ſolùm, ſed etiam Angelicæ mentis captum longè ſuperat: idcircò ad explicandas tam ardui myſterij

difficultates, non tam humana ratione, quam fidei authoritate vtendum eſt.

Atque vt ordine aliquo procedamus, omnia, quæ de adorando illo myſterio dicenda ſunt, ad duo capita reuocabimus. In quorum 1. agetur de ijs, quæ myſterium illud ſpectant in genere. In 2. de ijs, quæ ad ſingulas diuinas Perſonas pertinent in particulari.

CAPVT I.

De ijs quæ ſpectant ad myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis in genere.

SECTIO I.

An myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis naturali ratione cognoſci poſſit.

1 QVAMVIS myſterium Trinitatis ſit ſuprà rationem naturalem certum eſt tamen non eſſe contra illam: *Etenim verum vero repugnare non poteſt* (vt dicitur in Concilio Lateranenſi 5. ſeſſ. 8. nullumque argumentum à ratione naturali contra illius veritatem peti poteſt, quod non ſit ſolubile. Cùm igitur hoc myſterium contra rationem non ſit, quæritur, an etiam aliqua ratione naturali cognoſci poſſit? Pro cuius reſolutione,

Dicendum eſt, Perſonarum Trinitatem in vnitate diuinæ eſſentiæ, nulla ratione naturali poſſe demonſtrari.

Huic veritati, quæ de fide eſt opponitur error Raymundi Lullij (qui vt refert Nicolaus Emericus in decretorio Inquiſitorum, p. 2. quæſt. 9. art. 96.) aſſerebat omnes articulos fidei proindeque ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium, probari poſſe per rationes neceſſarias, demonſtratiuas & euidentes.

2 Refellitur hic error, & veritas noſtræ aſſertionis probatur 1. ex Scriptura S. Matth. 11. vbi Chriſtus dicit, quod *nemo nouit Patrem, niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare*. Et cap. 11. cùm S. Petrus Chriſtum alloquens dixiſſet, *Tu es Chriſtus Filius Dei viui*, reſpondit ipſe Chriſtus: *Beatus es Simon Bar-iona; quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, &c.*

Probatur 2. authoritate Gregorij vndecimi ſummi Pontificis; qui ſupradicti Lullij opinionem damnauit, vt refertur in præfato Directorio loco citato.

Pro-

cordiſſimam Dei voluntatem, vt præmium reſpondeat meritò, hinc fit vt nihil ampliùs optent, quàm id quod meritis ſuis Deus attribuere voluit.

Quæres quænam præter diuinam voluntatem & merita cuiuſque, ſit proxima cauſa inæqualitatis, qua beatorum alij perfectiùs Deum vident.

Reſpondetur cauſam illam proximam aliam non eſſe quàm maiorem vel minorem intenſionem luminis gloriæ: Ratio eſt, quia licet intellectus concurrat actiuè ad viſionem Dei, nihil tamen ex ſe poteſt, niſi quatenùs & quantùm eleuatur per lumen gloriæ; vnde ſequitur ex illo ſolo lumine inæqualitatem beatificæ viſionis eſſe petendam. Actus enim in ſua entitate & ſubſtantia ſupernaturales excedere non poſſunt virtutem ſupernaturalem a qua producuntur.

TRACTATVS III.

DE SANCTISSIMÆ TRINITATIS MYSTERIO.

CVM ex omnibus Chriſtianæ fidei myſteriis nullum ſit, quod aut violentiùs dæmon, iam ab initio naſcentis Eccleſiæ impugnauerit, myſterio ſanctiſſimæ Trinitatis, aut in cuius impugnatione pertinaciùs perſeuerauerit; vt ſatis euincunt Arrianorum, Sabellianorum, Patripaſſianorum, Macedonianorum hæreſes, & aliæ ſimiles peſtes ex abyſſi puteo emiſſæ, quæ tot in Eccleſia ſtrages ediderunt. Ideò maximi intereſt fidem ſanam & perfectam de tam ſublimi & ineffabili myſterio concipere & ſeruare; ita vt, illius face prælucente verum à falſo, certum ab incerto in re tanti momenti ſecernere valeamus; præſertim cùm (vt rectè dixit S. Auguſt. lib. 1. de Trinit. cap. 3.) *Nec vllibi periculoſiùs erretur; nec aliquid laborioſiùs quæratur; nec quidquam fructuoſiùs inueniatur.*

Et quoniam non humanæ ſolùm, ſed etiam Angelicæ mentis captum longè ſuperat: idcircò ad explicandas tam ardui myſterij

difficul-

difficultates, non tàm humana ratione, quam fidei authoritate vtendum eſt.

Atque vt ordine aliquo procedamus, omnia, quæ de adorando illo myſterio dicenda ſunt, ad duo capita reuocabimus. In quorum 1. agetur de ijs, quæ myſterium illud ſpectant in genere. In 2. de ijs, quæ ad ſingulas diuinas Perſonas pertinent in particulari.

CAPVT I.

De ijs quæ ſpectant ad myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis in genere.

SECTIO I.

An myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis naturali ratione cognoſci poſſit.

1 QVAMVIS myſterium Trinitatis ſit ſuprà rationem naturalem certum eſt tamen non eſſe contra illam: *Etenim verum vero repugnare non poteſt* (vt dicitur in Concilio Lateranenſi 5. ſeſſ. 8. nullumque argumentum à ratione naturali contra illius veritatem peti poteſt, quod non ſit ſolubile. Cùm igitur hoc myſterium contra rationem non ſit, quæritur, an etiam aliqua ratione naturali cognoſci poſſit? Pro cuius reſolutione,

Dicendum eſt, Perſonarum Trinitatem in vnitate diuinæ eſſentiæ, nulla ratione naturali poſſe demonſtrari.

Huic veritati, quæ de fide eſt opponitur error Raymundi Lullij (qui vt refert Nicolaus Emericus in directorio Inquiſitorum, p. 2. quæſt. 9. art. 96.) aſſerebat omnes articulos fidei proindeque ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium, probari poſſe per rationes neceſſarias, demonſtratiuas & euidentes.

2 Refellitur hic error, & veritas noſtræ aſſertionis probatur 1. ex Scriptura S. Matth. 11. vbi Chriſtus dicit, quod *nemo nouit Patrem, niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare*. Et cap. 11. cùm S. Petrus Chriſtum alloquens dixiſſet, *Tu es Chriſtus Filius Dei viui*, reſpondit ipſe Chriſtus: *Beatus es Simon Bar-iona; quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, &c.*

Probatur 2. authoritate Gregorij vndecimi ſummi Pontificis; qui ſupradicti Lullij opinionem damnauit, vt refertur in præfato Directorio loco citato.

Pre-

Probatur 3. ex S. Hilario lib. 1. de Trinit. vbi ſic loquitur: *Non putet homo ſua intelligentia ſe conſequi poſſe myſterium diuinæ generationis*. Et S. Auguſt. lib. 8. de Trinit. cap. 5. vbi de hoc myſterio loquens: *Priùs*, inquit, *credere debemus, quàm intelligere*.

Probatur 4. hac ratione: Omnis cognitio naturalis, quam de Deo habemus aut habere poſſumus, ducitur ſolùm ex creaturis à poſteriori & per effectus. Atqui nullus eſt effectus, qui referat nobis Deum eſſe vnum in eſſentia, & trinum in perſonis: ſiquidem omnia opera Dei ad extrà tribus Perſonis diuinis communia ſunt, & omnino indiuiſa; nec Deus ad extra operatur, vt trinus, ſed quatenùs vnus. Ergo Dei opera ad extrà, nos ad trium diuinarum perſonarum notitiam perducere nequeunt; nec vlla proinde ratio ex ijs peti poteſt, quæ Deum eſſe vnum in eſſentia, & ſimul trinum in Perſonis, demonſtret.

Objicies 1. Philoſophos quoſdam ethnicos, vt Triſmegiſtum, Platonem, Plotinum, & alios, ita locutos fuiſſe in libris quos ediderunt, vt videantur aliquam huius myſterij notitiam habuiſſe.

Reſpondetur Philoſophos illos, vel tantùm locutos fuiſſe de diuerſis eſſentiæ diuinæ proprietatibus & perfectionibus, non verò de diſtinctis in vna eſſentia diuina Perſonis: vel ſi aliquam Perſonarum diuinarum notitiam habuerunt, illam non ex naturali luce, aut proprij ingenij viribus obtinuiſſe: ſed ex libris Moſaicis accepiſſe: ſicut de Platone aſſerit S. Auguſt. lib. 8. de Ciuit. Dei cap. 12.

Objicies 2. hominem creatum eſſe ad imaginem Dei, vt dicitur Gen. 1. & in omnibus creaturis reperiri veſtigium aliquod S. Trinit. vt docet S. Auguſt. lib. 7. de Trinit. cap. 10. Atqui ex imagine cognoſci naturaliter poteſt prototypus, ſicut animal ex veſtigio.

Reſpondetur 1. hanc imaginem in eo conſiſtere quòd homo ſit naturæ intelligentis, ſicut Deus: vnde nihil poteſt colligi, nec demonſtratiuè concludi de Trinitate perſonarum in Deo; ac multò minùs ex alijs creaturis, in quibus nihil inuenitur, quod ad huius myſterij notitiam eos ducat, qui illud ignorant.

Reſpondetur 2. nos nequidem ſcire poſſe, vel in nobis imaginem Dei, vel in alijs creaturis, veſtigium Trinitatis inueniri; niſi fides diuina illud reuelaret, cùm Deus non cernatur in creaturis, vt trinus, ſed ſolum vt vnus, ſicut ex antedictis conſtat.

SECTIO II.

An ſint plures in Deo perſonæ.

1 AD clariorem intelligentiam eorum quæ, tum in hac ſectione, tùm in ſequentibus de myſterio Trinitatis dicenda ſunt; obſeruandum eſt nos hìc ſumere nomen Perſonæ in ea ſignificatione, in qua communiter à ſanctis Patribus ſumitur: ſcilicet, vt loquitur Boetius lib. de duabus naturis, & poſt illum S. Thom. 1. part. 1. quæſt. 29. art 1.) pro rationalis ſeu intellectualis naturæ indiuidua & incommunicabili ſubſtantia: quo etiam in ſenſu ſumitur nomen hypoſtaſis. Quamuis enim pluries in Eccleſia olim diſceptatum fuerit de propria ſignificatione harum vocum, *hypoſtaſis* & *ſubſtantia*; vtrùm idem eſſent cum perſona & eſſentia, vt conſtat ex S. Greg. Nazianz. orat. 21. & ex S. Hieron. Epiſt. 37. ad Damaſc. aliquibus affirmantibus in Deo tres eſſe hypoſtaſes, & vnam eſſentiam: alijs id admittere renuentibus. Nihilominùs tamen eò res hæc tandem deuenit; vt ex communi Eccleſiæ conſenſu nomen eſſentiæ & ſubſtantiæ in diuinis, pro ipſa natura & Deitate tribus Perſonis communi, ſumeretur: Nomen verò hypoſtaſis ſignificaret Perſonam: ſeu id, quod vnicuique Perſonæ eſt proprium. Vnde in pluribus Concilijs, Chalced. act. 5. & Conſtant. 2. coll. 8. can. 4. quando de vnione Verbi diuini cum humanitate agitur: illa vnio dicitur facta eſſe ſecundùm hypoſtaſim: hoc eſt, in perſona Verbi, & negatur in Chriſto eſſe duas hypoſtaſes: hoc eſt Perſonas. Hac obſeruatione præmiſſa, pro quæſtionis propoſitæ reſolutione,

Dicendum 1. plures eſſe in Deo perrſonas, realiter à ſe inuicem diſtinctas.

Huic veritati, quæ de Fide eſt, variæ hæreſes olim oppoſitæ fuerunt: vt Sabellianorum & aliorum, qui Perſonas diuinas ſolis nominibus diſtingui voluerunt; & vnam eſſe in Deitate perſonam: quæ, pro diuerſis officijs, diuerſa nomina ſortiretur; ſicque Patrem reuera pro nobis in Cruce paſſum: vnde & dicti ſunt Patripaſſiani; vt fuſiùs refert S. Epiph. hæreſ. 62. & S. Auguſt. in lib. de hær. cap. 41.

Hæc hæreſis refellitur, & fidei noſtræ veritas probatur 1. ex Scriptura, in qua fit varijs in locis mentio plurium diuinarum Perſonarum; vt Gen. 1. *Dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*. vbi ſermo fit in plurali numero, & ab ipſo loquente ordinatur ad Perſonas diſtinctas, quæ ſimul cum illo ad creationem hominis operentur. Atqui non poſſunt aliæ Perſonæ

ſonæ, quæ ibi colloquuntur, intelligi quàm diuinæ cum agatur de creatione, quæ ſolius Dei propria eſt. Atque ita huoc locum intellexerunt S. Hilar. lib. 5. de Trinit. S. Athanaſ. orat. contra idola, S. Baſil. hom. 10. in Exameron, S. Aug. lib. 12. de Trinit. cap. 6. & alij plures.

3 Dicendum 2. tres eſſe in Deo perſonas; nec plures, nec pauciores: ſcilicet Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum. Hæc propoſitio de fide eſt, &

Probatur 1. ex his Chriſti verbis S Ioan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis;* Quem locum S. Athanaſ. orat. contra gregales Sabellij pulchrè vrget: *Cum*, inquit, *Chriſtus de ſe loquitur, dicit (ego:) cum de Patre dicit (ille) cum de Spiritu ſancto, ſubiungit (alium) Nonne igitur manifeſtæ pertinaciæ eſt negare tres?* Item Epiſt. 1. S. Ioan. cap. 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cælo; Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt.* Tres ſunt (inquit Apoſtolus) non Dij, qui plures eſſe non poſſunt: non Angeli, aut aliæ creaturæ; ibi enim loquitur de Deo, ſeu de ipſius Dei teſtimonio, vt ex verbis ſequentibus patet; Ergo de tribus perſonis intelligi debent, quæ licet inter ſe diſtinctæ ſint, tamen vnum ſunt, hoc eſt, vnam naturam & eſſentiam habent. Denique ſanctus Matth. 28. apertiſſimè dixit Chriſtus Dominus baptizandos eſſe fideles, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

Probatur 2. ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. in decreto fidei cap. 1. vbi hæc verba habentur: *Firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur, quòd vnus ſolus & verus Deus; & Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus: tres quidem perſonæ, ſed vna eſſentia, ſubſtantia ſeu natura omninò ſimplex.*

5 Probatur 3. ex S. Ambr. lib. 2. de Fide ad Gratianum cap. 4. vbi explicans triſagium ex Iſai. cap. 6. *Quid ſibi vult*, inquit, *ſub vno nomine trina ſanctitatis repetitio? &c. Non dixit ſemel, ne Filium ſequeſtraret, non bis, ne Spiritum ſanctum præteriret: non quater, ne creaturas adiungeret Et, vt oſtenderet vnam eſſe Trinitatis Deitatem, cùm tertiò dixiſſet (Sanctus, Sanctus, Sanctus) addit ſingulariter (Dominus Deus Sabaoth.)* Et S. Aug. lib. 1. de Trinit. ca. 4. *Omnes*, inquit, *quos legere potui, qui ante me de Trinitate ſcripſerũt, hoc intenderunt ſecundùm ſcripturas docere: quod Pater, Filius, & Spiritus ſanctus vnius eiuſdemque ſubſtantiæ, inſeparabili æqualitate diuinam inſinuent vnitatem: ideòque non ſunt tres Dij, ſed vnus Deus: quamuis Pater Filium genuerit, & ideò Filius non ſit qui Pater eſt; Filiuſque à Patre ſit genitus, & ideò non ſit Pater, qui Filius eſt: Spirituſque ſanctus nec Pater ſit, nec Filius, ſed Patris & Filij Spiritus, Patri & Filio etiam ipſe coæqualis.*

Pro-

Probatur 4. hac ratione, qua S. Athanaſ. ſuprà, & Tertul. lib. cont. Praxeam vtuntur: qui accipit eſſe ab alio, realiter ab eo diſtinguitur, quia nihil ſeipſum producere poteſt. Atqui ex variis Scripturæ teſtimonijs infrà citandis, conſtat in vna diuinitatis ſubſtantia eſſe tres Perſonas, quarum ſecunda producitur à prima & ſecunda, nempè Spiritus ſanctus à Patre & Filio. Igitur Pater & Filius, & Spiritus ſanctus in vna eademque diuinitatis ſubſtantia realiter à ſe inuicem diſtinguuntur, ſicque tres dantur in Deo Perſonæ.

4 Obijcies, ſi plures eſſent in Deo perſonæ, quæ realiter eſſent inter ſe diſtinctæ; ſequeretur quamlibet illarum non continere omnem perfectionem, proindeque non eſſe infinitè perfectam.

Reſpondentur, diſtinctionem illam realem diuinarum perſonarum ſe tenere tantum ex parte ralationum, vt poſteà dicetur; non verò ex parte naturæ & eſſentiæ Vnde, etiam ſi perſona vna relatiuè non ſit altera, eſt tamen idem proiſùs cum illa eſſentialiter: & hoc modo quidquid eſt perfectionis in vna, eſt etiam in altera, propter ſummam ac ſimpliciſſimam eſſentiæ diuinæ vnitatem. Vnde S. Gregor. Nazianz. optimè dixit Orat. 37. num. 21. *Quamuis Pater non ſit Filius, tamen eſt id quod Filius.*

Cæterùm cùm hoc ſanctiſſimæ Trinitatis Myſterium adeò ſublime ſit, vt vix ab humano ingenio concipi poſſit; merito S. Auguſtinus libro 3. cont. Maximinum Arrianum, poſtquam illud explicaſſet, ſubiunxit, quod & nos hìc apponere poſſumus: *Qui poteſt, capere, capiat; qui autem non poteſt, credat, & oret; vt quod credit intelligat.*

SECTIO IV.

An ſint aliqua proceſſiones in Perſonis diuinis, & quot?

1 SENSVS quæſtionis eſt (ſuppoſitâ illa veritate, quæ ſectione præcedenti probata eſt, nempè tres eſſe in Deo Perſonas) an inter illas aliquis ordo proceſſionis reperiatur, ſeu an vna procedat ab altera. Pro cuius reſolutione,

Dicendum 1. in Perſonis diuinis reperiri veram aliquam, & propriè dictam proceſſionem. Hæc propoſitio eſt de fide: &

Probatur 1. ex Scriptura. S. Ioan. 16. vbi Chriſtus Dominus de ſe loquens, dicit: *Exiui à Patre, & veni in mundum*: quo loco prior pars denotat eius æternam emanationem à Patre: Si enim de ſola Incarnatione locutus fuiſſet (vt rectè obſeruat S. Auguſt. tract. 42. in S. Ioan.) ſatis fuiſſet dicere: *veni in mundum*. Item. Mich. cap. 5. *Egreſſus eius ab initio, à diebus æternitatis*. Item S. Ioan. capite 15. dicitur de Spiritu ſancto: *Qui à Patre procedit.*

Probatur 2. ex Symbolo Nycæno, quo vtitur ſancta Romana Eccleſia, in quo dicitur Filium ex Patre natum eſſe ante omnia ſæcula; & Spiritum ſanctum ex Patre Filioque procedere. Item ex Symbolo S. Athanaſij, vbi dicitur Filius à Patre genitus, & Spiritus ſanctus à Patre & Filio procedens.

Probatur 3. ex SS. Patribus infrà citandis; cum in particulari de ſecundæ ac tertiæ Perſonæ diuinæ proceſſione agetur.

Dicendum 2. duas eſſe in diuinis proceſſiones; nec plures, nec pauciores: ſcilicet Filij à Patre: & Spiritus ſancti à Patre & Filio Eſt de fide, &

Probatur 1. quia in Scriptura duarum illarum proceſſionum ſolùm mentio fit, vt conſtat ex dictis, & pleniùs conſtabit ex dicendis.

Probatur 2. hac ratione, qua vtitur S. Thom. q. 27. a. 5. quia diuinæ proceſſiones non accipiuntur, niſi ſecundùm operationes immanentes: Atqui in natura intellectuali, qualis eſt diuina, ſunt duæ tantùm operationes immanentes. nempè intelligere & velle; Ergo ſunt duæ tantùm proceſſiones.

Obijcies proceſſionem quamcumq; diuinæ perſonæ minimè conuenire: tùm quia Perſona procedens neceſſariò eſt ab alio, & non à ſe; cùm tamen repugnet Deum eſſe, & à ſe non eſſe: tùm quia, qod procedit, producitur; produci autem dicit imperfectionem.

Reſpondetur non repugnare Deum eſſe ab alio, qui ſit idem numero Deus. Tunc enim Natura diuina, cum ſit eadem in producente, & in producto, non producitur, ſed ſolùm communicatur per productionem Perſonæ; & hoc nullam dicit imperfectionem, imò ſummam & infinitam indicat ipſius diuinæ Naturæ in ſeipſa fæcunditatem.

3 Quærunt hic Doctores, an principium immediatum diuinarum illarum proceſſionum ſit naturæ diuinæ fœcunditas: an verò eius intellectus & voluntas.

Durandus exiſtimat principium illud eſſe ipſam naturam diuinam, quatenùs infinitè fœcunda eſt, non verò quatenus intelligens & volens. Verùm hanc ſententiam communiter Doctores rejiciunt, non ſolum vt minùs probabilem, ſed etiam vt errori proximam, ac in fide periculoſam; aſſeruntque vnanimiter diuinas proceſſiones eſſe per intellectum & voluntatem. Ita S. Thomas quæſt. 27. a. 1. & 5. Bonauent. 1. ſent. &c.

Et conſtat ex ijs Scripturæ locis, in quibus ſecunda Perſona dicitur Verbum; vt S. Ioan. 1. Apocal. 19. &c. Verbum enim in natura ſpirituali nihil eſt aliud, quàm completa notitia intellectus. Item ex iis in quibus vocatur ſapientia: vt Prou. 8. Ezech. 24. ſapientia enim ad ſolum intellectum pertinet. Item Hebr. 1. vbi vocatur imago Patris; ratio enim imaginis propriè intellectui competit.

petit, quia cognitio intellectus fit per aſſimilationem cognoſcentis cum objecto, & ſpeciem vitalem expreſſam. Conſtat etiam ex alijs Scripturæ locis, in quibus Spiritus ſanctus vocatur amor & charitas Dei; quæ quidem ſpectant ad voluntatem.

Præterea, niſi dicamus Filium produci per intellectum, & Spiritum ſanctum per voluntatem, non poſſet explicari, cur productio Filij eſſet vera generatio; Spiritus ſancti non item, vt ex infrà dicendis plenius conſtabit.

SECTIO IV.

An ſint aliquæ relationes inter Perſonas diuinas, quot, & quales.

DICENDVM I. aliquas eſſe relationes reales inter Perſonas diuinas. Hæc propoſitio eſt de fide.

Probatur 1. ex Scriptura, quæ pluribus in locis Perſonas diuinas nominibus relatiuis Patris, & Spiritus ſancti exprimit & appellat, vt conſtat ex antè dictis. Pater enim & Filius ſunt correlata: quia Pater, eſt alicuius Filii Pater; & alicuius Patris Filius: ſimiliter Spiritus ſanctus, eſt ab aliquo ſpirante; cumque (ſicut dictum eſt) per modum amoris procedat, relationem neceſſariò dicit ad principium, quia omnis amor eſt alicuius amantis.

Probatur 2. ex Concilio Toletano vndecimo in confeſſione fidei; vbi expreſsè dicitur Perſonas diuinas referri relationibus: & Concilio Florentino ſeſs. 18. vbi Ioannes Theologus agens partes Latinorum, ait apud omnes Doctores conſtare, ſolam in diuinis relationem multiplicare Perſonas,

Probatur 3. ex S. Auguſtino libro 5. de Trinit. cap. 5. vbi dicit Patrem & Filium non appellari ſecundùm ſubſtantiam, id eſt, ſecundùm eſſe abſolutum, ſed ſecundùm eſſe relatiuum: nec Patrem dici ad ſe, ſed ad Filium; nec Filium ad ſe, ſed ad Patrem.

Probatur 4. hac ratione: Diuinæ Perſonæ diſtinguuntur inter ſe realiter, vt de fide eſſe ſupra dictum eſt. Atqui non diſtinguuntur per eſſentiam, cum hæc vna eademque ſit in tribus perſonis; Ergo per reales relationes; cum nullum aliud diſtinctionis fundamentum in illis reperiri poſſit.

Dicendum 2. eſſe quatuor relationes reales in Diuinis, nec plures, nec pauciores; ſcilicet paternitas, & Filiatio, Spiratio actiua, & Spiratio paſſiua. Ita S. Thomas quæſtione 28. art. 4. & communiter omnes cum eo Theologi.

Probatur hac ratione, qua vtitur S. Thom. Omnis origo & proceſſio realis vnius ab altero, exigit neceſſario duos reſpectus op-

poſitos;quorum vnus ſit procedens ad principium, à quo procedit;alter ipſius principij ad id,quod ab illo procedit. Ergo,cùm in diuinis duæ ſint proceſſiones(vt ſectione præcedenti dictum eſt) ſequitur eſſe quoque quatuor relationes reales: vnam,quæ eſt Patris ad Filium,& vocatur Paternitas:alteram, quæ eſt Filij ad Patrem, & vocatur Filiatio; tertiam, quæ eſt Patris & Filij tanquam vnius principij ad Spiritum ſanctum,& vocatur Spiratio actiua: quartam denique,quæ eſt Spiritus ſancti ad Patrem & Filium, & vocatur Spiratio paſſiua.

3 Dicendum 3. relationes in diuinis diſtingui inter ſe realiter. Ita S. Thom. art. 3.

Probatur 1. ex Concilio Toletano vndecimo in confeſſione fidei vbi dicitur in relatione cerni numerum Perſonarum, hoc eſt, ideò tres Perſonas in diuinis realiter inter ſe diſtingui, quia inter ipſas, relationes aliquæ reales inueniuntur: vnde infertur etiam relationes ipſas realiter inter ſe diſtingui;cùm quidquid realiter diſtinguit vnum ab alio,debeat eſſe realiter diſtinctum à reali diſtinctiuo illius.

Probatur 2. ex eo quod dicit Boetius lib. de Trinit. quòd ſubſtantia in diuinis continet vnitatem,relatio verò multiplicat Trinitatem:vnde ſequitur quòd ſi relationes illæ non diſtinguerentur ab inuicem realiter, non eſſet in diuinis Trinitas realis, ſed rationis tantùm,ſeu per ſolam mentis operationem,quod Sabellianam hæreſim redoleret.

Probatur inſuper ex eo quod dicit S. Thomas loco cit. ea diſtinguuntur inter ſe realiter,in quæ realis oppoſitio inuenitur. Atqui inter relationes diuinas talis oppoſitio inuenitur; cùm de ratione relationis cuiuslibet ſit vt inter terminos relatiuos ſit oppoſitio relatiua,alioquin nec eſſet relatio. Ergo relationes diuinæ inter ſe realiter diſtinguuntur.

Obſeruandum eſt tamen ſpirationem actiuam, quamuis realiter à ſpiratione paſſiua diſtinguatur,nullo modo diſtingui à paternitate aut filiatione. Tum quia ſecundùm axioma commune Theologorum,in diuinis omnia vnum ſunt,niſi vbi obuiat oppoſitio relatiua. Tum etiam quia(vt definitum eſt in Conc. Lateran. c. *Damnatus*; ſub Innoc.III.)in diuinis non eſt quaternitas rerum; eſſet autem, ſi actiua Spiratio à Paternitate & Filiatione realiter diſtingueretur.

Dicendum 4. relationes diuinas non diſtingui realiter ab eſſentia diuina.

4 Huic veritati, quæ de fide eſt, oppoſitus fuit error Gilberti Porretani: qui (vt conſtat ex Concilio Rhemenſi ſub Eugenio III. & ex S. Bernardo Serm. 80.in Cant.) aſſerebat relationes diuinas ab eſſentia diuina diſtingui realiter, eſſeque illi velut aſſiſtentes & affixas, quod etiam teſtatur S. Thomas ſup. art. 2.

Reſ-

Refellitur hic error,& veritas noſtræ fidei probatur 1. authoritate ipſius Concilij Rhemenſis, in quo vt refert Baronius tom.12. ad ann.1148.præfatus error,præſente & præſidente ipſo Eugenio ſummo Pontifice damnatus eſt:& in confeſſione fidei a.3. expreſsè definitum eſt, & nullas eſſe in Deo relationes, quæ non ſint ipſe Deus.

Probatur 2.authoritate SS.Patrum, quos Magiſter ſententiarum fusè citat lib.1.diſt.8.art.31.& præſertim S.Bernardi,qui ex profeſſo in loco ſupra citato veritatem huius aſſertionis,tanquam fide diuina credendam,contra præfati Gilberti errorem propugnat,

Probatur 3.hac ratione:ſi aliqua eſſet inter eſſentiam diuinam, & relationes diſtinctio, ſequeretur aliquam eſſe in Deo compoſitionem,cum in eo plures inter ſe realiter diſtinctæ res reperirentur: quod omnimodæ eius ſimplicitati abſolutè repugnat.

5 Dices,inde ſequi relationes illas inter ſe realiter non diſtingui: quæ enim ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem & inter ſe, vt refert axioma philoſophorum: Atqui relationes illæ ſunt idem realiter cum eſſentia diuina: Ergo etiam & inter ſe.

Reſpondetur dictum axioma verum eſſe in rebus creatis, & finitis,falſum in præſenti myſterio,quod nec Ariſtoteles nouit,nec vllus ethnicorum philoſophorum cognoſcere naturaliter potuit:proindeque, illo non obſtante,verum eſſe id quod fides docet, Deum eſſe vere vnum in eſſentia, trinum in perſonis: diuinamque eſſentiam ob infinitatem ſuam identificare ſibi omnia,cum quibus nullam habet oppoſitionem, ac proinde omnes diuinas relationes: cum tamen,hæ ſibi mutuo indentificari nequeant, ob realem, quam ad inuicem habent, oppoſitionem.

SECTIO V.

An ſint admittendæ aliquæ notiones in Perſonis diuinis, & quæ?

1 PER notiones hìc intelligimus proprietates quaſdam perſonales, & veluti notas, quibus Perſonæ diuinæ inter ſe diſtinguuntur in ordine ad noſtrum intellectum. Circà quæſtionem igitur propoſitam,

Dicendum 1. aliquas notiones in diuinis eſſe admittendas. Ita S. Thomas quæſt. 23 art. 2. & poſt illum communiter omnes Theologi.

Conſtat 1. ex S.Auguſt. libro de Trinit. cap.6. vbi ait aliam eſſe notionē quà Pater æternus intelligitur vt genitor:aliam,qua dicitur ingenitus: prioremq; ei competere relatiuè ad Filium:poſterio-

rem verò abſolutè in ordine ad ſeipſum. Et ex S. Baſil. ep. 43. vbi vocat notionem, propriam perſonæ formam & notam, vel caracterem ; ſeu ſignum diſtinctiuum: & dicit illas notiones eſſe neceſſarias, vt de Trinitatis myſterio inconfuſa cognitio habeatur.

Conſtat 2. ex eo quòd (vt rectè obſeruat S. Doctor ſuprà) neceſſarium fuit notiones illas excogitare & admittere ad iuuandam intellectus noſtri imbecillitatem: vt ſcilicet pro noſtro captu ac modulo, per inadæquatos conceptus de Perſonis diuinis loqui, myſteriumque Trinitatis aptè & diſtinctè explicare poſſemus. ; vt ex ſequentibus patebit.

2 Dicendum 2. quinque tantùm notiones admittendas eſſe in diuinis; ſcilicet Innaſcibilitatem, Paternitatem, Filiationem, Spirationem actiuam, & Spirationem paſſiuam.

Ita S. Thomas. ſuprà art. 3. & communiter omnes Theologi, qui ſic illas probant, ſimul & explicant. Tot dantur notiones in diuinis, quot haberi poſſunt ex his duobus reſpectibus (*à quo alius ; & qui ab alio*) quia penes eos eſt omnis diſtinctio diuinarum perſonarum. Atqui hi duo reſpectus ſolummodò nobis ſuggerunt quinque notiones nunc enumeratas. Quod conſtat inductione facta per modos, quibus Perſonæ diuinæ innoteſcunt.

Pater enim tripliciter innoteſcit 1. ex eo quòd à nullo eſt, cùm ſit ipſe principium ſine principio: vnde exiſtit (Innaſcibilitas.) 2. eo quòd alius eſt ab eo per generationem: vnde exiſtit (Paternitas.) 3. ex eo quòd alius eſt ab eo per Spirationem, vnde exiſtit (communis Spiratio actiua.)

Similiter Filius dupliciter innoteſcit. 1. ex eo quòd ipſe eſt ab alio per generationem, vnde exiſtit (Filiatio.) 2. ex eo quod ab ipſo eſt alius per Spirationem, vnde exiſtit (actiua Spiratio) quæ illi communis eſt, imò formaliter eadem ac in Patre: Ac proinde ſuprà numeratæ notiones ſunt tantùm quatuor.

Reſtat Spiritus ſanctus, qui non innoteſcit per hoc, quòd alius ſit ab ipſo; cùm nullam producat Perſonam, ſed tantùm per hoc quòd ipſe eſt ab alio, idque per Spirationem; vnde exiſtit propria ipſius notio, nempe (Spiratio paſſiua.) Ex quibus facile eſt colligere ſupradictas quinque notiones.

3 Obſeruandum eſt autem, ex illis quinque notionibus quatuor eſſe relationes; ſcilicet Paternitatem, Filiationem, Spirationem actiuam, & Proceſſionem ſeu Spirationem paſſiuam. Nam Innaſcibilitas non eſt relatio; ſed potiùs negatio relationis, ſeu productionis paſſiuæ ab altero. Eandem verò rem poſſe ſimul dici & relationem & notionem: relationem, quatenùs eſt ratio referendi vnam perſonam ad aliam: notionem, quatenùs eſt ratio dignoſcendi vnam Perſonam ab alia.

Quæ-

Quæres cur non ponatur ſexta notio, qua deſignetur nullam perſonam à Spiritu ſancto produci; ſicut in Patre ponitur Innaſcibilitas, vt oſtendatur illum ab alia perſona non produci?

Reſpondetur talem notionem non eſſe in Spiritu ſancto neceſſariam. Non enim quælibet negatio debet inter notiones numerari, ſed ea ſolùm, quæ aliquam perfectionem vel dignitatem exhibeat; cuiuſmodi eſt innaſcibilitas in Patre, quatenùs ſignificat Patrem eſſe principium totius Deitatis, nec ab alio vllo produci. Ex qua tamen Patris notione non ſequitur quòd Pater ſit alijs perſonis excellentior: ſumma enim in omnibus ac perfectiſſima æqualis eſt, propter ſimplicitatem eſſentiæ diuinæ, quæ tribus perſonis communis eſt, ſecumque illas prorsùs identificat. Plura ſuper hac re videri poſſunt apud Magiſtrum ſententiarum lib. 1. diſt. 27. & 28. vbi & varias ſanctorum Patrum ſententias fuſiùs refert.

SECTIO VI.

* *Quot in diuinis ſubſtantiæ, quot exiſtentiæ, quot item ſubſiſtentiæ, ſeu hypoſtaſes admittendæ ſunt.*

DE his nominibus variæ inter ſanctos Patres controuerſiæ olim fuerunt, ob varias illorum acceptiones, de quibus non conueniebant, quamuis de eadem veritate fidei inter ſe conuenirent. Nunc verò cum poſt priſcarum illarum controuerſiarum elucidationem in diuerſis Concilijs factam, de propria nominum illorum ſignificatione inter Doctores Catholicos certò conſtet, non erit difficile ad quæſtionem propoſitam reſpondere.

Atque in primis quod ſpectat ad nomen ſubſtantiæ, cùm tripliciter ſumi poſſit, vel pro eſſentia cuiuſque rei, vel pro eo quod ſubſtat accidentibus, vel denique pro eo quod per ſe, & non in alio tanquam in ſubiecto exiſtit:

Dicendum eſt, ſi nomen ſubſtantiæ ſumatur primo modo pro eſſentia, dici non debere in Deo eſſe tres ſubſtantias, ſed vnam: vnde Sanct. Hieronymus Epiſt. ad Damaſ. dicendum aſſerit *in Deo perſonas eſſe, & vnam ſubſtantiam.*

Si 2. modo ſumatur, pro eo quod ſubſtat accidentibus, cum in Deo nulla ſint accidentia, ſic etiam eo ſenſu dici non debere, in Deo eſſe ſubſtantiam, ſeu aliquid quod ſubſtet accidentibus.

Si denique tertio modo ſumatur, pro eo quod per ſe exiſtit, & non in alio tanquam in ſubiecto, eo ſenſu dici poſſe tres perſonas diuinas eſſe tres ſubſtantias, vt etiam admittit S. Auguſtinus lib. 7. de Trinit. cap. 6. cum vnaquæque perſona per ſe exiſtat, & non in alio tanquam in ſubiecto; quamuis hic loquendi modus cùm ſit mini-

mè vſitatus, vſurpari non debeat, præſertim in Catechiſmis & inſtructionibus publicis, ne locus aliquis errori detur.

Quod ſpectat deniq; ad nomen exiſtentiæ, cùm exiſtere nihil aliud ſit, quàm eſſe actu in rerum natura, dicendum eſt admittendam eſſe vnam exiſtentiam abſolutam communem tribus diuinis perſonis, qua ipſa diuinitas exiſtit; nullas verò exiſtentias relatiuas admitti debere. Quòd admittenda ſit exiſtentia abſoluta in Deo, manifeſtum eſt, cùm exiſtentia actualis ſit de conceptu eſſentiali diuinæ naturę Quod autem præter exiſtentiã abſolutam nullæ aliæ exiſtentiæ relatiuæ in Deo admittendæ ſint, quamuis aliqui Theologi contrarium ſentiant, probari nihilominus poteſt 1. authoritate ſancti Doctoris, qui 3 p. quæſt. 17. art. 2. ait tres perſonas diuinas habere *vnum eſſe, ſeu exiſtere*, quæſt. 8. de potentia art. 2. ad 11. apertè docet *Deo non conuenire niſi eſſe abſolutum, quo etiam relationes exiſtunt, neque illis conuenire aliquod eſſe ſeu exiſtere relatiuum.*

Probatur 2. hac ratione, quod ſi in Deo præter exiſtentiam vnam abſolutam eſſent præterea tres exiſtentiæ relatiuæ, eſſent quoque præter æternitatem vnum abſolutam tres quoque immenſitates relatiuæ, ſimiliter præter immenſitatem abſolutam tres quoque immenſitates relatiuæ, & ſic de aliis ſimilibus attributis, quod tamen à communi ſanctorum Patrum & Doctorum Catholicorum loquendi modo abhorret.

Quod ſpectat denique ad ſubſiſtentiam, ſeu hypoſtaſim, obſeruandum eſt, ſecundum communem ſentiendi & loquendi modum Conciliorum & Patrum, idem eſſe ſubſiſtentiam Latinè quòd eſt hypoſtaſis Græcè, & proinde non eſſentiam, aut ſubſtantiam ſed ſuppoſitum, ſeu perſonam ſignificare, cum hac tamen differentia, quòd ſecundum vſitatam nunc Theologorum acceptionem, nomen hypoſtaſis ſumatur pro ſuppoſito, ſeu perſona in concreto, nomen verò ſubſiſtentiæ pro forma illa, à qua ſuppoſitum denominatur.

Hac obſeruatione ſuppoſita, dicendum eſt tres eſſe in diuinis hypoſtaſes, tres item ſubſiſtentias relatiuas, nullam verò ſubſiſtentiam abſolutam quæ tribus perſonis communis ſit.

Quòd ſint tres in diuinis hypoſtaſes, manifeſtum eſt; cùm ſint tres perſonæ, & nomina hypoſtaſis & perſonæ pro eodem ſumantur.

Quod ſint tres ſubſiſtentiæ relatiuæ, non verò vna abſoluta, hinc patet, quòd ſubſiſtentia eſt vltimus terminus naturæ conſtituens perſonam; ſed in Deo non datur vna perſona abſoluta, ſed tres relatiuæ ergo nec dari debet vna ſubſiſtentia abſoluta, ſed tres ſubſiſtentiæ relatiuæ.

Dicet aliquis, eſſentia diuina etiam vt præciſa à perſonis, cum

ſit infinitè perfecta, debet habere omnem perfectionem; ergo, & ſubſiſtentiam. Reſpondetur eſſentiam diuinam vt eſſentia eſt, quamuis in omni genere perfectionis infinita ſit, non requirere aliam perfectionem infinitam quàm in ratione eſſentiæ, quam etiam habet eo ipſo quo identificat ſibi realiter omnia attributa, & omnes perfectiones tam abſolutas, quàm relatiuas; non verò requirere vt in conceptu ſuo formali includat ſubſiſtentiam, quæ perſonæ conuenit & non eſſentiæ.

CAPVT II.

De Perſonis diuinis in particulari.

SECTIO I.

Quænam nomina primæ in diuinis Perſonæ propriè conueniant.

1 EX varijs nominibus, quæ primæ in diuinis perſonæ conuenire poſſunt, tria ſunt præcipua, de quibus hìc nobis agendum eſt.

Primum eſt nomen ingeniti; cùm enim propria primæ perſonæ notio (vt ex ante dictis conſtat) ſit Innaſcibilitas, ex illa deriuatum eſt nomen Innaſcibilis ſiue Ingeniti, quod apud ſanctos Patres ad primam ſanctiſſimæ Trinitatis perſonam deſignandam adhibetur. Quo quidem nomine non aliud ſignificare voluerunt, quàm primam illam perſonam à nullo alio principio eſſe productam: in quo diſtinguitur à duabus aliis, quæ aliquod ſuæ productionis principium agnoſcunt. Vnde ſanctus Baſilius lib. 4. contra Eunomium ex hac appellatione ingeniti, argumentum ducit ad probandum ſecundam Trinitatis perſonam non eſſe factam aut creatam, ſed eſſe genitam: quia ſcilicet fruſtrà alioquin Pater ingenitus appellaretur, ſi nulla eſſet perſona genita; cum qua comparatus dici poſſet ingenitus: ac potiùs increatus quàm ingenitus dici deberet.

Secundum eſt nomen Patris quod quidem Patris nomen,

Si ſumatur in ordine ad creaturas, non eſt perſonæ nomen, ſed eſſentiæ; proindeque non ſolùm primæ, ſed etiam alijs duabus perſonis conuenit. Eo namquè ſenſu Paternitas in Deo ſignificat eius bonitatem & prouidentiam erga creaturas præſertim rationales;

qua-

quatenùs illas creat, conſeruat, gubernat, &c. quæ actiones creandi, conſeruandi, gubernandi, &c. communes ſunt toti Trinitati, cùm ſint actiones ad extra: Deus autem ad extra non operatur vt trinus, ſed quatenus vnus eſt: vnde Chriſtus Dominus S. Matth. 23. dicit; *vnus eſt Pater veſter, qui eſt in cœlis*. Et cap. 6. iubet nos ita orare: *Pater noſter qui es in cœlis* vbi nimirum dictio, *Pater*, ex communiori Theologorum ſententia ſumitur eſſentialiter, ſimulque refertur ad tres perſonas, non autem ad ſolum Patrem.

Si verò nomen Patris ſumatur in ordine ad internam generationem, tunc ſoli primæ perſonæ competit. Quod patet ex varijs Scripturæ locis ſupra citatis & adhuc infrà citandis, & ex omnibus fidei ſymbolis in quibus Eccleſia profitetur primam in diuinis perſonam verè & propriè eſſe, & dici Patrem, nulliique alteri perſonæ hoc nomen eo ſenſu acceptum competere. Vnde S. Athanaſius in ſymbolo ſuo: *vnus ergo Pater, non tres Patres*. Et S. Cyrillus Alexand. lib. 11. in Ioan. explicans illa verba S. Ioan. cap. 17. (*Pater, manifeſtaui nomen tuum hominibus*) ſic loquitur: *Manifeſtauit nomen Patris Filius, quatenus in eam notionem ac ſinceram contemplationem nos induxit; vt intelligeremus, non ſolùm Deum illum eſſe reuera (id enim & ante Chriſti aduentum vulgò prædicabatur per Scripturam diuinam) ſed hoc inſuper, præter quàm quòd Deus eſt, eundem quoque eſſe non ementita appellatione Patrem, qui in ſeipſo & ex ſeipſo proprium habet fœtum cum natura ſua concurrentem atque æternum*: Et paulò poſt ſubiungit, nomen Patris magis illi conuenire quàm nomen Dei: *Hoc enim dignitatis*, inquit, *illud ſubſtantiæ proprietatis notionem continet*.

3 Tertium eſt nomen Principii, quod quidem duplici modo poteſt ſimiliter conſiderari, vel ad extra, & ſecundùm reſpectum ad creaturas; vel ad intrà, & ſecundùm actiones immanentes. Priori modo eſt nomen eſſentiale, tribus perſonis conueniens eodem modo, quo ſuprà de nomine Patris dictum eſt. Poſteriori verò eſt notionale, quod primæ & ſecundæ perſonæ conuenit, ſed præſertim primæ. Et quidem quòd Patri & Filio conueniat. Patet ex Concilio Florentino ſeſſ. vlt. & ex Concilio Ludunenſi ſub Gregorio Decimo cap. vnico de ſumma Trinitate: vbi vocabulum Principii dicitur commune Patri & Filio ad intrà, quatenùs ambo ſimul producunt Spiritum ſanctum. Quod autem præſertim ac potiſſimùm perſonæ Patris hoc nomen Principii conueniat ex eo quod ſolus Pater ſit principium ſine principio, ſolus ſimul producens & improductus, & à S. Auguſt. lib. 4. de Trinitate cap. 20. & S. Athanaſ. orat. cont. Gregales Sabellii, vocatur *Principium totius Deitatis*: non quòd ipſa Deitas ab ipſo procedat: hoc enim dicere eſt hæreticum, & damnatum in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. 2.

ſed quia eſt principium aliarum perſonarum, in quibus eſt tota Deitas, & quibus totam Deitatem ipſe communicat.

4 Quæres, an ſicut Pater dicitur principium, ſic etiam poſſit dici cauſa Filii, & Spiritus ſancti? item, an poſſit dici author ipſius Filii & Spiritus ſancti?

Reſpondetur, quod ſpectat ad nomen cauſæ apud Latinos, vſum illius nominis non eſſe admittendum, quamuis apud Græcos Patres nonnunquam nomen cauſæ & principii in diuinis indifferenter ſumptum reperiatur.

Ratio eſt, quia hoc nomen cauſæ, ſecundum communem acceptionem, importat diuerſitatem ſubſtantiæ, & dependentiam vnius ab altero; ac proinde quandam prioritatem & poſterioritatem naturæ, præſertim ſi ſermo ſit de cauſa efficiente, qualis eſſet Pater reſpectu aliarum perſonarum; cùm nec cauſæ materialis, nec formalis, nec finalis rationem habere poſſet. Quod autem ſpectat ad nomen authoris, reſpondet S. Auguſt. lib. 3. contra Maximinum cap. 4. *Si propterea Deum Patrem Deo Filio dicis authorem, quia ille genuit; iſte genitus eſt; quia iſte de illo eſt, non ille de iſto; fateor & concedo: ſi autem per nomen authoris minorem vis facere Filium, Patremque maiorem, nec eiuſdem ſubſtantiæ Filium cuius eſt Pater, deteſtabor & reſpuam.*

SECTIO II.

Quid Fides Catholica de ſecunda ſanctiſſimæ Trinitatis perſona credendum proponat.

1 LOQVIMVR hic tantùm de iis quæ ad rectam & veram ſanctiſſimæ Trinitatis notitiam pertinent, de myſterio Incarnationis ſuo poſteà loco acturi.

De ſecunda igitur ſanctiſſimæ Trinitatis perſona Catholica Fides quinque præſertim veritates docet credendas. Prima eſt, eſſe verum & naturalem Dei Patris Filium. Secunda, eſſe Patri Conſubſtantialem. Tertia, eſſe Patri coæternum. Quarta, eſſe Patri per omnia æqualem. Quinta, eſſe verè ac propriè vnum cum Patre Deum.

His quinque veritatibus oppoſita fuit olim hæreſis Arrij, qui (vt conſtat ex S. Athanaſio variis in locis, ac præſertim in libro de Synodis, & ex quodam opuſculo quem ipſe Arrius edidit, inſcripſitque *Thalia*) dicebat Filium Dei, nec Deum eſſe, nec genitum ex ſubſtantia Patris, nec proinde ipſi conſubſtantialem: ſed eſſe creaturam non ab æterno, ſed in tempore, ante alias tamen creaturas productam.

Hi erro-

Hi errores ſeu potiùs blaſphemiæ refutantur,& veritates noſtrę fidei probantur ſigillatim eo ordine,quo ſuprà propoſitæ ſunt.

Prima quidem,quòd ſcilicet ſecunda Perſona ſit verus & naturalis Dei Filius,probatur manifeſtè ex Scriptura,Pſ. 2. vbi Deus Pater Filium alloquens; *Filius meus es tu*, inquit, *ego hodie genui te*. S. Matth. 3. *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: quæ verba ſic explicat S. Leo Papa hom. de Transfiguratione; *Hic eſt meus non adoptiuus,ſed proprius;non aliunde creatus, ſed ex me genitus*. S.Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret*: quòd ſi non eſſet naturalis, ſed adoptiuus, vnigenitus dici non poſſet; cùm plurimi alij ſint per adoptionem Filij.

3 Secunda veritas, nempè quòd ſit Patri conſubſtantialis, hoc eſt, eiuſdem naturæ & ſubſtantiæ cum ipſo,probatur ex his Chriſti Domini verbis,S.Ioan. 10. *Ego & Pater vnum ſumus*. Quo quidem teſtimonio (vt rectè dixit S. Aug. tract. 36. in S. Ioan.) ſimul liberamur ab erroribus Arrij & Sabellij: tanquàm à Scylla & carybdi, Quòd enim dicit,*vnum*,ſignificat vnitatem eſſentiæ & naturæ, ac proinde conſubſtantialitatem, quam negabat Arrius Quòd autem addit,*ſumus*,diſtinctionem indicat perſonarum,quam Sabellius inficiabatur. Hoc eodem teſtimonio vſus eſt S.Athan.ſerm.4.contra Arrianos,& S.Hil.lib.7. de Trin.

Eadem veritas expreſsè definita eſt in Concilio Niceno primo aduerſus Arrium,vbi ex decreto Concilij,vox *conſubſtantialis* in Symbolo appoſita eſt:quod quidem ſymbolum in alijs poſteà Concilijs, vnanimi Patrum conſenſu receptum eſt.

4 Tertia veritas, quòd ſit Patri coæternus,probatur Mich. 5. *Egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis*, quæ verba S.Hieronymus in illum locum,& communiter alij ſancti Patres de generatione Filij Dei interpretantur. Item ſanctus Ioan. 1. *In Principio erat Verbum*, quo teſtimonio S. Auguſtinus in illum locum, & alij ſancti Patres vſi ſunt ad probandam contra Arrianos Verbi diuini æternitatem.

5 Quarta veritas,ſcilicet quòd ſit Patri per omnia æqualis,probatur ex Apoſtolo ad Philipp. 2. vbi de filio Dei loquens dicit,quòd, *Cum in forma Dei eſſet non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo*; hoc eſt (vt explicant S.Chryſoſtomus & S. Ambroſius in hunc locum) cùm eſſet eiuſdem naturæ & ſubſtantiæ cum Deo Patre, nihil ſibi arrogauit indebitum, cùm ſe exiſtimauit ipſi Deo Patri per omnia æqualem. Vnde rectè S.Auguſtinus in Pſ. 126. cap. 14. *Quare*,inquit,*non eſt rapina? quia eſt natura*. Et lib. cont. Maximinum Arrianum, occurrens objectioni Arrianorum dicentium Filium eſſe minorem Patre; quia totum,quod erat à Patre acceperat;

Non poteſt, inquit, is, qui accepit, ei, qui dedit, eſſe inæqualis: quia & hoc accepit, vt eſſet æqualis: nihil enim Patre minus habet ille, qui dicit: omnia, quæ habet Pater, mea ſunt.

Quinta denique veritas, nimirum quod Filius Dei ſit verè & propriè vnus cum Patre Deus; præterquàm quod ex antè dictis euidenter ſequitur, probari inſuper poteſt ex varijs Scripturæ locis, in quibus Filius Dei verè & propriè Deus vocatur. Iſa. 36. *Deus ipſe veniet & ſaluabit nos: tunc aperientur oculi cæcorum, &c.* S. Ioan. 10. *Reſpondit Thomas & dixit: Dominus meus, & Deus meus.* Ad Rom. 9. *Ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula.* 1. S. Ioan. 5. *Vt ſimus in vero Filio eius; hic eſt verus Deus.* Ex quibus locis & alijs ſimilibus, cùm conſtet Filiũ Dei eſſe verum Deum; ſequitur vt ſit vnus & idem cum Patre Deus, cùm plures Dij, nec ſint, nec eſſe poſſint.

Obijciebant Arriani: quando Filius genitus eſt, vel erat, vel non erat: ſi erat, quare genitus eſt, ſi non erat; ergo aliquando non fuit; ac proinde nec æternus, nec Deus eſt.

Reſpondetur cum S. Baſilio: non erat antequam gigneretur: ſed erat, cùm gigneretur: ſemper autem genitus, ſemper igitur fuit? Vnde S. Auguſtinus epiſt. 34. ad Paſcentium *Semper gignit Pater, & ſemper naſcitur Filius.* Ratio eſt, quia Filius gignitur in æternitate, quæ eſt indiuiſibilis, immutabilis, infinita, coexiſtens omnibus partibus noſtri temporis: cùm ergo non poſſimus illam explicare, niſi per reſpectum ad noſtrum tempus: coexiſtat autem toti noſtro tempori, fit vt rectè dicamus Filium ſemper genitum eſſe, & ſemper gigni: quamuis (vt rectè obſeruat S. Auguſtinus lib 83 quæſtionum, q. 37.) aptiùs dicatur, ſemper genitum eſſe, quàm ſemper gigni: nam, licet ſemper duret diuinæ generationis actus: tamen ſemper etiam perfectus eſt & conſummatus. Et hæc eſt ratio, quare Chriſtus Dominus diuinam ſuam generationem explicat per Verbum præteriti temporis. S. Ioan. *Ego ex Deo proceſſi:* & nos in ſymbolo credimus genitum, non factum.

SECTIO III.

Ob quam rationem Filij Proceſſio dicatur, & verè ſit generatio; Spiritus ſancti vere nec ſit, nec dici poſſit.

1 CVM certiſſimum ſit ex antè dictis Filij proceſſionem eſſe veram & propriè dictam generationem, ſiquidem ipſe procedens eſt verus & propriè dictus Dei Filius, ex Deo Patre verè genitus, vt pluribus in locis ſacræ Scripturæ dicitur: Spiritus ſancti verò proceſſionem, nec eſſe, nec dici poſſe generationem: cùm Filius Dei,

Dei, nec ſit, nec dici poſſit: Quærunt Theologi, quæ ſit huius differentiæ ratio.

Communis reſponſio ea eſt, quam affert S.Th.p. quæſt. 27. art. 2. & lib.4. cont Gentes cap. 10. ſcilicet, quod generatio propriè dicta, eſt origo ſeu proceſſio viuentis à viuente principio coniuncto ſecundùm ſimilitudinem naturæ; proceſſio autem Filii talis eſt.

In primis enim eſt proceſſio ſeu origo viuentis: quia Filius non ſolùm eſt viuens, ſed eſt ipſa vita, vnde 1. S.Ioan. cap. 1. vocatur *Verbum vitæ, & vita æterna, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis*. Deinde eſt à principio viuente; quia Pater, qui per intellectionem notionalem eſt eius principium, vita intellectuali perfectiſſima viuit: vnde S.Ioan.5. dicitur quòd *Pater habet vitam in ſemetipſo*, & S.Matth. 16. dicitur *Filius Dei viui*. Eſt etiam à principio coniuncto: Filius enim producitur ex ſubſtantia Patris, & cum illo vnum eſt, vt ex dictis ſectione præcedenti conſtat. Denique eſt ſecundùm ſimilitudinem naturæ; quia Filius eſt perfecta & expreſſa imago Patris, vnde vocatur ab Apoſtolo Hebr. 1. *Splendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius*; & Coloſſ.1. vocatur *Imago Dei inuiſibilis*.

Verùm iſta non ſoluunt difficultatem initio ſectionis propoſitam: proceſſio enim Spiritus ſancti æquè ac Filii, eſt origo viuentis à viuente, vt per ſe patet: eſt etiam in ſimilitudinem naturæ; quia per omnia & Patri & Filio æqualis eſt, & cum illis vnus Deus.

Multum laborauerunt ſancti Patres in hac difficultate ſoluenda, & varias excogitarunt rationes, cur Filij proceſſio ſit vera & propriè dicta generatio, Spiritus ſancti non ſit.

Omnium optima eſt, quam affert S.Auguſt.lib.9. de Trinit.c.12. vbi dicit, ideò Filium Dei vocari & eſſe propriè genitum, ſeu verè & propriè generari, eo quòd procedat per intellectionem, Spiritum ſanctum verò minimè, eo quod procedat per voluntatem. Quæ ratio vt intelligatur,

3 Obſeruandum eſt quod quando intelligens ſeipſum intelligit, illud quod procedit per intellectionem, ex vi ſuæ proceſſionis procedit formaliter ſimile intelligenti: cùm intellectio habeat pro termino Verbum internum, quod eſt ſpecies, ſeu ſimilitudo vel imago expreſſa rei intellectæ. Quod autem procedit per volitionem, non eſt formaliter vi ſuæ proceſſionis ſimile volenti: etſi volens ſeipſum velit: cùm volitio ſit voluntatis actio, quæ per ſe non exprimit vllam ſimilitudinem, ſed eſt potiùs propenſio & inclinatio quædam erga rem volitam, & amatam, iuxta illud S.Auguſtini: *Amor meus, pondus meum; illò feror, quocumque feror*.

Vnde

Vnde fit, vt, cùm Filius procedat à Patre per intellectionem, qua Pater ſeipſum intelligit; vi proceſſionis illius formaliter fit in natura ſimilis Patri; cùm ſit Verbum ſeu ſpecies & imago expreſſa ipſius Patris, ideoque proceſſio eius ſit vera & propriè dicta generatio. Cùm autem Spiritus ſanctus per volitionem & amorem procedat, inde fit, vt non ſit formaliter vi ſuæ proceſſionis ſimilis in natura, principio, à quo procedit, ſed tantùm materialiter, id eſt quatenùs terminus ille productus per amorem Patris & Filij, identificatur cum eſſentia diuina, quæ ob infinitatem ſuam identificat ſibi omnia quæ in Deo ſunt.

Cæterùm quamuis ea ratione vtcumque explicetur initio ſectionis propoſita, certior tamen diſtinguendi ratio non aliunde petenda eſt, quàm eo quod ipſa fides nobis apertè declarat, vnicum & vnigenitum eſſe in diuinis Filium; illiuſque productionem proindè verè & propriè dici generationem, Spiritus ſancti verò productionem, nec eſſe, nec dici poſſe generationem; cùm ex eadem fide certum ſit illum nec eſſe, nec dici poſſe, Patris & Filij Filium nec ab illis generari, ſed procedere. Quod conſtat tùm ex Scripturis antè relatis, tum ex omnibus fidei ſymbolis, quibus Eccleſia Catholica vtitur. Quare humiliter profiteri quiſque meritò poteſt cum S. Damaſceno lib. 1. de fide cap. 10. *Generationem à proceſſione differre compertum habemus; ſed quis differentiæ modus, ignoramus.* Et cum S. Auguſt. lib. 3. cont. Maximinum; cap. 14. *Quid interſit inter naſci & procedere; inter illam generationem & hanc proceſſionem, diſtinguere neſcio, non valeo, non ſufficio; generationem illam quis enarrabit? & proceſſionem hanc quis enarrabit?*

SECTIO IV.

Quo ſenſu ſecunda in diuinis perſona vocetur Verbum.

1 INTER plura nomina, quæ præter ipſum nomen Filij, ſecundæ in diuinis perſonæ variis in locis Scripturæ tribuuntur: vnum eſt, quod aliquam explicationem requirere videtur: ſcilicet nomen Verbi. Circà quod quæri in primis poteſt, an Verbum in diuinis ſit nomen perſonale proprium Filii. Verum antequam reſpondeatur,

Obſeruandum eſt 1. Verbum hìc accipi pro conceptu intellectus, de cuius ratione eſt, quod ab alio procedat.

Obſeruandum eſt 2. magnum eſſe diſcrimen inter intelligere & dicere in rebus ſpiritualibus: intelligere enim importat ſolam habitudinem intelligentis ad rem intellectam; at verò dicere importat principaliter habitudinem ad Verbum conceptum; ſeu

ad terminum ipſius intellectionis: in illo nulla importatur originis ratio, in iſto verò maximè. His obſeruatis,

Dicendum eſt, Verbum in diuinis, proprie & ſtrictè loquendo, eſſe nomen perſonale proprium Filii.

Probatur 1. ex Scriptura S. Ioan. 1. *Verbum caro factum eſt*, & aliis in locis.

Probatur 2. ex S. Auguſt. lib. 6. de Trinit. cap. 2. *Verbum ſolus Filius accipitur*; & lib. de hæreſ. cap. 11. Alogianos recenſet inter hæreticos, quod & facit S. Epiph hæreſ. 5. eo quòd negarent Verbum in Deo eſſe propriè Filium Dei.

Probatur 3. quia Verbum in diuinis propriè & ſtrictè loquendo non eſt ipſum intelligere; ſed eſt aliquid productum, intelligendo, tanquàm imago & expreſſio rei intellectæ: At in diuinis producere ſeu produci ab aliquo, pertinet ad rationem nominum perſonalium. cum Perſonæ diuinæ ſecundum originem diſtinguantur: ideoque, licet tota ſanctiſſima Trinitas verè ſit intelligens & intellecta, vna tamen perſona ſola eſt dicens quæ profert Verbum, nempè Pater: & vna ſola; vt Verbum dicta nempè Filius: vt autem clarius ad hoc intelligatur,

2. Notandum eſt duplex eſſe Verbum: vnum exterius, quod ore profertur, & de illo hìc non agimus: alterum interius, quod mente cóncipitur, eſtque ipſius rei intellectæ expreſſa ſimilitudo. Vt enim docet S. Thomas 1. p. q. 7. art. 1. *Quicumque intelligit, ex hoc ipſo quod intelligit, procedit aliquid intra ipſum, quod eſt conceptio rei intellectæ, ex vi intellectiua prouenƭens, & ex eius notitia procedens, quam quidem conceptionem, vox ſignificat & dicitur Verbum cordis, ſignificatum verbo vocis.* Sicut autem res alias, ſic etiam ſeipſam mens rationalis intelligere poteſt, tunc producit in ſe quandam ſui ipſius expreſſam imaginem ex ſe natam, & in ſe immanentem.

Et eo modo quantum poſſumus, concipere debemus Deum Patrem ab æterno ſeipſum intelligere & cognoſcere, ſeque intelligendo & cognoſcendo, ſui ipſius imaginem expreſſam intrà ſe producere; non quidem accidentalem, vt in nobis fit, ſed ſibi conſubſtantialem; quæ imago Verbum eius eſt. Sicque ſecunda in Trinitate Perſona verè & propriè Verbum eſt; & dici debet.

Quæres ex quarum rerum cognitione Verbum diuinum procedat? Antequam reſpondeatur,

Obſeruandum eſt vnicam numero in Deo eſſe cognitionem rerum omnium, nempè diuinæ eſſentiæ, diuinarum perſonarum & creaturarum ſpectatarum, tàm quo ad eſſentiam, quàm quo ad exiſtentiam actualem; per eamque Verbum diuinum procedere. Sed cum hæc cognitio, ex qua Verbum procedit, ad illa omnia obiecta

ter-i-

terminetur; quæſtio eſt: vtrum ad hoc vt procedat, neceſſe ſit per ſe & formaliter prædictam cognitionem ad illa omnia terminari; an potiùs ſit ſatis ad aliqua ſolum terminari; reliquis ad quæ terminanatur, merè per accidens, & purè concomitanter ſe habentibus. Hac obſeruatione ſuppoſita,

Reſpondetur breuiter, ex variis ſuper hac re Doctorum ſententiis illam videri probabiliorem, quæ aſſerit, Verbum diuinum procedere ex notitia illa, qua Deus Pater ſeipſum, eſſentiamque diuinam, omneſque eius perfectiones, nec non diuinas perſonas, ac denique omnes creaturas poſſibiles cognoſcit.

Quod conſtat ex eo quod Verbum diuinum procedit ex notitia Patris nobiliſſima, ac perfectiſſima, qualis eſt, ſola comprehenſiua notitia eſſentiæ diuinæ; Atqui comprehenſio eſſentiæ diuinæ eſt cognitio eorum omnium, quæ tùm formaliter, tùm eminenter in ipſa continentur, cuiuſmodi ſunt ea, quæ ſuprà enumerauimus. Ergo Verbum diuinum ex præfata illorum omnium cognitione procedit. Vnde rectè S. Auguſt. lib. 15. de Trinit. cap. 14. *Deus Pater*, inquit, *non integrè perfectèque ſeipſum dixiſſet; ſi aliquid eſſet minùs in Verbo, quàm in ſeipſo.*

SECTIO V.

Quid Fides Catholica de ſecunda in diuinis Perſona credendum proponat.

1 OBSERVANDVM eſt hoc nomen (Spiritus ſanctus) duobus modis conſiderari poſſe. 1. ſecundùm vim ſuæ ſignificationis; vt eſt nomen compoſitum ex duabus dictionibus: & ſic eſt nomen eſſentiale, commune omnibus Perſonis ſanctiſſimæ Trinitatis: quia Pater eſt verè Spiritus & verè ſanctus: ſimiliter & Filius. 2. Prout ex communi vſu, & accommodatione Eccleſiæ, ſanctorumque Patrum, eſt vnicum nomen ex illis duobus conflatum; & tunc eſt proprium tertiæ perſonæ. Quod conſtat ex communi vſu loquendi, tum in Scripturis, tum in Conciliis & apud SS. Patres: vbi cum enumerantur diuinæ perſonæ, tertia illarum, nomine Spiritus ſancti deſignatur.

Quòd ſi quæras, cur tertia illa perſona ſic vocetur? Hanc rationem reddit ſanctus Auguſtinus lib. 15. de Trinit. cap. 19. *Quia Spiritus ſanctus eſt communis ambobus Patri ſcilicet & Filio: ideò id vocatur ipſe propriè, quod ambo communiter* Accedit & alia ratio, quia ſcilicet procedit per actionem voluntatis: Atqui ſanctitas propriè ad voluntatem ſpectat: nec enim dicitur quis ſanctus ab operatione intellectus, ſed ſolum voluntatis. Pari modo ſpirare, & ſpiritus

ſunt voces ſpecialiter ad voluntatem pertinentes; quatenus ſpirare aliquando ſignificat vehementer amare, aut ardenter deſiderare, vt cum vulgò dicimus, aliquem ſpirare vindictam aut cædes: contrà verò ſanctos viros ſpirare charitatem, pietatem, &c. Et ſic peculiari in re ac titulo tertia in diuinis perſona rectè nuncupatur Spiritus ſanctus, quia per operationem voluntatis procedit.

4 Hac obſeruatione ſuppoſita, de tertia illa perſona, ſeu de Spiritu ſancto, tres præſertim veritates Fides Catholica credendas proponit. Prima eſt, illum eſſe verum Deum, Patri & Filio conſubſtantialem, & per omnia æqualem. Secunda, à Patre & Filio procedere. Tertia denique, procedere à Patre & Filio, tanquam ab vnico principio.

Primæ veritati oppoſitus fuit error Macedonii, & eius aſſeclarum, qui (vt refert Sozomenus lib. 4. cap. 26.) aſſerebant Spiritum ſanctum non eſſe Deum, ſed aliquam ſubſtantiam ſpiritalem, ſuperiorem omnibus Angelis, creatam à Patre, per Filium. Qui error fuit etiam Arrii, qui ſicut Filium, ita etiam Spiritum ſanctum creaturam dicebat, teſte ſancto Epiphanio hæreſi 69.

Refellitur hic error, & veritas noſtræ fidei probatur 1. authoritate Scripturæ. 1. S. Ioan. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo; Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt*. Quæ verba clariſſimè indicant vnitatem ſubſtantiæ & diuinitatis in Spiritu ſancto, & alijs perſonis diuinis. S. Matth. cap. vltim. Chriſtus præcipit credentes baptizari in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: Sacramenta autem conferri non debent, niſi nomine & authoritate veri Dei, qui ſolus eſt author & largitor gratiæ. S. Marc. 3. vbi dicitur cætera peccata hominibus dimitti: peccata autem in Spiritum ſanctum non remitti, neque in hoc ſæculo, neque in futuro. Denique Act. 5. ſanctus Petrus increpans Ananiam, quod mentitus eſſet Spiritui ſancto, addit poſtea illum non eſſe mentitum hominibus, ſed Deo.

Probatur 2. authoritate vniuerſalis Eccleſiæ, quæ in Symbolo Apoſtolorum profitetur ſe credere in Spiritum ſanctum, æquè ac in Patrem & Filium. Et in Concilio Conſtantinopolitano, in quo Macedonij hæreſis proſcripta fuit in ſymbolo Fidei dicitur: *Credo in Spiritum ſanctum Dominum, qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, & glorificatur.* Et in Symbolo S. Athanaſij dicitur: *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus; & Patris, & Filij, & Spiritus ſancti vna diuinitas, æqualis gloria, &c.*

Probatur 3. ex vnanimi conſenſu SS. Patrum, qui libris integris Spiritus ſancti diuinitatem contra hæreticorum blaſphemias propugnauerunt: vt S. Baſilius, S. Ambroſius, & S. Auguſtinus paſſim in libris de Trinitate, præſertim lib. 1. cap. 6. & alii communiter omnes,

3 Secundæ veritati oppoſitus eſt error Græcorum, aſſerentium Spiritum ſanctum à ſolo Patre procedere.

Refellitur, & veritas noſtræ fidei (ſcilicet quod Spiritus ſanctus non tantùm à Patre, ſed etiam à Filio procedat) probatur 1. authoritate Scripturæ, in qua varijs in locis dicitur Spiritus ſanctus mitti & dari à Filio, vt S. Ioan. 15. *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre*: Atqui miſſio in diuinis perſonis denotat proceſſionem, vt explicant SS. Patres. S. Greg. hom. 26. in Euang. *Miſſio*, inquit, *Spiritus ſancti, eſt eius proceſſio de Patre & Filio.* Et S. Hilar. lib 8. de Trinit. *Spiritus Sanctus mittitur à Filio, quia eſſe ab illo accipit*: Et cap. 16. S. Ioan. Chriſtus Dominus loquens de eodem Spiritu Sancto, *Ille*, inquit, *me clarificabit*: *quia de meo accipiet*; quem locum de Spiritus ſancti proceſſione intellexit S. Amb. lib. 2. de Spiritu ſancto & S. Aug. tra. 99. in S. Ioan. cap. 12.

Probatur 2. ex Concilio Epheſino in quo lecta & recepta fuit Epiſt. S. Cyril. ad Neſtorium, tom. 1. cap. 14. in ea autem epiſt. manifeſtè dicitur Spiritum ſanctum à Patre & Filio procedere; & in Conc. Chalced. actione 5. in qua eadem Epiſt. Sancti Cyril. recipitur, & confirmatur; ac denique in Conc. Florent. ſeſſ. 7 & 22. in quo eadem veritas ſimpliciter & abſolutè definita fuit, conſentientibus ſimul Latinis & Græcis, tametſi poſtea infeliciter Græci ab hac fide defecerint.

Probari poteſt ex SS. Patribus, vt S. Baſil. lib. 3. cont. Eunomium, S. Chryſoſt. hom. 4. de ſymbolo, S. Greg. Nyſſeno Epiſt. ad Alabium, & pluribus alijs, qui vnanimiter id docent, & quorum doctrina fusè in præfato Concilio Florentino declaratur.

Tertia denique veritas, ſcilicet quòd Spiritus ſanctus à Patre & Filio, tanquam ab vnico principio procedat.

Probatur 1. authoritate Concilij generalis Lugdunenſis cap. vnico de ſumma Trinitate & Fide Catholica: vbi expreſſe definitum eſt, Spiritum ſanctum eſſe à Patre & Filio, non tanquam duobus principijs, ſed tanquam vnico principio, nec duabus ſpirationibus, ſed vna. Item Concilij Florentini ſeſſ. vltima in litteris vnionis dicitur Spiritum ſanctum à Patre & Filio, tanquam vno principio, & vnica ſpiratione procedere.

Probatur 2. ex S. Auguſt. lib. 5. de Trinit. cap. 14. vbi ſic loquitur: *Sicut Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vnus Creator, & vnus Dominus: ita Pater & Filius ſunt vnicum Spiritus ſancti principium, non duo principia.* Eodem etiam modo loquitur S. Hilarius lib. 4. de Trinit. & S. Anſelmus libro de proceſſione Spiritus ſancti cap. 10.

Probatur 3. ratione. ſiquidem in diuinis omnia vnum ſunt, vbi

vbi non obſtat oppoſitio relatiua. Atqui inter Patrem & Filium, quatenus ſpirant, nulla eſt eiuſmodi relatiua oppoſitio, vt per ſe patet: Ergo, &c.

Obſeruandum eſt, quod quamuis rectè dici poſſit Spiritum ſanctum procedere à duobus vim ſpirandi habentibus, ac proinde eſſe duos ſpirantes: quia ſcilicet; procedit à duabus diſtinctis perſonis, Patre ſcilicet, & Filio: non tamen ideò dici poteſt eſſe duos ſpiratores.

Ratio huius diſcriminis eſt, quod, adiectiua nomina plurali numero efferri poſſunt, quoties diuerſa ſunt ſuppoſita, quamuis non ſint diuerſæ formæ: ſubſtantiua verò multiplicari non debent, niſi & forma, quam ſignificant, multiplicetur. Itaque rectè dicimus duos habentes vim ſpirandi, vel duos ſpirantes adiectiuè; quia ſunt duæ perſonæ: ſed non dicimus duo principia, nec duos ſpiratores ſubſtantiuè: quia vnica eſt veluti forma, & vna virtus, per quam ſpirant.

Dices S. Hilarium lib. 1. de Trinit. vocare Patrē & Filium authores Spiritus ſancti, proindeque eodem modo dici poſſe ſpiratores.

Reſpondetur apud SS. Patres quibuſdam in locis ſenſum potiùs illorum attendi debere, quàm verba. Quamuis enim nonnunquam nomina ſubſtantiua pro adiectiuis vſurpentur ad hoc myſterium explicandum; nihilominus ſubſtantiua illa modo adiectiuo intelligi debent, vt de S. Hilario docet S. Thom. q. 36. art. 4. ad. 7.

SECTIO VI.

Quo ſenſu Spiritus ſanctus vocetur amor.

1 AD vberiorem cognitionem eorum, quæ de Spiritus ſancti proceſſione dicta ſunt, conferre poteſt explicatio huius nominis, quod paſſim in Scripturis & apud SS. Patres reperitur, quo Spiritus ſanctus vocatur amor. Quod vt diſtinctiùs intelligatur,

Prænotandum eſt hoc nomen (Amor) in diuinis duplici modo ſumi poſſe. 1. eſſentialiter, pro illo amore, quo tres perſonæ diuinæ diligunt. 2. Notionaliter, idque vel actiuè, ſcilicet pro amore notionali productiuo, quo Pater & Filius producunt Spiritum ſanctum; vel paſſiuè, pro amore notionali producto, & tunc eſt nomen perſonale ſolius Spiritus ſancti proprium.

Quoniam verò ea quæ ad voluntatem ſpectant in diuinis magis adhuc nos latent, quàm quæ ad intellectum; ideò iuuabit ea, quæ ad amorem illum diuinum productum pertinent, ex analogia productionis Verbi diuini, paucis hìc explicare.

Sicut igitur dum Pater ſeipſum in eſſentia contemplatur, Verbum

mentis exprimit,& ſic Filium generat: Ita dum Pater & Filius ſe in vnitate eſſentiæ diligunt, affectus voluntatis, qui eſt vtriuſque amor, ſimul ab vtroque exprimitur, ſicque Spiritus ſanctus producitur.

Item ſicut intelligere conuenit Filio,non ſecùs ac Patri; ſed conceptum efformare; ſeu verbum dicere, ſoli Patri: Ita amare Spiritui ſancto conuenit, non ſecùs ac Patri & Filio; ſed affectum exprimere, & amorem ſpirare, ſoli Patri & Filio.

2. Item ſicut Verbum diuinum, ſeu Filius ex cognitione eſſentiæ diuinæ, eiuſque perfectionum omnium, necnon trium perſonarum diuinarum ac denique creaturarum poſſibilium, procedit: Sic amor diuinus,ſeu Spiritus ſanctus ex eiuſdē eſſentię diuinæ perfectionum, perſonarum, creaturarumque omnium poſſibilium dilectione procedit. Nec enim minùs perfecta debet eſſe actio amandi,perquam producitur Spiritus S. quàm actio intelligendi per quam gignitur Filius: quare ſicut iſta (vt ſuperiùs dictum eſt) ad omnia intelligibilia; ſic & illa ad omnia diligibilia extendi debet.

Ex his patet,quo ſenſu intelligi debeat id quod docet S. Thomas quæſt. 37. art. 2. cùm dicit Patrem & Filium diligere ſe Spiritu ſancto: hoc enim verè & propriè dicitur, ſi verbum (diligere) ſumatur notionaliter, provt ſignificat ſpirare amorem: quia ſcilicet Pater & Filius relatiuè notionaliter diligunt ſe inuicem Spiritu ſancto, tanquam dilectionis ſuæ termino & amore producto. Vnde S. Auguſt. lib. 6. de Trinit. cap. 51. dicit quòd Spiritus ſanctus eſt, *Quo genitus à generante diligitur, genitoremque ſuum diligit.* Et eodem ſenſu Syneſius hymno 4. vocat Spiritum ſanctum *Centrum genitoris & geniti.* Et appoſitè S. Bernardus ſerm. 8. in Cant. ſuper illa verba, *Oſculetur me oſculo oris ſui*: *Si*, inquit, *rectè Pater oſculans, Filius oſculatus accipitur; non erit abs re Spiritum ſanctum oſculum intelligi, vt pote qui Patris & Filij imperturbabilis pax ſit, gluten firmum, indiuiduus amor, indiuiſibilis vnitas.*

SECTIO VII.

Qua ratione perſona vna in diuinis mitti dicatur ab alia.

1 CERTUM eſt ex Scripturis ſecundam & tertiam ſanctiſſimæ Trinitatis perſonam mitti. Et quidem de Filio conſtat ex S. Matth. cap. 15. *Non ſum miſſus niſi ad oues quæ*, S. Ioan. 6. *Miſit me viuens Pater. &c.*

De Spiritu ſancto etiam S. Ioan. 14. *Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo*; & c. 15. *Cùm venerit Paracletus; quam ego mittam vobis.*

Cùm igitur hoc verum ſit, quæritur, qua ratione, Perſona diuina dici poſſit mitti ab alia?

Pro cuius reſolutione nihil aptiùs afferri poteſt, quàm id quod docet S. Thom. 1. p. q. 43. vbi diuinæ miſſionis rationem ſic explicat. Duo in ratione miſſionis importantur; quorum vnum eſt, habitudo miſſi ad principium, à quo mittitur; aliud eſt habitudo miſſi ad terminum ad quem mittitur. Eſt autem habitudo miſſi ad eum à quo mittitur, quædam ab ipſo proceſſio; idque vel per imperium, vt cùm ſeruus à Domino mittitur; vel per conſilium, vt ſi Rex dicatur mitti à conſiliarijs ad ineundum bellum; vel ſecundùm originem, vt cùm flos emittitur ab arbore. Habitudo verò miſſi ad terminum ad quem mittitur, eſt, vt aliquo modo ibi eſſe incipiat, ita vt vel abſolutè ibi incipiat eſſe, quia nempè ibi anteà omnino non erat, vel incipiat ibi aliquo modo eſſe quo priùs non erat. Miſſio igitur diuinæ Perſonæ conuenire poteſt, tùm quatenùs importat ex vna parte proceſſionem originis a mittente; tùm ſecundùm quòd importat ex alia parte nouum modum exiſtendi in alio: ſic Filius dicitur à Patre miſſus in mundum, quia ab ipſo Patre procedens, incepit in mundo eſſe per carnem aſſumptam, quamuis anteà in mundo eſſet (iuxta illud S. Ioan. *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt*: non tamen eo modo quo cœpit eſſe per Incarnationem.

2 Ex dictis intelligi poteſt 1. quod licet inter creaturas, miſſio aliquam importet minorationem in eo qui mittitur ab alio; proindeque tollat æqualitatem perfectionis inter vtrunque, in diuinis tamen nullam inferre inæqualitatem inter perſonam miſſam & mittentem: quia fit ſolùm ſecundùm proceſſionem originis, abſque vlla prioritate aut poſterioritate durationis vel cauſæ.

Vbi obiter obſeruandum eſt, quod, cùm nouus ille modus, quo diuina perſona miſſa dicitur eſſe, vbi anteà non erat, ſit ſecundùm aliquam operationem ad extra, qua aliquid efficit in creatura: nihil autem in creatura operetur, niſi per entitatem ſuæ naturæ, quam accepit à perſona mittente, ſeu producente: hinc fit vt habeat ab ipſa, quòd aliquid efficiat in creatura: Et ſic, cùm nouo modo incipit eſſe, vbi non erat, iure ac merito illuc à perſona producente mitti cenſeatur.

Intelligi poteſt 2. quod, quamuis omnes diuinæ perſonæ dici poſſint venire ad nos, iuxta illud S. Ioan. 14. *Ad eum veniemus, & manſionem apud illum faciemus*, non tamen omnes aut quælibet illarum à qualibet mitti poteſt.

Cùm enim (vt ſuprà dictum) miſſio propriè dicta ſit indiſſolubiliter annexa proceſſioni: & eatenus perſona vna mitti ab alia dicatur, quatenus ab ipſa procedit, & per proceſſionem accipit virtu-

tem operandi in aliqua creatura, vt ſit aliquo modo in ea, quo antea non erat: hinc ſequitur perſonam diuinam non poſſe mitti, niſi ab aliqua procedat; nec ab aliqua poſſe mitti, niſi ab illa procedat. Vnde fit vt Filius & Spiritus ſanctus ſolum mitti dicantur: Filius à ſolo Patre à quo ſolo procedit. Spiritus ſanctus verò à Patre & Filio, eo quod ab vtroque procedat.

Quæres ad quoſnam effectus diuina Perſona mitti dicatur?

Reſpondetur primariò & præcipuè mitti ad conferendam gratiam ſanctificantem: vnde quando Scriptura loquitur de miſſione alicuius perſonæ diuinæ, illum effectum communiter adiungit: vt S. Ioan. 5. *Ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Et ad Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Secundariò verò ad omnes alios effectus, quos Perſona diuina miſſa poteſt variè & multipliciter in creatura operari: quo fit vt miſſio diuinæ perſonæ eſſe poſſit vel inuiſibilis: cum fit ſolum per productionem interioris gratiæ ſiue gratum facientis, ſiue gratis datæ: vel viſibilis, cum aliquid prætereà exterius in creatura operatur. Obſeruat autem S. Thomas art. 3. nunquam viſibiliter mitti perſonam diuinam, quin ſimul etiam mittatur inuiſibiliter ſecundùm aliquod gratiæ donum.

SECTIO VIII.

Quomodò de ſanctiſſima Trinitatis Myſterio ſit loquendum.

1 QVOD Apoſtolus chariſſimum ſibi diſcipulum alloquens dixit 2. Tim. 1. *Formam habe ſanorum verborum quæ à me didiciſti:* hoc meritò quiſque attendere debet in omnibus fidei myſterijs; ſed præſertim in ſanctiſſimæ Trinitatis myſterio: quod ſicut alijs ſublimius, ſic etiam difficilius eſt; proindeque, quoties de illo loquendum eſt, cautela maior adhiberi debet, ne defectu aut ſcientiæ aut aduertentiæ verbis minus ſanis aut aptis, tanti myſterij veritas vel ſanctitas obſcuretur. Hac igitur de cauſa breuiter hic aliquot proponemus regulas, communiter ab omnibus Theologis receptas, quibus vtile, imò neceſſarium videtur in hac materia attendere.

Cùm autem in qualibet enunciatione duo termini reperiantur, prædicatum ſcilicet & ſubjectum, videndum eſt, quoties de hoc myſterio loquendum erit, qua ratione vterque propoſitionis terminus rectæ fidei conſonus & conformis eſſe poſſit.

Prima regula. Nomina concreta, ſubſtantiua, eſſentialia; id eſt quibus eſſentia diuina, vel aliquod eius attributum abſolutum ex-

primitur, de tribus perſonis diuinis in numero ſingulari prædicari debent. Ita S. Tho. 1. p. quæſt. 39. art. 3. E.g. nomen iſtud (Deus) quòd eſt ſubſtantiuum eſſentiale, prædicari non debet in plurali de tribus perſonis, ſed tantùm in ſingulari. Vnde S. Athanaſius in Symbolo *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus, non tamen tres Dij, ſed vnus eſt Deus: Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus ſanctus: non tamen tres Domini, ſed vnus eſt Dominus.*

Secunda regula. Nomina adiectiua eſſentialia, quamuis de perſonis diuinis in plurali numero prædicari poſſint, vt docet S. Thomas loco citato; communiter tamen in ſingulari numero enunciari debent, quia ſcilicet ſubſtantiuo potiùs modo quàm adiectiuo ſolent vſurpari. Hinc eſt quòd licet ad rigorem dici poſſit, eſſe in Trinitate tres omnipotentes, tres æternos, tres increatos; tamen (vt in Symbolo S. Athanaſij habetur) conuenit magis dicere quòd Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus *Non ſunt tres omnipotentes: ſed vnus omnipotens: ſicut non tres æterni aut increati, ſed vnus æternus & increatus.*

2 Tertia regula. Nomina concreta, ſubſtantiua, eſſentialia (vt plurimùm) pro ipſa diuina eſſentia, prout per ſe in tribus perſonis ſubſiſtit, aliquandò etiam pro qualibet illarum perſonarum ſupponere poſſunt: Ita S. Thomas. art. 4. E.g. in illa propoſitione Geneſ. 1. *Creauit Deus cælum & terram:* nomen (Deus) ſignificat ipſam diuinam eſſentiam in tribus perſonis ſubſiſtentem. In hac verò Sanctus Ioannes 3. *Miſit Deus filium ſuum in mundum;* idem nomen (Deus) ſumitur pro prima Trinitatis perſona. Rurſus in hac alia Pſal. 109. *Dixit Dominus Domino meo*, nomen (Dominus) tam pro prima, quàm pro ſecunda in diuinis perſona ſumitur.

Quarta regula. Nomina eſſentialia in abſtracto nunquam ſupponere poſſunt pro diuinis perſonis. Ita Sanctus Thomas art. 5. vnde in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. capite *Dominus*, reprobantur iſtæ propoſitiones tanquam falſæ: *eſſentia generat*: &, *eſſentia generatur.* Qua ratione ſimiliter dici non debet quòd diuinitas generet, vel quòd Pater producat diuinitatem: Quamuis enim Deus & diuinitas, ſeu eſſentia diuina, ſint idem ſecundùm rem, ſeu in ſenſu identico: non tamen eſt idem modus ſignificandi vtrobique; ſeu non ſint idem in ſenſu formali. Hoc enim nomen (Deus) cùm ſignificet diuinam eſſentiam vt in habente illam, ex modo ſuæ ſignificationis poteſt ſupponere pro perſona: at verò hoc nomen (Diuinitas, ſeu diuina eſſentia) cùm ſignificet eſſentiam diuinam vt formam abſtractam; ideò ex modo ſuæ ſignificationis pro perſona ſupponere non poteſt. Porrò (vt rectè notat Sanctus Doctor) ad veritatem locutionum conſiderare oportet non ſolùm res ſignificatas, ſed etiam modum ſignificandi.

Obſer-

Obſeruandum eſt tamen aliquando apud SS. Patres nomina quędam eſſentialia in abſtracto poni pro diuinis perſonis, quæ vt idem S. Thom. monet a. 5. ad 1. intelligi & exponi debent per concreta, vel per perſonalia: v.g. cùm apud aliquos legitur in diuinis ſapiētiam de ſapientia procedere, ſenſus eſt Filium, qui eſt ſapientia diuina, procedere à Patre cui hæc diuina perfectio æq; ac Filio competit. Aliquando etiam nomina illa eſſentialia abſtracta perſonis diuinis tribuuntur per quandam appropriationem, quod fusè explicat idem Sanctus Doctor art. 8. Et ſic v.g. communiter potentia tribuitur Patri, ſapientia Filio, bonitas Spiritui ſancto; non quod illa & ſimilia nomina non ſint toti Trinitati communia; ſed id fit ad iuuandam vtcunque intellectus humani imbecillitatem, vt ſic facilius veram & eadem diſtinctionem perſonarum diuinarum, in perfectiſſima, & ſimpliciſſima eſſentiæ diuinæ vnitate concipere poſſit.

TRACTATVS IV.

DE CREATIONE ANGELI ET HOMINIS,

Ac vtriuſque lapſu.

OMNIA quæ in hoc tractatu explicanda ſunt, ad quinque capita reuocabuntur. In quorum 1. agetur de creatione rerum in genere. In 2. de creatione Angelorum, eorumque natura. In 3. de Angelorum bonorum merito & beatitudine, malorumque lapſu atque damnatione. In 4. de creatione hominis, ac innocentiæ, ſeu iuſtitiæ originalis ſtatu. In 5. denique de lapſu hominis, ac peccato originali.

CAPVT I.

De creatione rerum in genere.

SECTIO I.

An Deus ſit cauſa efficiens rerum omnium.

1 SENSVS quæſtionis eſt, an omnes res aliæ ab ipſo Deo, ſint ab illo, tanquam à cauſa efficiente: ſiue per creationem, ſiue alio quocumque modo producantur. Pro cuius reſolutione,

Dicendum 1. Deum eſſe rerum omnium authorem, ſeu primam cauſam efficientem.

Huic veritati, quæ de fide eſt, oppoſiti fuerunt olim varij hæreticorum errores. Alij ſiquidem dixerunt mundum hunc, non à Deo, ſed ab Angelis conditum fuiſſe; vt Simon Magus, Menander, & alij apud S. Irenæum lib. 1. cap. 21. & ſequent. aduerſus hæreſes. Marcion. teſte Tertulliano. lib. 5. aduerſus eundem, opinatus eſt materiam primam ex ſe eſſe: proindeque à Deo non eſſe productam. Manichæi etiam exiſtimauerunt res omnes corporeas, non à Deo bono, ſed à Deo malo eſſe productas, vt refert Sanctus Auguſtinus hæreſi 26. quod etiam aſſeruerunt hæretici Albigenſes, vt teſtatur S. Antoninus 3. part. hiſt. tit. 19. art. 1.

2 Refelluntur hi & ſimiles errores, & veritas noſtræ fidei probatur 1. ex Scriptura. Pſ. 45. *Qui fecit cœlum, terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt.* S. Ioan. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.* Et Rom. 11 *Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.*

Probatur 2. ex omnibus Symbolis, quæ in Concilijs generalibus edita ſunt; in quibus vniuerſalis Eccleſia ſemper profeſſa eſt ſe credere *in vnum Deum factorem cœli & terræ: viſibilium omnium & inuiſibilium.*

Probatur 3. authoritate SS. Patrum, Irenæi, Epiphanij, Auguſtini, & aliorum, qui in libris ſuis ex profeſſo illos errores proſcripſerunt, & fidei noſtræ veritatem propugnauerunt. Vnus inſtar omnium hic nobis erit Auguſtinus, qui lib. 1. de Geneſi ad litteram cap. 14. ſic loquitur: *Catholica Fides praſcribit, & certiſſima ratio docet, nullam naturarum materiam eſſe potuiſſe, niſi ab omnium*

nium rerum, non modo formatarum, ſed etiam formabilium inchoatore Deo. atque creatore.

Probatur 4 hac ratione, quæ eſt S. Doctoris 1 p. q. 44. a. 1. id omne quod habet eſſe per participationem, eſt ab eo quod habet eſſe per eſſentiam; cùm quidquid in aliquo genere & per participationem eſt tale, ſit ab eo, quod in eodem genere eſt maximè & perfectiſſimè tale. Atqui res omnes extrà Deum habent eſſe per participationem, cùm ex ſe ipſis non ſint; ſolus autem Deus per eſſentiam, cùm à ſe ipſo ſit: Ergo omnia quæ ſunt extra Deum ſunt ab ipſo, tanquam à prima cauſa ſui efficiente.

3 Dicendum 2. non tantùm id, quod per creationem productum eſt; ſed etiam id omne, quod per cauſas ſecundas continuè efficitur, immediatè à Deo, tanquam cauſa prima ſimul concurrente, produci.

Probatur 1. ex Scriptura. Pſ. 146. *Qui producit in montibus fœnum & herbam ſeruituti hominum.* Iſa. 26. *Omnia opera noſtra operatus eſt nobis Dominus.* 1. Cor. 12. *Operatur omnia in omnibus.*

Probatur 2. ex S. Aug. Epiſt. 146. ad Conſentium; *Quomodò*, inquit, *negare poterimus Deum etiam nunc operari cuncta, quæ creantur; cum Dominus dicat: Pater meus vſque nunc operatur?* Et paucis interiectis: *Si Deus nunc iſta non format, quomodò legitur; Priuſquam te formarem in vterò, noui te?*

Probatur 3. hac ratione; quia non aliter aliquid immediatè à Deo fieri concipitur, niſi, quia Deus immediatè illud cognoſcit & immediatè vult eſſe: Deus enim, cùm ſit puriſſimus ſpiritus, non aliter agit, quàm intellectu & voluntate. Atqui Deus illo modo ſe habet etiam reſpectu eorum quæ nunc fiunt interuentu cauſarum ſecundarum; cùm illa ſint entia vera & bona; proindeque non minùs immediatè ab ipſo ſolo, cognita, & volita, quàm ea, quæ ab ipſo ſolo in principio mundi creata ſunt.

4 Quæres, per quam actionem Deus effectum aliquem cum cauſa ſecunda immediatè producat? an ſcilicet id faciat per eandem actionem cauſæ ſecundæ, an per diſtinctam.

Reſpondetur, ſi de actione immanente Dei ſermo ſit, effectum illum produci vi & efficacia diuinæ volitionis, prout explicatum eſt in tractatu ſecundo, cùm de voluntate Dei ageretur. Si autem quæſtio ſit de actione Dei tranſeunte, reſpondetur actionem Dei & cauſę ſecundę eandem eſſe realiter, ſed tamen formaliter diſtinctam. Eſt eadem cùm illa realiter; vtraque enim vnum eundemque ſimplicem terminum habet, nempè effectum productum; qui totus eſt à cauſa prima, & totus à cauſa ſecunda. Eſt diſtincta formaliter, quia actio illa creaturæ, vt ſit dependenter à Deo, dicitur concurſus & operatio Dei ſeu cauſæ primæ; vt verò eſt à creatura, dicitur concurſus cauſæ ſecundæ.

S E-

SECTIO III.

An ſolius Dei proprium ſit creare.

1 NOTANDVM eſt verbum creandi duobus modis accipi poſſe: 1. latè, provt ſignificat quamcumque rei effectionem, ſeu productionem: 2. ſtrictè & propriè, provt ſignificat productionem totius alicuius entis ex nihilo, hoc eſt, ex nullo ſubiecto præſuppoſito. Et eo ſenſu intelligi debet quæſtio propoſita, an ſcilicet ſolius Dei proprium ſit, aliquid ex nihilo producere. Pro cuius reſolutione,

Dicendum 1. fide catholica credendum eſſe res omnes, quæ de facto per creationem productæ ſunt, aut producuntur, à ſolo Deo fuiſſe creatas, aut de nouo creari:

Hæc veritas conſtat tùm ex ijs quæ ſectione præcedenti dicta ſunt, tùm ex eo quòd in Scripturis paſſim Deus vocatur, *Creator omnium*, vt Eccl. 24. Mach. 1. dicitur, *Creaſſe omnia.* vt Epheſ. 3. Apoc. 4. *feciſſe cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt.* Pſ. 145. Et habetur expreſsè definitum in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. 1. Idipſum etiam probant ſancti Patres contra hæreticos ſectione præcedenti citatos, S. Baſil. lib. 4. cont. Eunomium, S. Athan. ſer. 3. cont. Arrianos. S. Aug. lib. 3. de Trin. c. 8. & alij.

2 Dicendum 2. ſolius Dei proprium eſſe creare: ita vt nulla creatura id præſtare poſſit, ſaltem, tanquam cauſa principalis.

Probatur 1 ex Scriptura Eccl. 1. *Vnus eſt altiſſimus Creator omnipotens.* Sap. 3. *A magnitudine creaturæ poterit creator cognoſcibiliter videri.* Ierem. 32. *Domine Deus, ecce tu feciſti cœlum & terram in fortitudine tua magna.*

Probatur 2. ex SS. Patribus. S. Athan. ſer. 3. cont. Arrianos, *Adminiſtrare, ſeruorum eſt; creare autem, ſolius Dei Verbi & Sapientiæ.* S. Aug. lib. 9. de Gen. ad litt. *Creare naturam aliquam tam nullus poteſt Angelus, quàm nec ſeipſum.* S. Cyrill. Alexand. lib. 2. in Iulianum, *Ea ſunt naturæ inacceſſa, quæ propria ſunt ſolius ſummæ ſubſtantiæ: quorum vnum eſſe dicimus efficaciter operari poſſe vt creatorem, & producere res, quæ aliquandò non erant.*

Probatur 3. ratione, qua vtitur S. Th. 1. p. q. 45. art. 5. nimirum, quod effectus debet eſſe à cauſa eo magis vniuerſa, quo ipſe eſt magis vniuerſus; Atqui totum eſſe, quod per creationem producitur, eſt effectus vniuerſaliſſimus. Ergo non poteſt eſſe niſi à cauſa vniuerſaliſſima, quæ eſt Deus.

Porrò quamuis hæc ratio, ſicut & aliæ; quæ communiter afferuntur à Theologis ad id probandum, planè non conuincant; iunctæ

ta-

tamen authoritatibus ſuprà citatis ſententiam in aſſertione poſitam ſi non omnino certam: ſaltem probabiliſſimam eſſe oſtendunt.

3 Quæres an ſaltem creatura, tanquam cauſa inſtrumentalis poſſit ſimul cum Deo concurrere ad creationem alicuius rei?

Reſpondetur probabile videri hoc fieri poſſe: tùm quia nulla videtur in hoc reperiri contradictio, tùm quia de facto verba prolata à ſacerdote concurrunt inſtrumentaliter phyſicè (vt ſupponimus ex tractatu de Sacramentis) ad conſecrationem hoſtiæ, ſeu ad productionem corporis Chriſti in hoſtia: quæ quidem productio (vt docet Concilium Tridentinum) fit per conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti: ad quam conuerſionem non minor potentia requiritur, quàm ad creationem.

SECTIO III.

An aliqua creatura fuerint, vel eſſe potuerint ab æterno.

1 QVOD ſpectat ad primam propoſitæ quæſtionis partem; dicendum eſt fide catholica credendum eſſe; neque mundum, neque vllam creaturam fuiſſe ab æterno; ſed omnia, quæ ſunt vel fuerunt, durationis ſuæ initium habuiſſe.

Probatur 1. ex Scriptura. Gen. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram:* quo loco per hanc vocem (*In principio*) S. Amb. in Examer. lib. 1. cap. 3. & S. Aug. lib. 11. de Ciuit. c. 6. & alij communiter intelligunt initium temporis. Prou. 8. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequàm quidquam faceret.* S. Io. 19. *Clarifica me, Pater, claritate quam habui apud temetipſum, priuſquã mundus fieret.*

Probatur 2. authoritate Concilij Lateranenſis ſub Innocentio III. capite 1. vbi expreſsè definitur quòd *Deus ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem & corporalem:*

Porrò quamuis hæc veritas certiſſima ſit nec de illa dubitare vlli Catholico liceat, eſt tamen id verum (quod rectè docuit S. Thomas q. 46. a. 2.) nulla ratione naturali probari poſſe demonſtratiuè, mundum hunc aliquod in tempore habuiſſe initium: noſque id, nonniſi ex diuina reuelatione, cognoſcere certò poſſe.

2 Iam quod ſpectat ad ſecundam quæſtionis propoſitæ partem; an ſcilicet mundus aut aliqua creatura ab æterno produci potuerit: variæ ſunt ſuper hac re Theologorum ſententiæ; Quidam enim abſolutè id negant; Alij è contra omninò affirmant. Alij autem media via incedentes, exiſtimant eas res, quæ habent eſſe permanens & fixũ, potuiſſe ab æterno produci: quæ verò ſucceſſiuum & fluens, non potuiſſe. Alij denique omnium probabiliſſimè opinantur, (quod & S. Doctor innuere videtur ſuprà in reſp. ad 8.) nullam implicare con-

contradictionem, ac proinde potuiſſe ab æterno mundum produci, quoad eas res, cum quarum æterna duratione non ſit coniunctum infinitum actu: quoad alias verò, non potuiſſe: eo quod infinitum actu in creatis rebus eſſe non poſſit, ſecumque inuoluat contradictionem.

CAPVT II.

De creatione Angelorum, eorumque natura.

1 ANGELOS, hoc eſt ſubſtantias quaſdam ſpirituales exiſtre, non modo fides catholica docet, Scripturæque ſacræ innumeris propè in locis teſtantur, vt ex infra dicendis patebit, ſed etiam ipſa ratio naturalis ſuggerit.

Siquidem multi ex Philoſophis Ethnicis, licet nulla fidei luce illuſtrati, ſolo tamen rationis ductu id agnouerunt. Vnde Tertullianus in Apolog. cap. 22. & S. Cyprianus lib. de Idolorum vanitate Socratem & Platonem ita exiſtimaſſe aſſerunt: quod & S. Auguſtinus lib. 2. de Ciuit. c. 14. de Labeone & alijs Ethnicis teſtatur. Certè Ariſtoteles lib. 8. Phyſicorum, & 12. Metaphyſicorum, id ipſum argumentando colligit, præſertim ex orbium cœleſtium motu & agitatione, quorum conuerſionibus ad perpetuitatem concitandis & gubernandis, neceſſarium exiſtimauit aliquas præeſſe ſubſtantias ſpirituales, ab omni corporum concretione abſtractas & ſeparatas.

Vnde mirum eſt Sadducæos, vt Actorum 23. refertur, in illam hæreſim, vel potius cæcitatem incidiſſe, vt neque Angelum, neque Spiritum eſſe crederent; præſertim cum aliunde quinque libros Moyſis tanquam canonicos reciperent; in quibus tamen tam crebra & manifeſta ſit Angelorum mentio.

2 Cæterum nomen Angeli, quod à Græco verbo ἀγγέλλειν (id eſt nunciare) deriuatur, communi vſu tum Eccleſiæ aſſumitur ad ſignificandas creaturas illas ſpirituales, quæ idcircò tali nomine nuncupantur, quod ſæpiſſimè a Deo mitti dicantur ad mandata diuina hominibus ſignificanda, quo etiam ſenſu per quandam ſimilitudinem ſacerdotes, in aliquibus Scripturæ locis, Angeli appellantur, eò quòd illorum officium præſertim ſit, Dei voluntatem hominibus nunciare & declarare.

S E-

SECTIO I.

Quandonam Angeli creati ſint.

1 SVpponimus 1. tanquam fide catholica certiſſimum, Angelos à Deo creatos eſſe.

Id patet ex Scriptura. Pſ. 148. vbi poſtquam Dauid Angelos, aliaſque creaturas ad laudandum Deum inuitauit, de illis omnibus pariter ſubiungit: *Quoniam ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandauit & creata ſunt.* Quo Pſalmiſtæ teſtimonio hanc veritatem probat S. Aug. lib. 11. de Ciuit. cap. 9. & ad Coloſſ. 1. *In ipſo condita ſunt vniuerſa in cœlo & in terra viſibilia & inuiſibilia, ſiue Throni, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Poteſtates: omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt.*

Supponimus 2. eadem fide certum eſſe Angelos non fuiſſe creatos ab æterno.

Cùm nulla omninò creatura fuerit ab æterno, vt ſupra probatum eſt, & probari inſuper poteſt, ex eo quòd SS. Patres, diſputantes contra Arrianos communiter inferebant Filium Dei eſſe verum Deum, quia Scripturæ manifeſtè dicunt illum eſſe ab æterno; ſupponentes proinde tanquàm certum & indubitatum, ſolum Deum eſſe ab æterno.

His præſuppoſitis, quæritur quandonam Angeli creati ſunt?

Reſpondetur tres eſſe diuerſas ſuper hac re ſanctorum Patrum ſententias. Quidam enim ex illis exiſtimauerunt Angelos ante mundum corporeum fuiſſe creatos: vt S. Baſilius hom. 1. & 2. in Hexameron, S. Hieron. in cap. 1. ad Titum, & alij quos refert Sixtus Senenſis lib. 5. Biblioth annotatione 5. Quidam verò opinati ſunt illos fuiſſe creatos poſt mundum corporeum, ſicut anima primi hominis creata fuit poſt eius corpus; ita Gennadius, & Achacius vt refert Lipomanus in catena ſua in Geneſ. Alij denique aſſeruerunt creatos illos fuiſſe ſimul cum mundo corporeo, vt S. Epiphanius hær. 65. S. Aug. lib. 11. de Ciuit. cap. 9. S. Greg. lib. 32. Moral. cap. 10. & communiter omnes Doctores cum Magiſtro ſententiarum in 2. diſt. 2. & nominatim S. Thom. 1. p. q. 61. a. 3. cum quibus proinde,

1 Dicendum Angelos non ab æterno, ſed initio temporis ſimul cum hoc mundo corporeo, primos tamen omnium, & ante quamcumque aliam ipſius mundi corporei partem, fuiſſe creatos.

Prima huius aſſertionis pars, nempè quod Angeli non ab æterno, ſed initio temporis ſimul cum mundo corporeo creati ſint.

Proba-

Probatur 1 ex Scriptura. Gen. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram, &c. & dixit Deus: fiat lux*: vbi cœli ac lucis nomine plerique Patres Angelos intelligunt, vt S. Auguſtinus ſuprà, S. Gregor. lib. 27. Moral. cap. 25. Exod. 20. vbi dicitur, quòd *Deus ſex diebus fecit cœlum & terram & omnia, quæ in eis ſunt*: Angeli autem in cœlis, ſunt; proindeque inter omnia illa, quæ ſex diebus facta eſſe dicuntur, ſunt numerandi.

Probatur 2. ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. 1. vbi dicitur quod *Deus ſimul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritalem & corporalem, Angelicam & mundanam*.

Secunda aſſertionis pars, ſcilicet quod primi omnium & ante quamcumque aliam ipſius mundi corporei partem creati ſunt, conſtat tùm ex eo quod, vt ſupra dictum eſt, creatio Angelorum ſecundùm mentem ſanctorum Patrum intelligatur in Scriptura per creationem cœli, quod quidem vt dicitur cap. 1. Geneſ. in principio & ante aliam quamcunque mundi corporei partem creatum fuit; tum etiam ex eo quod id Angelicæ naturæ dignitati maximè congruit, vt ſit primum Dei opus ad extra, & *Initium viarum Domini*, vt loquitur Propheta de primo Angelorum loquens.

3 Quæres, an hæc ſententia, aſſerens Angelos ſimul cum mundo corporeo fuiſſe creatos, ſit de fide?

Quidam Doctores ita eſſe exiſtimant, vt Gregorius Ariminenſis in 2. ſent. diſt. 2. & Ferrarienſis lib. 2. contra gentes cap. 83. Melius tamen alij negant cum S. Thom. ſup. art. 2. & in opuſculo, in quo Later. Conc. decretum ſupra relatum exponit; dicitque decretum hoc à Conc. Later. editum fuiſſe contra Origenis errorem: qui ſpiritales creaturas ſolas, ac per ſe ab initio conditas aſſerebat; corporeas verò ex accidenti; vt in ijs, velut in quodam carcere, ſpirituum quorumdam delicta plecterentur. Contra quem errorem Concilium definiuit vtramque ſimul, hoc eſt, pari conſilio, conditam fuiſſe creaturam, ſpiritalem & corporalem, idque ab initio temporis, hoc eſt, non ab omni æternitate.

SECTIO II.

Vbinam creati ſunt Angeli.

1 CVM ſuper hac quæſtione nihil apertè dicat Scritura, nec Eccleſia quidquam definierit, ideò variæ ſunt Theologorum ſententiæ. Quidam enim Angelos in hoc aere creatos fuiſſe exiſtimant. Alij in inferioribus cœlis.

Omnium probabiliſſimè S. Thomas ſuprà art. 4. exiſtimat in cœlo empyreo

empyreo fuiſſe creatos: idque etiam docuit Strabo in cap.1. Gen. Beda homil.2. Hexameron, & ferè omnes reliqui ſcriptores poſt Bedam.

Probatur 1. ex eo quòd Iſa. 14. dicitur, *Cecidiſſe de cœlo Luciferū*. Et Apoc. 12. *Factum eſt prælium magnum in cœlo: Michael & Angeli eius præliabantur cum dracone: & draco pugnabat, & Angeli eius; & non præualuerunt; neque locus inuentus eſt eorum ampliùs in cœlo*.

Probatur 2. ex eo quod (vt dicit ſanctus Th. vt ſuprà) Angeli creati ſunt, vt præſideant creaturæ corporeæ: vnde conueniens fuit vt in ſupremo loco corporali producerentur; cuiuſmodi eſt illud cœlum empyreum.

Quæres, an de fide ſit cœlum illud, quod communiter vocatur empyreum, exiſtere?

2 Reſpondetur quod, quamuis ſuper hac re nihil expreſsè ab Eccleſia definitum ſit; quia tamen plurimi ex S. Patribus tale cœlum exiſtere docuerunt, vt S. Baſil. hom. 2. in Examer. S. Ioan. Damaſ. lib. 2. de fide c. 6. S. Amb. lib. 2. Examer. c. 3. Beda ſup. S. Th. 1. p. q. 66. a. 3 & communiter omnes hodie Doctores docent; ideò valdè temerarium videretur illius cœli empyrei exiſtentiam negare.

SECTIO III.

An Angeli ſint omninò incorporei.

1 SENSVS quæſtionis eſt, an Angeli ſint ſubſtantiæ purè ac ſimpliciter ſpirituales? an verò in ſua entitate aliquid corporeum, & materiale habeant.

S. Aug. lib. 8. de Ciuit. cap. 14. & 15. refert Platonicos exiſtimaſſe Angelos corpora valde ſubtilia naturaliter ſibi vnita habere: ita etiam ſenſit Origenes lib. 2. Periarchon cap. 2. & 3. Tertullianus lib. de carne Chriſti; & aliqui alij veteres; qui quidem Angelis corpora non eiuſdem rationis attribuuntnam alijs cœleſtia, alijs ignea, alijs aerea ineſſe cenſebant.

Vera nihilominus ſententia, quæ vt certa tenenda eſt, aſſerit Angelos eſſe omninò corporis expertes; atque adeò eſſe creaturas purè & ſimpliciter ſpirituales ac intellectuales. Ita ſanctus Thomas q. 5. art. 1.

Probatur 1. ex ijs Scripturæ locis, in quibus Angeli vocantur Spiritus. Ad Hebr. 1. *Omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus*. Apoc. 1. fit mentio ſeptem ſpirituum, qui in conſpectu throni Dei, ſunt: & in Euangelijs communiter dæmones vocantur immundi ſpiritus. Nomen autem ſpiritus in Scripturis, cum ſubſtantiæ intelligenti

Probatur 1 ex Scriptura. Gen. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram, &c. & dixit Deus: fiat lux*: vbi cœli ac lucis nomine plerique Patres Angelos intelligunt, vt S. Auguſtinus ſuprà, S. Gregor. lib. 27. Moral. cap. 25. Exod. 20. vbi dicitur, quòd *Deus ſex diebus fecit cœlum & terram & omnia, quæ in eis ſunt*: Angeli autem in cœlis, ſunt; proindeque inter omnia illa, quæ ſex diebus facta eſſe dicuntur, ſunt numerandi.

Probatur 2. ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. 1. vbi dicitur quod *Deus ſimul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritalem & corporalem, Angelicam & mundanam*.

Secunda aſſertionis pars, ſcilicet quod primi omnium & ante quamcumque aliam ipſius mundi corporei partem creati ſunt, conſtat tùm ex eo quod, vt ſupra dictum eſt, creatio Angelorum ſecundùm mentem ſanctorum Patrum intelligatur in Scriptura per creationem cœli, quod quidem vt dicitur cap. 1. Geneſ. in principio & ante aliam quamcunque mundi corporei partem creatum fuit; tum etiam ex eo quod id Angelicæ naturæ dignitati maximè congruit, vt ſit primum Dei opus ad extra, & *Initium viarum Domini*, vt loquitur Propheta de primo Angelorum loquens.

3 Quæres, an hæc ſententia, aſſerens Angelos ſimul cum mundo corporeo fuiſſe creatos, ſit de fide?

Quidam Doctores ita eſſe exiſtimant, vt Gregorius Ariminenſis in 2. ſent. diſt. 2. & Ferrarienſis lib. 2. contra gentes cap 83. Melius tamen alij negant cum S. Thom. ſup. art. 2. 2 & in opuſculo, in quo Later. Conc. decretum ſupra relatum exponit; dicitque decretum hoc à Conc. Later. editum fuiſſe contra Origenis errorem: qui ſpiritales creaturas ſolas, ac per ſe ab initio conditas aſſerebat; corporeas verò ex accidenti; vt in ijs, velut in quodam carcere, ſpirituum quorumdam delicta plecterentur. Contra quem errorem Concilium definiuit vtramque ſimul, hoc eſt, pari conſilio, conditam fuiſſe creaturam, ſpiritalem & corporalem, idque ab initio temporis, hoc eſt, non ab omni æternitate.

SECTIO II.

Vbinam creati ſunt Angeli.

1 CVM ſuper hac quæſtione nihil apertè dicat Scritura, nec Eccleſia quidquam definierit, ideò variæ ſunt Theologorum ſententiæ. Quidam enim Angelos in hoc aere creatos fuiſſe exiſtimant. Alij in inferioribus cœlis.

Omnium probabiliſſimè S. Thomas ſuprà art. 4. exiſtimat in cœlo empyreo

empyreo fuiſſe creatos: idque etiam docuit Strabo in cap.1. Gen. Beda homil.2. Hexameron, & ferè omnes reliqui ſcriptores poſt Bedam.

Probatur 1.ex eo quod Iſa. 14.dicitur,*Cecidiſſe de cœlo Luciferũ.* Et Apoc. 12. *Factum eſt prælium magnum in cœlo: Michael & Angeli eius præliabantur cum dracone: & draco pugnabat, & Angeli eius; & non praualuerunt; neque locus inuentus eſt eorum amplius in cœlo.*

Probatur 2.ex eo quod (vt dicit ſanctus Th.vt ſuprà) Angeli creati ſunt, vt præſideant creaturæ corporeæ: vnde conueniens fuit vt in ſupremo loco corporali producerentur; cuiuſmodi eſt illud cœlum empyreum.

Quæres, an de fide ſit cœlum illud, quod communiter vocatur empyreum, exiſtere?

2 Reſpondetur quod, quamuis ſuper hac re nihil expreſsè ab Eccleſia definitum ſit; quia tamen plurimi ex S. Patribus tale cœlum exiſtere docuerunt, vt S.Baſil.hom.2.in Examer.S.Ioan.Damaſc. lib.2.de fide c.6.S.Amb.lib.2.Examer.c.3.Beda ſup. S.Th.1.p.q.66. a.3 & communiter omnes hodie Doctores docent; ideò valdè temerarium videretur illius cœli empyrei exiſtentiam negare.

SECTIO III.

An Angeli ſint omninò incorporei.

1 SENSVS quæſtionis eſt, an Angeli ſint ſubſtantiæ purè ac ſimpliciter ſpirituales? an verò in ſua entitate aliquid corporeum, & materiale habeant.

S.Aug.lib.8. de Ciuit.cap.14. & 15. refert Platonicos exiſtimaſſe Angelos corpora valde ſubtilia naturaliter ſibi vnita habere: ita etiam ſenſit Origenes lib.2.Periarchon cap.2.& 3.Tertullianus lib.de carne Chriſti;& aliqui alij veteres; qui quidem Angelis corpora non eiuſdem rationis attribuunt: nam alijs cœleſtia, alijs ignea, alijs aerea ineſſe cenſebant.

Vera nihilominus ſententia, quæ vt certa tenenda eſt, aſſerit Angelos eſſe omninò corporis expertes; atque adeò eſſe creaturas purè & ſimpliciter ſpirituales ac intellectuales. Ita ſanctus Thomas q. 5. art. 1.

Probatur 1.ex ijs Scripturæ locis, in quibus Angeli vocantur Spiritus. Ad Hebr.1.*Omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus.* Apoc.1. fit mentio ſeptem ſpirituum, qui in conſpectu throni Dei, ſunt: & in Euangelijs communiter dæmones vocantur immundi ſpiritus. Nomen autem ſpiritus in Scripturis, cum ſubſtantiæ intelligenti

tribuitur, nonniſi rem incorpoream ſignificare ſolet: quo ſenſu S. Ioan.cap.3.dicitur, *Spiritus eſt Deus.*

Probatur 2. ex verbis Concilij Lateranenſis ſuprà citatis; quibus Angeli ſignificantur nomine creaturæ ſpiritualis, prout opponitur corporali.

Probatur 3. ex SS. Patribus. S. Ignatius in ep. ad Trallianos, Angelos vocat *Incorporeas naturas.* S. Greg. Nyſſenus lib. 12. contra Eunomiū, *Incorporeas creaturas.* S. Greg. Naz. orat 24. *Intelligibiles & incorporeas ſubſtantias.* S. Dionyſ. de diu. nom. cap. 4. *Incorporales, intelligibiles, ſpiritualeſque ſubſtantias, omni materia carentes.* S. Io. Damaſc. lib. 2. de Fide cap. 3. *Subſtantias intelligentes, materia atque corporis expertes.*

Probatur 4. hac ratione, qua vtitur S. Thom. ſupra: quia ſcilicet vniuerſi perfectio requirit vt, in omni genere, in quo eſt aliquid imperfectum, ſit aliquid perfectum: Ergo in genere rerum purè ſpiritualium, cum animæ noſtræ ſint aliquo modo imperfectæ, vtpote ſubſtantiæ incompletæ, quę corporibus vniri naturaliter exigunt, conuenit eſſe alias ſubſtantias completas purè ſpirituales, & a corporibus omnino independentes.

2 Obijcies in ſeptima Synodo generali actione 5. recitari & approbari librum Ioannis Epiſcopi Theſſalonicenſis, in quo dicitur Angelos eſſe tenui, & aereo corpore præditos.

Reſpondetur hoc Concilium congregatum fuiſſe contra Iconoclaſtas, in eoque quæſitum fuiſſe, non de natura Angelorum, an corporei eſſent, vel purè ſpiritales; ſed an imagines Sanctorum & Angelorum rectè in Eccleſia pingi poſſent. Vnde ibi approbatum eſt à Patribus Concilij, non quod ſcripſerat ille Ioannes de corporibus Angelorum, ſed quod ex eius verbis intulerat Taraſius Patriarcha, ſcilicet Angelos ſpecie corporali pingi poſſe, cum in tali ſpecie aliquando apparuiſſent.

Porrò, quamuis (vt docet S. Th. q. 16. de malo ar. 1.) hæc ſententia, quæ affirmat Angelos eſſe ſubſtantias purè ſpirituales: talis non ſit, vt oppoſita cenſeri debeat hæretica (etenim Lateranenſe Concilium ſupra citatum hanc quæſtionem ex inſtituto non definiuit, vt obſeruat S. Doctor; ſed hoc vnum intendit, vt vtriuſque naturæ eadem ratione conditorem Deum contra Origeniſtas & Manichæos aſſereret) eſt tamen adeò certa, vt contrarium aſſerere, valdè temerarium, vtpotè communi omnium Doctorum ſenſui repugnans.

3 Quæres quid de apparitionibus Angelorum in forma corporea exiſtimandum ſit?

Aliqui dixerunt (vt refert S. Thom. quæſt. 51. a. 2.) omnes illas Angelorum apparitiones, quæ in Scriptura memorantur, contigiſſe tantùm ſecundùm imaginationem; nec Angelos vnquam corpora

vlla, in quibus apparerent, aſſumpſiſſe. Nihilominùs pro certo tenendum eſt id quod docet S. Auguſtinus lib. 15. de Ciuit. cap. 23. *Apparuiſſe hominibus Angelos in talibus corporibus, quæ non ſolum videri, verum etiam tangi poſſent*: ibidemq; dicit id in Scripturis tàm apertè aſſeri, totque experientijs eſſe confirmatum, *vt hoc negare, impudentiæ eſſe videatur*.

Cùm igitur hoc certum ſit dubium eſt, qua ratione Angeli corpora illa aſſumant, in quibus ſe præbeant viſibiles.

Tertullianus libro de carne Chriſti, ſentire videtur ita corpus ab Angelo aſſumi, ſicut aſſumptum fuit corpus humanum à Verbo diuino. Sed illius opinio communiter ab omnibus, tanquam abſurda, reijcitur; ſicut & alia quæ eſt Aureoli, aſſerentis Angelum vniri corpori, ſicut formam materiæ. Impoſſibile eſt enim, vt id, quod eſt ex ſe ſubſtantia completa, alterius ſubſtantiæ compoſitionem per modum formæ ingrediatur.

4 Vera igitur ſententia, quæ eſt communis Theologorum, aſſerit Angelum corpus aſſumere, ipſique vniri, tanquam motorem mobili. Quod quidem corpus non ex nihilo (vt falsò dixit Tertullianus ſupra) ſed ex aere circumſtante format, illum ita condenſando & temperando, quantùm neceſſe eſt ad ſuſcipiendos varios colores & figuras, ſicut patet in nubibus, ita vt aptus ſit ad corporis aſſumendi formationem.

Ex dictis colliges Angelos, cùm ſint ſubſtantiæ purè ſpirituales, eſſe etiam natura ſua incorruptibiles & immortales: ita vt, quamuis poſſint à Deo annihilari, cum eorum exiſtentia à Deo eam liberè conſeruante pendeat; nulla tamen vi vllius agentis creati poſſint deſtrui & annihilari: cùm nulla materia conſtent, quæ eſt principium corruptionis, nihilque in ſe habeant, aut extra ſe recipere poſſint, quod eorum ſubſtantiam pure ſpiritalem corrumpere, aut deſtruere poſſit. Huic veritati quæ in ſexta Synodo generali actione 11. in Epiſtola Sophronij approbata eſt, ſubſcribunt communiter SS. Patres: S. Dionyſ. de diu. nom. S. Auguſt. lib. 12. de Ciuit. cap. 15. S. Damaſc. lib. 2. de fide cap. 3. Et certè ſi Concilium Lateranenſe ſub Leone X. ſeſſ. 8. definiuit animam rationalem, quia purè ſpiritualis eſt, eſſe immortalem & incorruptibilem, à fortiori idem de Angelis ſentiendum eſt, cùm ſint naturæ & conditionis longè perfectioris, quàm ſit ipſa anima rationalis.

SECTIO IV.

Quid de loco & motu Angelorum ſentiendum ſit.

1 DICENDVM 1. Certum eſſe Angelos verè eſſe in loco, quocumque modo in illo ſint,& ita eſſe in vno loco,vt ſimul alibi,& multò minus vbiq;eſſe dici non poſſint.Ita S.Th.q.52.

Et id conſtat ex varijs Scripturæ locis, in quibus Angeli dicuntur eſſe aut non eſſe alicubi. S.Matth.18. *Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris mei.* Apoc.12.de Angelis malis dicitur,quòd *locus eorum non eſt ampliùs inuentus in cœlo*.

Obſeruandum eſt autem cum ſancto Doctore q.5.art.1. Angelos non eſſe in loco ad inſtar corporum, quorū partes partibus loci correſpondent, quod Theologi vocant eſſe in loco circumſcriptiuè: ſed alio modo, qui ſubſtantiarum ſpiritualium proprius eſt, quem vocant eſſe in loco definitiuè,hoc eſt eſſe totum in toto loco & totum in qualibet parte loci; ita tamen vt ſimul extra illum locum naturaliter eſſe non poſſint. Quod rectè explicat S. Damaſcenus lib.de fide orthodoxa cap.3. his verbis: *Cùm autem intelligentiæ ſint etiam intelligibiliter in locis, ſunt non corporum more circumſcripti; non enim vt corpora ſecundùm naturam figurantur, neq;triplici dimenſione conſtant: ſed eò ipſo in loco, quòd intelligibiliter præſentes ſint & agant, vbicumq; eſſe iuſſi ſunt, nec poſſint eodem momento ſimul hic eſſe & illic.*

Quòd ſi quæras quænam ſit formalis ratio, per quam Angelus in loco aliquo eſſe dicatur.

Variæ ſunt ſuper hac re Theologorum ſententiæ. Quidam enim exiſtimant Angelum eſſe in loco formaliter per ſuam ſubſtantiam. Alij per operationem aliquam, ſiue tranſeuntem, ſiue immanentem. Alij per ſuæ virtutis applicationem. Alij per modum aliquem realem ipſis intrinſecum. Alij denique omnibus his modis ſimul iunctis. Nos in re incerta & obſcura, quæ magis ad Philoſophiam, quàm ad Theologiam pertinere videtur liberum vnicuique relinquimus illud quod magis arridebit amplecti.

Dicendum 2. certum eſſe Angelos moueri localiter. Ita S. Thom. q.13.art.1.

Et conſtat ex innumeris Scripturæ locis, quæ hic recenſere ſuperfluum eſt, in quibus Angeli ſiue boni, ſiue mali dicuntur ire, venire, ingredi, exire, diſcedere, aſcendere, deſcendere, &c.& S.Ambr.lib.1. de Spiritu ſancto c.10.dicit Spiritum ſanctum, non moueri; quia eſt infinitus, & vbique exiſtit: at verò alios Spiritus moueri à loco in locum: quia ſunt finiti & creati.

Cùm

Cùm autem dicitur Angelum poſſe moueri, illud intelligendum eſt (vt docet S.Th.art.2.) tam de motu continuo; quo ſcilicet locus aliquis deſeritur, & alius acquiritur ſucceſſiuè & per partes; quomodo mouerunt ſe Angeli illi, qui in corporibus aſſumptis ſimul cum hominibus quibus apparebant, ambulaſſe in Scripturis referuntur: quàm de motu diſcreto; quo ſcilicet de loco in locum mouere ſe poteſt, non tranſeundo per medium. Quamuis enim corpus eo modo moueri non poſſit; quia commenſuratur & continetur ſub loco, vnde (vt ait S. Doctor) oportet, quòd ſequatur leges loci in ſuo motu: cùm tamen Angeli ſubſtantia non ſit ſubdita loco, vt contenta: ſed ſuperior eo ſit, vt aliquo modo continens; inde fit vt in poteſtate eius ſit, ſe loco applicare prout vult, vel per medium, vel ſine medio.

3 Quæres an Angelus poſſit mouere localiter res alias à ſe? Reſpondetur poſſe.

Et quidem quòd poſſit mouere res corporales, conſtat ex pluribus Scripturæ locis Exod.14. dicitur Angelum, qui in columna nubis per mare rubrum Iſraelitas educebat, tonitrua & fulmina in Pharaonis exercitum eiaculaſſe, & rotas curruum ſubuertiſſe Daniel.14. dicitur, Angelum tranſtuliſſe Prophetam Habacuc è Iudæa in Babylonem; & Act.8. Angelum tranſtuliſſe S. Philippum è Gaza in Azotum. Ratio etiam id euincit: quia omnis creatura, cognitione intellectuali, vel ſenſibili prædita, quæ ſeipſam loco moueri poteſt, poteſt etiam alia ſuæ potentiæ motrici inferiora mouere, vt patet inductione: Ergo à pari, Angeli cùm ſe mouere poſſint, poterunt etiam corpora potentia ſua inferiora mouere.

Quod autem ſpectat ad alias ſubſtantias ſpirituales, dicendum eſt ſimiliter illas facultati motrici Angelorum ſubeſſe, ſi eorum naturali perfectioni ſubſint, hoc eſt, vnum Angelum poſſe alium inferiorem mouere, ſicut & animam à corpore ſeparatam. Et quidem de anima ſeparata conſtat ex c.16. S.Luc. vbi dicitur animam Lazari in ſinum Abrahæ eſſe delatam ab Angelis. De Angelo verò patet ex eo quod dicitur Tob.c.8. Raphaelem Angelum apprehendiſſe dæmonem Aſmodæum, illumque alligaſſe in deſerto ſuperioris Ægypti.

SECTIO V.

Quomodo Angeli cognoſcunt ſe, vel alias res?

1 CVM Angeli ſint creaturæ ſpirituales, & intellectuales, certum eſt illos eſſe etiam maximè capaces intellectionis & cognitionis. Sed difficultas eſt qualis ſit illorum cognitio, & ad quæ objecta ſe extendat. Pro cuius reſolutione,

Dicendum 1. Angelos præditos eſſe facultate intellectiua ab eorum ſubſtantia realiter diſtincta. Ita S.Th.q.45.

Probatur 1. ex S. Dionyſio lib. de cæleſti Hierarchia cap. 11. vbi tria in Angelis diſtinguit, ſcilicet *ſubſtantiam*, *virtutem*, *&* *operationem*: quod & ſanctus Anſelmus docet lib. de Conceptu Virginis.

Probatur 2. ex eo quòd principia, quæ ad diuerſos actus proprios per ſe ordinantur, reipſa inter ſe diſtinguuntur. Sed eſſentia & potentia alicuius creaturæ ad diuerſos actus per ſe ordinantur: nempè eſſentia ad exiſtentiam, potentia verò ad operationem; qui ſunt planè diuerſi actus. Vnde ſequitur in Angelis, potentiam cognoſcitiuam eſſe ab eorum eſſentia ſeu ſubſtantia, realiter diſtinctam.

Dicendum 2. Angelum ſeipſum cognoſcere per ſuammet ipſius ſubſtantiam, non verò per vllam aliam ſpeciem intelligibilem. Ita S. Thom. quæſt. 56 art. 1.

Probatur 1. ex S. Aug. lib 9. de Trin. cap. 9. vbi dicit *mentem, dùm ſeipſam intelligit, ipſam, ſolam eſſe parentem notitiæ ſuæ.*

Probatur 2. ex eo quòd ſubſtantia Angeli ſit eius intellectui maximè proportionata, & intimè vnita; vnde fruſtrà tali cognitioni adhiberetur ſpecies; quæ ideò tantùm in intellectione requiritur, quia obiectum quod intelligitur, diſtans eſt, vel facultati intellectiuæ minimè proportionatum, vt ſic illam eius diſtantiam aut diſproportionem ſuppleat.

Dicendum 3. Angelos ad res alias à ſe naturaliter intelligendas aliquibus ſpeciebus impreſſis indigere.

Probatur 1 ex S. Dion. cap. 4. & 7. de diu. nom. vbi ait Angelos plenos eſſe formis & rationibus omnium rerum. Et ex S. Aug. lib. 2. de Gen. ad litteram cap. 8. vbi dicit res corporeas priùs creatas fuiſſe in cognitione Angelorum, quàm in ſeipſis.

Hæc autem productio rerum in mente angelica aliter intelligi non poteſt, quàm ſecundùm eſſe obiectiuum per quaſdam ſimilitudines & ſpecies ipſis Angelis ab initio inditas & concreatas. Vnde & ipſe dicit res illas productas fuiſſe in intellectu Angelico, ſecundùm creatam in illis ſapientiam.

Probatur 2. hac ratione; quia neceſſe eſt obiectum cognoſcibile ita eſſe vnitum & coniunctum potentiæ cognoſcitiuæ, vt illam determinet ad ſui cognitionem. Atqui res omnes, quas cognoſcit Angelus, non ſunt ita coniunctæ & vnitæ cum eius intellectu, vt patet ex eo quòd res cognouit, antequam exiſterent, ſicut ex S. Auguſt. ſuprà diximus. Ergo neceſſe eſt vt per aliquam ſui ſimilitudinem intellectui angelico vniantur. Illa autem ſimilitudo non eſt ipſa Angeli ſubſtantia; neque enim tam perfecta eſt, vt poſſit rerum omnium rationes exprimere, quod ſoli eſſentiæ diuinæ compe-

tit, neceſſe eſt igitur vt illa ſimilitudo in intellectu angelico, ſit ſpecies aliqua intelligibilis.

3 Dicendum 4. ſpecies illas, per quas Angeli cognoſcunt, non eſſe ab obiectis acceptas, ſed ipſis à primo inſtanti ſuæ creationis fuiſſe à Deo infuſas & inditas. Ita S.Th.q.55.art.2.

Probatur 1. ex cap.28 Ezech. vbi primus Angelus dicitur fuiſſe plenus ſapientia, & perfectus ab illo die, in quo conditus eſt; (ea enim quæ dicuntur in illo capite, intelligenda eſſe potiùs de Lucifero, quàm de Rege Tyri cenſent S. Auguſt. lib.11. de Gen. ad lit cap. 24. S.Greg. lib.32. Moral. cap.24. & 25. S.Ambroſius lib.1. de Paradiſo cap 2. ſanctus Epiphanius hæreſ.64. & plures alij ex SS. Patribus (ille autem Angelus non fuiſſet plenus ſapientia & perfectus à primo die, quo creatus eſt, ſi ſpecies intelligibiles rerum omnium, quarum cognitio illi competebat, a Deo non accepiſſet; ſed paulatim ac diuerſo tempore eas acquirere, & à rebus ipſis haurire opus habuiſſet.

Probatur 2 ex loco ſupra citato S.Aug. ſcilicet 2. de Gen, ad lit. c. 8. & 30. vbi ex ijs quæ ſupra retulimus, ſequitur ſecundùm mentem illius ſancti Patris, Angelos cognouiſſe res, antequàm exiſterent; ac proinde illarum ſpecies; non ab ipſis rebus, ſed à Deo, in inſtanti ſuæ creationis accepiſſe.

Probatur 3. hac ratione: ſi Angeli paulatim & ſucceſſiuè ſpecies acquirerent, eaſque peterent ab obiectis, oporteret id fieri alterutro ex his duobus modis; ſcilicet vel quod ipſi Angeli eas producerent ad præſentiam obiectorum; vel quòd obiecta ipſa eas producerent, & tranſmitterent ad potentiam Angelorum intellectiuam: at neutrum dici poteſt.

Non primum, quia antequàm Angeli ſpecies illas in intellectu habeant, nullo modo res externas cognoſcunt, nec proinde poſſunt earum ſimilitudines in ſe producere. Nec ſufficit externa earum rerum præſentia; quia hæc quoque præſentia ab ipſis cognoſci non poteſt, niſi ſuppoſitis ſpeciebus, quæ determinent eorum intellectum ad cognoſcendum. Non enim hìc par eſt ratio intellectus Angelici, ac humani: ſiquidem homo cùm ſit corporeus, facile moueri & affici poteſt ab obiectis corporeis præſentibus; quæ cum ſpecies ſuas diffundant per medium, vſque ad ſenſus externos, mediantibus illis ſenſibus externis, nec non internis, mouent intellectum humanum, vt à phantaſmatibus corporeis abſtrahat ſpecies intellectuales: in Angelis autem cùm ſint omninò incorporei, nihil tale fieri poteſt.

Neque etiam ſecundum dici poteſt: quia obiecta illa externa, ſint (vt plurimùm) materialia & corporea, quæ nonniſi ſpecies materiales & ſenſibiles producere poſſunt; quæ proinde ad vſum intel-

lectus Angelici ineptæ ſunt, illique inhærere nullatenùs valent. Ergo cùm Angeli ſpecies illas neque producere, neq; ab objectis producere poſſint; ſequitur vt illas à Deo in iſtanti ſuæ creationis acceperint.

Porrò ad pleniorem Angelicæ cognitionis intelligentiam tres hìc quæſtiunculæ breuiter explicandæ ſuperſunt.

4 Prima eſt an omnes Angeli per ſpecies æquè perfectas intelligant.

Reſpondetur Angelos, quò ſunt in natura perfectiores, eò etiam perfectiores, ac proinde vniuerſaliores à Deo ſpecies accepiſſe. Ita S. Tho. ſup. art. 3. quod probat tùm ex S. Dionyſ. lib. de cœleſti Hier. cap. 12. vbi ait ſuperiores Angelos habere ſcientiam magis vniuerſalem & lib. de diu. nom. cap. 13. vbi dicit, omnia magis vnita & collecta eſſe in ſuperioribus Angelis, provt magis ad Deum accedunt. Tùm etiam ex eo quod Angeli, quò perfectiores ſunt in natura intellectuali, eò ſunt ſimiliores Deo in intelligendo: Sed Deus in intelligendo maximè excellit, in eo quod per vnicam & ſimpliciſſimam eſſentiam ſuam res omnes intelligit. Vnde ſequitur, quò Angeli perfectiores ſunt, illos per ſpecies eò ſimpliciores & vniuerſaliores, adeoque perfectiores intelligere.

Secunda eſt, an Angelus ſemper actu cognoſcat ea quæ cognoſcit.

Reſpondetur duas eſſe cognitiones, reſpectu quarum intellectus Angelicus eſt ſemper in actu ſecundo.

5 Vna eſt cognitio ſupernaturalis beatifica. Nam Angeli beati ſemper ſunt actualiter beati, ac proinde ſemper eſt in illis actualiter beatitudo, quæ in actuali intuitiua cognitione diuinæ eſſentiæ conſiſtit.

Altera eſt cognitio naturalis, quà Angelus ſeipſum cognoſcit. Sicut enim corpora viuentia ſemper ſunt in actu ſecundo, reſpectu cuiuſdam operationis vitalis puta reſpectu nutritionis: ita conſentaneum eſt exiſtimare ſubſtantias purè ſpirituales quales ſunt Angeli, ſemper actu habere aliquam operationem vitalem naturaliter. Nulla autem videtur eſſe ipſis magis naturalis, quam ſui ipſius cognitio.

Quod autem ſpectat ad aliarum rerum cognitiones, rectè docet S. Thomas quæſt. 58. art. 1. intellectum angelicum non ſemper in actu ſecundo eſſe; cùm nulla ratio id euincat. Et prætereà cùm ſpecies intelligibiles rerum aliarum in ipſis ſint per modum habituum, credibile eſt eos poſſe illis vti, aut non vti, provt ipſis libitum fuerit.

Tertia, an Angeli aliquo diſcurſu vtantur.

Reſpondetur cùm S. Doctore, Angelos nullo vti diſcurſu in ſua cognitione, ſed ſimplici intuitu & apprehenſione ea omnia cognoſcere, ad quæ vis eorum cognoſcitiua pertingere poteſt: ſicque eodem ſimplici actu concluſiones in principijs, & effectus in cauſis inſpicere.

Cuius

Cuius rei ratio eſt: quia ex imperfectione intellectus humani prouenit quod diſcurſus ipſi neceſſarius ſit, vt in alicuius veritatis notitiam deueniat: cùm autem intellectus Angelicus humano longè præſtet, ac ſuperemineat, vtpotè multò perfectiori lumine naturali præditus: hinc fit, vt ipſi modus intelligendi nobilior debeatur: eſt autem eò nobilior, quò ſimplicior; quia ſic propiùs ad diuinum intelligendi modum accedit: vnde ſequitur conueniens eſſe, vt Angeli vno ſimplici intuitu, non verò per diſcurſum, id eſt ſucceſſiuè & quaſi per partes ea omnia cognoſcant, quæ intrà limites potentiæ eorum cognoſcitiuæ continentur.

SECTIO VI.

Quaſnam res Angeli cognoſcant?

1 QVATVOR hìc certa ſunt. Certum eſt 1. Angelum naturaliter cognoſcere ſeipſum, idque per ſuammet ſubſtantiam, intellectui ſuo ad inſtar ſpeciei impreſſæ vnitam, vt ex ſuprà dictis patet.

Certum eſt 2. Angelum beatum clarè intuitiuè cognoſcere Deum per lumen gloriæ, & ſecluſo ſtatu beatitudinis eumdem naturaliter cognoſcere poſſe, non quidem clarè & intuitiuè, ſed eo modo quo naturaliter cauſa in effectu, & prototypus in imagine cognoſcitur.

Angelus enim eo ipſo quod perfectè ſubſtantiam ſuam agnoſcit; eam vt effectum & vt imaginem Dei cognoſcit; proindeque per illam ſic cognitam Deum ipſum cognoſcere poteſt.

Certum eſt 3. Angelos ſe inuicem naturaliter cognoſcere per ſpecies proprias ſibi à Deo inditas.

Hoc enim ex pluribus Scripturæ locis conſtat, in quibus multa paſſim de Angelis, ſiue bonis, ſiue malis dicuntur, vnde mutua illorum cognitio neceſſariò infertur: vt Iſaiæ 6. *Duo Seraphim clamabant alter ad alterum.* Et Dan. 10. Angelus cuſtos Iudæorum dicit, Angelum cuſtodem Perſarum viginti & vno diebus ſibi reſtitiſſe. Michaelemque Archangelum ſibi in adiutorium veniſſe. Deinde niſi Angeli mutuò ſe cognoſcerent, nulla inter eos ſocietas, nullus ordo ſtare poſſet.

Certum eſt 4. Angelos res corporeas cognoſcere non tantùm in vniuerſali, ſed etiam in particulari.

Hoc ſimiliter patet ex varijs Scripturæ locis: niſi enim Angeli vnumquemque hominum in particulari cognoſcerent, neque boni illum cuſtodire, neque mali per tentationes illum impugnare poſſent; quod vtrumque tamen fieri ex fide certum eſt.

Cùm

Cùm hæc certa ſint, tria ſunt, de quibus eſt aliqua difficultas. Primum, an cognoſcant res futuras. Secundum, an occultas cordis cogitationes. Tertium, an res etiam ſupernaturales.

2 Quod ad primum ſpectat, S. Thomas qu. 57. art. 3. vtitur diſtinctione. Vel enim quæſtio eſt de futuris, quæ neceſſariò ex cauſis ſuis ſequuntur, v. g. quòd eclipſis Solis tali die & hora futura ſit; & manifeſtum eſt eiuſmodi futura naturaliter cognoſci ab Angelis: cùm etiam ab ipſis hominibus cognoſci poſſint. Vel de futuris contingentibus, quæ a libero Dei vel hominis arbitrio pendent: & de illis dicendum eſt non poſſe naturaliter ab Angelis certò cognoſci.

Atque hæc doctrina ex fide certa eſt, cùm Scriptura ſacra manifeſtè dicat eiuſmodi futurorum cognitionem ſolius Dei propriam eſſe, Iſa. 41. *Annunciate nobis quæ ventura ſunt in futurum; & ſciemus, quia Dij eſtis vos.* Et S. Pet. Epiſt. 1. cap. 1. *Non humana voluntate allata eſt prophetia; ſed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines.*

Id etiam conſtat ex SS. Patribus S. Chryſoſt. hom. 18. in S. Ioan. *Certa,* inquit, *prædictio futurorum, immortalis duntaxat Dei opus eſt.* Tertul. in apolog. capite 20 dicit, *Idoneum diuinitatis teſtimonium eſſe veritatem diuinationis.* Et paſſim SS. Patres ex eo probant fidei noſtræ myſteria vera eſſe, & à Deo teſtata; quia fuerunt antè prædicta: ita Iuſtinus in apologia 2. ad Antoninum, S. Auguſtinus lib. de catechizandis rudibus c. 26. & plures alij.

Obijcies, dæmones aliquando futura contingentia prædixiſſe.

Reſpondetur in eis etiam ſæpiſſimè hallucinatos ac mentitos fuiſſe: ſæpe etiam obſcurè & ambiguè locutos, vt fraudem & ignorantiam ſuam occultarent. Quod ſi aliquando ea, quę ab ipſis ſunt prædicta, euenerunt, hoc non ideò factum eſt, quod illa certò ſcirent, ſed quia per aliquas coniecturas id cognoſcerent; quod & homines aliquando faciunt, longe tamen perfectiùs dæmones; idque tùm propter diuturnum vſum & continuam rerum experientiam; tùm propter perſpicacitatem ingenij, qua circumſtantias omnes ad cuiuſuis ſtatum pertinentes, naturales item diſpoſitiones vniuſcuiuſque, ita vt, quo quiſque ingenio, quibus moribus præditus ſit, quæ indoles eius & propenſio naturalis, perfectiſſimè cognoſcant. Adde quòd aliquando ea prædicunt, quæ ipſis a Deo certas ob cauſas interdum reuelantur, vel quæ ipſi, Deo permittente, facturi ſunt; ſic potuit Satan futuram calamitatem beati Iob prænunciare, ſtatim atque ipſi facultas eam infligendi à Deo conceſſa eſt. Quo prædictionis genere ſæpenumero Gentiles deluſi ſint.

3 Quæres cur Angeli potius præterita cognoſcant quàm futura; cùm illa non magis quàm iſta exiſtant; ac proinde ſpecies ipſis indi-

tæ non magis videantur poſſe illa repræſentare quàm iſta.

Reſpondetur ſpeciem intelligibilem Angeli modificari, & quaſi determinari per actualem exiſtentiam rei præſentis, vt poſſit deinceps illam etiam præteritam repræſentare. Quod ſi hæc reſponſio non ſatisfacit, nihil dicendum ſupereſt, niſi voluiſſe Deum ſpecies illas quas Angelis impreſſit, eius eſſe conditionis, vt non poſſent res futuras mere contingentes, quamdiu futuræ ſunt, repræſentare: ſed tantùm præſentes, vel præteritas.

Quod ad ſecundum ſpectat, dicendum eſt Angelos naturaliter non poſſe certò cognoſcere cogitationes illas, quæ libere à nobis in mente concipiuntur, nec etiam actus internos libere à voluntate elicitos. Ita S. Thomas q. 57. art. 4.

Probatur 1. ex Scriptura, quæ hanc cognitionem ſoli Deo tribuit. 2. Paral. c. 6. *Tu ſolus noſti corda filiorum hominum.* Ierem. 17. *Prauum cor hominis, & inſcrutabile: quis cognoſcet illud? ego Dominus.* Heb. 4. *Diſcretor cogitationum & intentionum cordis.*

Probatur 2. ex SS. Patribus, qui id vnanimiter docent. S. Hilar. in Pſalm. 139. *Cogitationes cordis noſſe non noſtrum eſt, ſed eius, de quo dictum eſt: ſcrutans corda & renes Deus.* S. Chryſoſt. hom. 24. in S. Ioan. *Quæ in corde hominum inſunt, noſſe, ſolius eſt Dei, qui ſigillatim corda finxit.* S. Cyril. Alexand. lib. 2. in S. Ioan. loquens de Nathanaele, qui Chriſtum Dei Filium confeſſus eſt: *Nouerat,* inquit, *ſolum Deum ſcrutatorem eſſe cordium, nec vlli alteri mentem hominis patere.* S. Aug. ſerm. 234. de temp. loquens de Iob Patriarcha: *Colebat,* inquit, *Deum, faciebat eleemoſynas; & quo corde faciebat, nemo ſciebat, nec ipſe diabolus, ſed ſolus Deus* S. Hieron. in Pſal. 16. verſ. 10. *Diabolus,* inquit, *neſcit quid intrinſecus in anima cogitet homo, niſi per exteriores motus intelligat.*

Probatur 3. ratione, quam ducit S. Doctor ex præſtantia & nobilitate mentis humanæ, quæ ſoli Deo ſubiacet, tanquam primæ cauſæ efficienti & vltimæ finali: vnde conſentaneum eſt, vt cogitationes & affectiones, quæ ex libero ipſius arbitrio pendent, non niſi Deo ſoli pateant: alijs autem creaturis eatenùs ſolùm, quatenùs ipſa mens humana eas ab illis cognoſci velit: ita vt hic voluntatis conſenſus ſit veluti conditio quædam, ſine qua non poſſit cogitatio vel affectio interna mentis, intellectui Angelico repræſentari.

Neque dicas; Angelum naturaliter harum cogitationum & affectionum ſpecies habere ſibi inditas: ergo dùm exiſtunt, poſſe naturaliter illas cognoſcere.

In primis enim probabile eſt (quod aliqui Theologi aſſerunt) non habere Angelos cogitationum illarum & affectionum ſpecies ſibi ab initio creationis inditas, ſed illas à Deo accipere tunc, quando cogitationes illæ, vel affectiones ad eos diriguntur. Deinde quamuis conce-

cede-

cederetur eiuſmodi ſpecies Angelis eſſe inditas & concreatas, dicendum nihilominùs eſſet, eos vllis vti non poſſe ad tales cogitationes aut affectiones cognoſcendas, niſi accedat voluntas & conſenſus hominis, cuius illæ ſunt: Deus enim, ob ſuauem ſuæ prouidentiæ diſpoſitionem in gubernatione creaturarum rationabilium, voluit illas ſuarum cogitationum & affectionum plenum & abſolutum habere dominium: ita vt poſſent illas prolibito, vel occultas tenere, vel alijs detegere, proindeque ſpecies illarum Angelis inditas voluit eſſe tales, vt non poſſent Angelis repræſentare eiuſmodi actus internos liberos, inuita rationali creatura cuius ſunt, ſed tantum, cùm ad eos ab ipſa dirigerentur.

1 Objicies varijs experientijs compertum eſſe dæmones cognoſcere cognitiones & affectiones internas; e. g. dæmones aliquando in corporibus obſeſſis aliorum cogitationes purè internas, etiam ipſis inuitis, enunciare.

Reſpondetur verum eſſe tales actus internos aliquando cognoſci à dæmonibus, non quidem in ſeipſis, ſed in aliquo ſuo effectu, quando ſcilicet aliquo ſigno produntur: vel exteriùs ex motu corporis, mutatione vultus; & alijs ſimilibus, per quæ etiam homines varios animi motus aliorum dignoſcunt; vel interiùs ex ijs, quæ in phantaſia & ſenſibus internis deprehendunt, in quibus ordinariè, ob arctiſſimam illorum ſenſuū internorum cum intellectu & voluntate connexionem, cogitationum & affectionum noſtrarum imagines ſenſibiliter efformantur, & ſic dæmonum cognitioni patent, non quidem vt voluntati & rationi ſubſunt, ſed (vt ita loquamur) quaſi materialiter, prout in illis motuum ſenſitiuorum ſignis deprehenduntur.

Notandum eſt autem, totam illam cognitionem, quæ ex illis ſignis ſenſibilibus internis vel externis à dæmonibus hauritur, non eſſe certam, ſed tantùm coniecturalem, cùm ſemper arcanum voluntatis occultum ipſis ſit: nec dignoſcere queant, qualiter ipſa ſe habeat erga ſigna illa ſenſibilia, quæ nullam eius actibus inferunt neceſſitatem; liberamque relinquunt, vt ipſis conſenſum præbeat, vel diſſenſum. Videndus S. Auguſt. lib. de diuinatione dæmonum cap. 5. & Caſſianus collat. 7. cap. 15.

Quod ad tertium denique ſpectat, ſi Angeli conſiderentur ſecundùm ſtatum naturæ, ſeu ſecundùm naturales ipſorum vires, quæ etiam in dæmonibus remanſerunt, dicendum eſt res in entitate ſupernaturales ſeu, quarum cognitio intellectus creati vim naturalem ſupergreditur, non poſſe ab ipſis naturaliter cognoſci. Ita S. Tom. qu. 54. a. 5. Vnde ſequitur dæmones cognoſcere non potuiſſe myſterium Incarnationis, nec certo ſcire an Chriſtus eſſet verè Deus.

Hoc manifeſtè conſtat ex verbis Apoſtoli 2. Cor. 2. *Loquimur*, inquit,

inquit, *Dei ſapientiam in myſterio, quam nemo principum huius ſæculi cognouit*: vbi per principes huius ſæculi, S. Anſelmus & S. Thomas in commentarijs ſuper hunc locum, dæmones intelligunt: *Si enim* (vt ait S. Leo. ſerm. 11. de paſſione) *crudelis & ſuperbus inimicus conſilium miſericordiæ Dei noſſe potuiſſet; Iudæorum animos manſuetudine potiùs temperare, quàm iniuſtis odijs ſtuduiſſet accendere; ne omnium captiuorum amitteret ſeruitutem, dum nihil ſibi debentis perſequitur libertatem.*

5 Objicies S. Luc. c. 4. dici, quod *Exibant dæmonia clamantia: quia tu es Filius Dei. Et increpans, non ſinebat loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum.*

Reſpondetur 1. dæmones iſtis verbis vſos fuiſſe ficte & adulatoriè; vel vt veritatem ex ipſius ore Chriſti elicerent; vel vt illi aliquam elationis & ſuperbiæ occaſionem darent. Ita S. Hieron. in cap. 8. S. Matth. & Hugo Cardinalis in illum locum S. Lucæ.

Reſpondetur 2. ſi dæmones aliquam huius myſterij cognitionem habuerunt, illam fuiſſe tantùm coniecturalem & abſtractiuam, non verò euidentem & intuitiuam, de qua ſolùm hîc quæſtio eſt. Ita enim docet S. Leo. ſerm. 4. in quadrag. S. Hilarius canone 3. in S. Matt. S. Hieron. in cap. 4. S. Matth. S. Auguſt. lib. 9. de Ciuit. cap. 21. & plures alij.

Quod ſi Angeli conſiderentur in ſtatu gratiæ, dum erant in ſtatu viæ, dicendum eſt aliqua myſteria ſibi diuinitus reuelata cognouiſſe, puta myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis.

Non enim erant in eo ſtatu nobis deteriores, nec ad minorem beatitudinem ordinabantur; quare nec minorem huius myſterij cognitionem, quàm nos habere debuerunt. S. Thomas ſuprà, exiſtimat etiam reuelatum ipſis tunc fuiſſe myſterium Incarnationis, quod etiam docet S. Auguſt. lib. 5. de Gen. cap. 19. & ſimiliter probabile eſt plures alias veritates ſupernaturales in eo ſtatu fuiſſe ipſis diuinitus reuelatas, prout ad illius perfectionem requiri poterat.

Quod ſi denique conſiderentur ſecundùm ſtatum gloriæ; Dicendum eſt omnia myſteria, quæ vel ad eorum maiorem fælicitatem, vel ad Eccleſiæ militantis, animarumque ipſorum Angelorum cuſtodiæ creditarum directionem & ſalutem conferre poſſunt, ipſis, vel in Verbo diuino, vel extrà illius viſionem beatificam, fuiſſe diuinitus reuelata & patefacta.

Cùm credibile non ſit in illo ſtatu vllam ipſis earum rerum cognitionem denegari, quæ ad majus ipſorum, vel Eccleſiæ bonum neceſſariæ ſunt aut vtiles.

SECTIO VII.

Qualis ſit Angelorum voluntas.

1 CERTVM eſt in Angelis eſſe voluntatem, eamque libero arbitrio præditam: Quod ipſorum caſus & ruina ſatis euidenter demonſtrat; vnde S. Baſilius lib de Spiritu ſancto, cap. 16. *Impiorum*, inquit, *& aduerſariorum ſpirituum defectio id, quod dicimus, approbat; ſcilicet iuris ſui ac libertatis eſſe inuiſibiles virtutes*. Et hæc eſt etiam doctrina S. Thomæ q. 59. art. 3. cuius hæc eſt ratio: vbicumque reperitur iudicium indeterminatum ſeu indifferens ad hoc, vel ad illud agendum, ibi reperitur voluntas libera, ſeu liberum arbitrium: ſicut è contra vbicunque non reperitur tale iudicium indifferens; ibi nec liberum arbitrium reperitur, vt patet experientia. Atqui in omnibus habentibus intellectum, ineſt eiuſmodi iudicium indeterminatum, eò quòd per intellectum poſſunt percipere rationem ipſam vniuerſalem boni, ſub qua poſſunt hoc & illud cum quadam indifferentia ſibi agendum proponere, hæc enim indifferentia iudicij & rationis circa bonum, eſt quaſi radix libertatis. Quare cùm Angeli nobiliſſimo intellectu ſint præditi, concludendum eſt in ipſis eſſe liberum arbitrium; idque excellentius quam in homine, ſicut ipſe intellectus angeli ſuis humanum longè antecellit.

Porrò non eſt neceſſe ad electionem liberam in Angelo, quòd præcedat conſilium ſeu inquiſitio quædam mediorum, qualis requiritur in libera hominis electione. Non enim cognoſcunt inquirendo; cùm hoc pertineat ad diſcurſum rationis, qui in Angelis non reperitur, vt ſectione 5. oſtendimus. Sed electio in Angelis fit per ſubitam acceptionem cognitæ veritatis, ſine vllâ inquiſitiua deliberatione.

2 Quæres, an liberum illud arbitrium Angeli ſit naturaliter inflexibile in electione ſemel facta?

Reſpondetur duas eſſe oppoſitas ſuper hac quæſtione Doctorum ſententias.

Quidam enim exiſtimant arbitrium Angeli naturaliter flexibile ac mobile eſſe, perinde atque arbitrium hominis.

Ita S. Bonauentura in 2. diſt. 7. parte 1. a. 1. & plures alij. Atque hæc eſſe videtur ſententia S. Damaſceni lib. 2. de fide cap. 3. vbi dicit Angelos eſſe naturas ratione, intelligentia, & libertate præditas, ac propoſitio & ſententia mutabiles, idque ex ſe & ſua ſponte. Et S. Fulgentij lib. de fide ad Petrum, vbi dicit Angelos bonos non habere natura ſua immutabilitatem ex bono in malum, ſed ſola gratia. Vt

Alij

Alij è contrà cenſent Angelos arbitrio ita inflexibili præditos eſſe, vt nequeant id aduerſari, quod ſemel liberè elegerunt; neque id eligere, quod ſemel repudiarunt. Ita S. Thomas 1. p. quæſt. 64. a. 2. Cuius ratio hæc eſt; quòd Angeli apprehenſio ab apprehenſione hominis multùm differat: Angelus enim apprehendit immobiliter per intellectum: ſicut & nos immobiliter apprehendimus prima principia, quorum eſt intellectus: homo verò per rationem apprehendit, mobiliter diſcurrendo de vno ad alterum, poteſtque ad alterutrum oppoſitorum probabiliter procedere. Hinc fit vt voluntas hominis adhæreat alicui mobiliter, ita vt poſſit ab ipſo diſcedere, & contrario adhærere: at verò voluntas Angeli fixè & immobiliter adhæreat. Ex quo patet liberum arbitrium hominis flexibile eſſe ad oppoſita ante & poſt electionem, liberum autem arbitrium Angeli ad vtrumlibet ante electionem flecti poſſe, ſed poſt electionem ſemel factam, eſſe inflexibile.

Liberum cuique eſt quam voluerit ſententiam ex his duabus amplecti, cùm vtraque ſit probabilis; quamuis propter ſancti Doctoris authoritatem & allatam rationem, ſecunda videatur eſſe probabilior.

SECTIO VIII.

Quomodo Angeli inter ſe loquantur.

1 CERTVM eſt 1. Angelos inter ſe loqui; & ſibi inuicem cognitiones & conceptus ſuos manifeſtare.

Hoc manifeſtè conſtat ex Scripturis; Iſa 6. *Duo Seraphim clamabant alter ad alterum*. Et Apoc. 7. *Clamauit vnus Angelus ad alios quatuor Angelos.*

Certum eſt 2. poſſe quidem Angelos loqui, ſiue nobiſcum, ſiue inter ſe, vocibus corporeis, quæ ſint ſimiles noſtris; quomodò eos ſæpè cum hominibus locutos eſſe Scripturæ teſtantur: ſed alio quoque modo poſſe ipſos inter ſe colloqui, nempe ſpiritali, & ſine vllo adminiculo corporeæ vocis.

Conſtat ex his Apoſtoli verbis 1. Cor. 13. *Si linguis hominum loquar & Angelorum, &c.* quibus cum Angelorum linguæ ab humanis diſtinguantur, ſignificatur Angelos aliquo inter ſe modo colloqui poſſe, quo non poſſunt homines, qui proinde alius non eſt, quàm ſpiritalis. Quem Apoſtoli locum eo ſenſu exponens Theophylactus in 1. ad Cor. c. 10. *Angelis*, inquit, *lingua eſt intellectiua, vis nimirum illa, qua ſibi mutuò diuinarum rerum intellectum ac diuinas cogitationes impertiunt.* Et S. Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 3. de Angelis loquens, *Non lingua*, inquit, *neque auribus opus*

habent;

habent, verùm citrà ſermonis adminiculum cogitationes ſuas atque conſilia inter ſe communicant.

Cùm igitur hæc certa ſint, quæſtionis propoſitæ difficultas conſiſtit præſertim in explicando modo quo Angeli inter ſe colloquuntur. De qua quidem re, cùm in Scripturis nihil reperiatur, ideò maxime inter ſe variant Theologorum ſententiæ, quas hìc fuſiùs explicare minimè neceſſarium duximus, cùm nihil ad fidem pertineant. Vt tamen in re, quæ per ſe obſcuriſſima eſt, & à ſenſibus humanis remotiſſima lucem aliquam afferamus; breuiter hìc proponemus id quod in hac quæſtione probabiliſſimum nobis videtur.

2 Dicimus igitur Angelum alteri Angelo loqui, dirigendo & ordinando conceptum ſuum ad illum per operationem voluntatis, id eſt, volendo vt alter Angelus conceptum illum ſuum cognoſcat: ſicque locutionem Angeli nihil aliud eſſe, quàm conceptum illius liberè ordinatum & directum ad alterum: directionem verò illam voluntariam & liberam eſſe veluti linguam, ſeu conditionem, ſine qua Angeli vnius cogitatio ſeu conceptus alteri innoteſcere non poteſt. Quia tamen illa directio, licet neceſſaria, minimè tamen ſufficiens aliquibus Doctoribus videtur, ad exprimendum illum locutionis Angelicæ modum, quantùm a nobis exprimi poteſt: addunt virtute illius directionis, vel nouam ſpeciem produci in intellectu Angeli, ad quem conceptus alterius dirigitur: vel, ſi ſpecies huius conceptus ab initio creationis ipſi indita eſt, illa tunc nouam modificationem & veluti lucem quandam de nouo recipere, vt per eam Angelus percipere poſſit id quod eum ante latebat, & quod per alterum illi tunc manifeſtatur.

Porrò ea quæ de locutione Angelorum dicta ſunt, debent ſimiliter intelligi de eorum illuminatione; cum hac tamen differentia, quòd locutio latiùs patet quàm illuminatio: omnis enim illuminatio eſt locutio; cùm Angelus vnus non aliter Angelum alterum illuminet, niſi ei loquendo; at verò non omnis locutio eſt illuminatio, quia Angelus vnus alterum illuminare dicitur, non quoties eum alloquitur; ſed tunc ſolùm cùm aliquam veritatem ſibi diuinitùs reuelatam alteri de nouo aperit & declarat, quod non fit niſi per Angelos ſuperiores reſpectu inferiorum: vt fuſè docet & explicat S. Dionyſius lib. de Cæl. Hier. cap. 3, 4. & 8. Et S. Thomas 1.p.q.106.

S R-

SECTIO IX.

Quid de ordinibus Angelorum ſentiendum ſit.

1 SVPPONENDVM eſt, eſſe plures Angelos numero diſtinctos.

Hoc varijs in locis manifeſtè teſtatur Scriptura. Daniel.7. *Millia millium miniſtrabant ei.* Apoc.3. *Audiui vocem Angelorum, & erat numerus eorum millia millium.* Ex quibus Scripturæ verbis colligitur, non tantùm plures eſſe Angelos, ſed etiam maximam eſſe illorum multitudinem. Quam tantam eſſe aſſerit S.Doctor 1.p.quæſt. 50.art. 3. vt omnem rerum materialium multitudinem excedat, vnde S. Dionyſius lib. de Cœleſt.Hier.c.14.*Multi*, inquit, *ſunt ſupernarum mentium beati exercitus, quæ imbecillam & contractam eorum, qui in materia cernuntur, & in vſu noſtro ſunt, numerorum rationem excedunt.* In quo elucet omnipotentia ſimul & magnificentia ſupremi rerum conditoris, qui vnico temporis momento tot, & tam nobiles & perfectas creaturas ſolo verbo è nihilo produxit.

An autem ſicut numero, ſic etiam ſpecie inter ſe Angeli diſtinguantur, nihil certò definiri poteſt, cùm in Scripturis nihil ſuper hac quæſtione reperiatur. Imò S. Aug.l.contra Priſcillianiſtas c. 11. expreſſe profitetur, *ſe hanc Angelorum differentiam ignorare; nec tamen in iſta ignorantia periclitari, cùm res ad fidem non pertineat.* Quare omiſſis quæ ſuper hac quæſtione in vtramque partem à Theologis dicuntur, & quidquid ſit de illa differentia ſpecifica,

Sacræ Scripturæ & SS. Patres aliam declarant eſſe inter Angelos differentiam ſcilicet ordinum, quos nouem eſſe docet S Dionyſius lib. de cœl. Hier.capite 6. & 7. Et S.Gregor. homil. 34. in Euangelia.

Hoc ex Scripturis explicat & probat his verbis: *Nouem eſſe Angelorum ordines diximus, quia videlicet, teſtante ſacro eloquio, ſcimus eſſe Angelos, Archangelos, Virtutes, Principatus, Poteſtates, Dominationes, Thronos, Cherubim, atque Seraphim. Eſſe namque Angelos & Archangelos penè omnes ſacri eloquij paginæ teſtantur. Cherubim, verò ac Seraphim ſapè vt notum eſt, libri Prophetarum loquuntur. Quatuor quoque ordinum nomina Paulus Apoſtolus ad Ephesios enumerat dicens: ſuprà omnem Principatum, & Poteſtatem, & Virtutem, & Dominationem. Qui rurſus ad Coloſſenſes ſcribens ait: ſiue Throni, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Poteſtates, &c. Dum ergo illis quatuor, quæ ad Epheſios dixit, coniunguntur Throni; quinque ſunt ordines, qui*

ſpecialiter exprimuntur. Quibus dum Angeli & Archangeli, Cherubim quoque & Seraphim iunguntur, proculdubio nouem eſſe Angelorum ordines inueniuntur.

Hos autem nouem Angelorum ordines in tres Hierarchias diſtributos eſſe teſtatur S. Dionyſius ſuprà. Et in prima quidem ac ſuprema, Seraphim, Cherubim ac Thronos collocatos eſſe. In ſecunda & media Dominationes, Virtutes, & Poteſtates. In tertia denique & infima Principatus, Archangelos, & Angelos.

3 Docet autem S. Thomas quæſt. 108. diſtinctionem illam Hierarchiarum & ordinum inter Angelos, eſſe partim ab ipſorum natura, partim à gratia illis conceſſa: à natura quidem diſpoſitiuè: à gratia autem completiuè. Ac talem diſtinctionem remanſuram poſt diem iudicij, tam quoad differentiam graduum, quam quoad executionem officiorum; non quidem omnium, ſed eorum tantùm, quæ ſtatui gloriæ conueniunt: hominesque beatos aſſumendos eſſe pro meritis ad ordines beatorum Angelorum, hoc eſt, illos per Chriſti gratiam tantam gloriam poſſe promereri, vt in illa Angelis ſecundum ſingulos ordinis gradus, æquentur. Et quæſtione ſequenti declarat idem ſanctus Doctor, ordinem & prælationem illam, etiam inter Angelos reprobos poſt lapſum, remanſiſſe: non quidem quoad dona gratiæ, quibus ſpoliati ſunt: ſed quoad ea tantùm, quæ ſunt naturæ illorum propria, quæ integra in eis remanſerunt, vt infrà dicetur.

Porrò quidnam illa ordinum nomina ſignificent, qualiavè ſint illorum beatorum ſpirituum officia ac miniſteria, fusè explicant S. Dionyſius, S. Gregorius ſuprà, & S. Antoninus 1. part. tit. 31. cap. 6. Certè Deus optimus maximus in his Angelorum choris magnificentiam ac excellentiam perfectionum ſuarum clarè oſtendit: amat ſiquidem in Seraphinis, vt charitas: contemplatur in Cherubinis, vt veritas: ſedet in Thronis, vt æquitas: imperat in Dominationibus, vt maieſtas: regit in Principatibus, tuetur in Virtutibus, corroborat in Poteſtatibus, reuelat in Archangelis, aſſiſtit in Angelis. Vide S. Thomam, citata quæſt. 108. vbi de his fuſiſſimè agit.

CAPVT

CAPVT III.

De Angelorum bonorum merito ac beatitudine, & malorum peccato ac damnatione.

SECTIO I.

Quodnam fuit Angelorum bonorum meritum, & malorum peccatum.

1 SVPPONIMVS tanquam certum Angelos non fuiſſe creatos in ſtatu beatitudinis ſupernaturalis, quæ in clara Dei viſione conſiſtit.

Quia ſi in tali ſtatu creati eſſent, in eo peccare non potuiſſent: conſtat autem plures illorum peccaſſe.

Supponimus deinde omnes Angelos fuiſſe conditos in gratia, iuxta Doctrinam S. Thomæ 1. part. quæſt. 62. art. 3. quæ eſt communis Theologorum.

Conſtat ex Chriſti Domini verbis, S. Ioan. 6. qu bus dicit Diabolum non ſtetiſſe in veritate: nomine enim veritatis ibi ſanctitas intelligitur: provt S. Chryſoſtomus & alij SS. Patres hunc locum interpretantur, præſertim S. Cyrillus lib. 6. in S. Ioan. cap. 6. *In veritate*, inquit, *non ſtetit; quia prolapſus eſt à veritate, nec manere voluit in ſua originis ſanctitate*. Et S. Iudas in Epiſtola ſua canonica dicit, reprobos Angelos *non ſeruaſſe ſuum principatum*. Ille autem principatus non poteſt intelligi de principatu naturæ: quia, vt infrà dicetur, naturalia omnia integra in dæmonibus remanſerunt, ergo debet intelligi de principatu gratiæ ſanctificantis, quam in creatione acceperunt, & à qua exciderunt. Accedit authoritas SS. Patrum, qui hoc aſſerunt: vt S. Baſilij in Pſalm 32. vbi dicit Angelos *in prima conſtitutione ſubſtantiæ ſuæ ſimul infuſam habuiſſe ſanctitatem*. Et S. Auguſt. lib. 12. de Ciuit. cap. 9. vbi ait Angelos fuiſſe à Deo creatos *cum bona voluntate & caſto amore* Et paucis interiectis, *erat Deus ſimul condens naturam Angelorum, & largiens gratiam*. His præſuppoſitis,

2 Dicendum 1. quoſdam Angelos in gratia accepta perſeueraſſe, & per actus aliquos bonos ex gratia ſimul cum liberi arbitrij cooperatione, beatitudinem æternam fuiſſe promeritos: alios autem ab illa gratia per ſuæ voluntatis prauitatem excidiſſe, ſicque damnationem æternam incurriſſe.

ſpecialiter exprimuntur. Quibus dum Angeli & Archangeli, Cherubim quoque & Seraphim iunguntur, proculdubio nouem eſſe Angelorum ordines inueniuntur.

Hos autem nouem Angelorum ordines in tres Hierarchias diſtributos eſſe teſtatur S. Dionyſius ſuprà. Et in prima quidem ac ſuprema, Seraphim, Cherubim ac Thronos collocatos eſſe. In ſecunda & media Dominationes, Virtutes, & Poteſtates. In tertia denique & infima Principatus, Archangelos, & Angelos.

3 Docet autem S. Thomas quæſt. 108. diſtinctionem illam Hierarchiarum & ordinum inter Angelos, eſſe partim ab ipſorum natura, partim à gratia illis conceſſa: à natura quidem diſpoſitiuè: à gratia autem completiuè. Ac talem diſtinctionem remanſuram poſt diem iudicij, tam quoad differentiam graduum, quam quoad executionem officiorum; non quidem omnium, ſed eorum tantùm, quæ ſtatui gloriæ conueniunt: homineſque beatos aſſumendos eſſe pro meritis ad ordines beatorum Angelorum, hoc eſt, illos per Chriſti gratiam tantam gloriam poſſe promereri, vt in illa Angelis ſecundum ſingulos ordinis gradus, æquentur. Et quæſtione ſequenti declarat idem ſanctus Doctor, ordinem & prælationem illam, etiam inter Angelos reprobos poſt lapſum, remanſiſſe: non quidem quoad dona gratiæ, quibus ſpoliati ſunt: ſed quoad ea tantùm, quæ ſunt naturæ illorum propria, quæ integra in eis remanſerunt, vt infrà dicetur.

Porrò quidnam illa ordinum nomina ſignificent, qualiavè ſint illorum beatorum ſpirituum officia ac miniſteria, fusè explicant S. Dionyſius, S. Gregorius ſuprà, & S. Antoninus 1. part. tit. 31. cap. 6. Certè Deus optimus maximus in his Angelorum choris magnificentiam ac excellentiam perfectionum ſuarum clarè oſtendit: amat ſiquidem in Seraphinis, vt charitas: contemplatur in Cherubinis, vt veritas: ſedet in Thronis, vt æquitas: imperat in Dominationibus, vt maieſtas: regit in Principatibus, tuetur in Virtutibus, corroborat in Poteſtatibus, reuelat in Archangelis, aſſiſtit in Angelis. Vide S. Thomam, citata quæſt. 108. vbi de his ſufiſſimè agit.

CAPVT III.

De Angelorum bonorum merito ac beatitudine, & malorum peccato ac damnatione.

SECTIO I.

Quodnam fuit Angelorum bonorum meritum, & malorum peccatum.

1 SVPPONIMVS tanquam certum Angelos non fuiſſe creatos in ſtatu beatitudinis ſupernaturalis, quæ in clara Dei viſione conſiſtit.

Quia ſi in tali ſtatu creati eſſent, in eo peccare non potuiſſent: conſtat autem plures illorum peccaſſe.

Supponimus deinde omnes Angelos fuiſſe conditos in gratia, iuxta Doctrinam S. Thomæ 1. part. quæſt. 62. art. 3. quæ eſt communis Theologorum.

Conſtat ex Chriſti Domini verbis, S. Ioan. 6. qu bus dicit Diabolum non ſtetiſſe in veritate: nomine enim veritatis ibi ſanctitas intelligitur: prout S. Chryſoſtomus & alij SS. Patres hunc locum interpretantur, præſertim S. Cyrillus lib. 6. in S. Ioan. cap. 6. *In veritate*, inquit, *non ſtetit; quia prolapſus eſt à veritate, nec manere voluit in ſua originis ſanctitate*. Et S. Iudas in Epiſtola ſua canonica dicit, reprobos Angelos *non ſeruaſſe ſuum principatum*. Ille autem principatus non poteſt intelligi de principatu naturæ: quia, vt infrà dicetur, naturalia omnia integra in dæmonibus remanſerunt, ergo debet intelligi de principatu gratiæ ſanctificantis, quam in creatione acceperunt, & à qua exciderunt. Accedit authoritas SS. Patrum, qui hoc aſſerunt: vt S. Baſilij in Pſalm 32. vbi dicit Angelos *in prima conſtitutione ſubſtantiæ ſuæ ſimul infuſam habuiſſe ſanctitatem*. Et S. Auguſt. lib. 12. de Ciuit. cap. 9. vbi ait Angelos fuiſſe à Deo creatos *cum bona voluntate & caſto amore*. Et paucis interiectis. *erat Deus ſimul condens naturam Angelorum, & largiens gratiam*. His præſuppoſitis,

2 Dicendum 1. quoſdam Angelos in gratia accepta perſeueraſſe, & per actus aliquos bonos ex gratia ſimul cum liberi arbitrij cooperatione, beatitudinem æternam fuiſſe promeritos: alios autem ab illa gratia per ſuæ voluntatis prauitatem excidiſſe, ſicque damnationem æternam incurriſſe.

Quod quidam Angeli ſint beati, conſtat ex Scriptura. S. Matth. 18. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei.*

Quod verò quidam ſint damnati, conſtat etiam ex S. Matt. 25. *Ite maledicti in ignem æternũ, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius.*

Quod autem Angeli beati ſuam beatitudinem per aliquos actus bonos ex auxilio gratiæ fuerint promeriti, aſſerit S. Thomas ſuprà art. 4. Et hæc eſt Doctrina SS. Patrum, vt S. Auguſtini lib. 4. de Gen. ad lit. cap. 24. vbi dicit *Angelos beatitudinem conſecutos, quia omnia ſua ad Dei gloriam retulerunt*. S. item Gregorij hom. 7. in Ezech. vbi dicit, malis Angelis in ſuperbiam prolapſis bonos in humilitate perſtitiſſe.

Quod denique Angeli reprobi peccauerint, & per peccatum à gratia exciderint, damnationemque incurrerint, conſtat manifeſtè ex Scriptura, Iob. 4. *In Angelis ſuis reperit prauitatem*. Et 2. S. Petri 2. *Deus peccantibus Angelis non pepercit; ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.*

Dicendum 2. peccatum reproborum Angelorum fuiſſe peccatum ſuperbiæ.

3 Probatur 1. ex Scriptura. Iſai. 14. *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua, qui dicebas, Conſcendam in cælum, ſimilis ero Altiſſimo.* Quem Prophetæ locum de Diaboli peccato intelligit S. Aug. libro 3. de Doctrina Chriſt. cap. 37. S. Greg. hom. 34. in Euangelia, & S. Bernard. ſerm. 38. in Cantica, Ezechielis 28. *Eleuatum eſt cor tuum in decore tuo, Deus ego ſum.* Quæ verba ſimiliter intelliguntur de Lucifero, à SS. Patribus: S. Amb. lib. de Paradiſo c. 2. S. Hieron. in illum Ezechielis locum & alijs.

Probatur 2. ex SS. Patribus S. Chryſoſtomo hom. 3. de verbis Iſaiæ; *Angelus per ſuperbiam factus eſt diabolus.* S. Ambr. Ep. 84. vbi dicit, *In lapſu Diaboli & hominis prauaricatione, initium peccati fuiſſe ſuperbiam.*

Ad pleniorem autem eorum quæ ſuprà dicta ſunt intelligentiam,

Quæres 1. quinam Angeli, & quot peccauerint?

Reſpondetur 1. non ex vno ſolo ordine, ſed ex pluribus fuiſſe eos qui peccauerunt.

Apoſtolos ſiquidem ad Epheſ. 6. tribuit Dæmonibus nomina quorumdam ordinum, vt Principatuum & Poteſtatum; ac proinde probabile eſſe (vt docet S. Th. quæſt. 61. art. 9. ad 3.) ex quouis ordine Angelorum aliquos peccaſſe: ſicut & veriſimile eſt ad quemlibet ordinem Angelorum homines beatos aſſumendos eſſe, ad inſtaurandas ruinas eorum qui ceciderunt.

Reſpondetur 2. quòd communis eſt SS. Patrum opinio, ſupremum, ex illis qui peccauerunt, fuiſſe omnium Angelorum ſupremum, id eſt primum ex ordine Seraphinorum. Ita S. Tho. ſuprà a. 7.

Con-

Conſtat ex c.40.Iob.vbi vocatur *Initium viarum Domini*, non quia fuerit ante alios & primò creatus, cùm omnes Angeli ſimul creati fuerint; ſed quia (vt explicant S.Hier.& S. Greg. in illum locum) primus fuit dignitáte & excellentia. Id etiam aſſerit S.Auguſt.lib. 11. de Ciuit. cap.15. & S.Baſil.lib.4.contra Eunomium & alij communiter.

Reſpondetur 3.quod docet S.Th.citato ar. 9. pauciores fuiſſe eos qui peccauerunt, quàm qui perſtiterunt in bono.

Quod colligi poſſe videtur ex eo quod Apoc.13.dicitur draco ſecum traxiſſe tertiam duntaxat ſtellarum partem.

Quæres 2.in quo poſita fuerit Angelorum ſuperbia?

4 Reſpondetur varias eſſe ſuper hac re Theologorũ ſententias. Quidam enim exiſtimant Angelos in ſua naturali perfectione inordinatam habuiſſe complacentiam, & in illa, tanquam in fine ſuo vltimo conquieuiſſe. Alij dicunt inordinatè appetiiſſe beatitudinem ſupernaturalem, tanquam proprijs viribus, & ſine vllo diuinæ gratiæ auxilio conſequendam. Aſſerunt alij peccaſſe Angelos; in eo quod accepta diuinitùs reuelatione de hypoſtatica vnione Verbi diuini aliquando facienda cum natura humana, hanc vnionem ſibi ex ſuperbia expetierint, & Chriſto Domino, adeoque toti generi humano illam inuiderint. Alij denique omnium probabiliſſime docent, peccatum ſuperbiæ Angelorum in eo poſitum fuiſſe, quòd Deo ſubiecti eſſe noluerint, ſed independẽtiam ab eius imperio appetierint: eoque modo ſimilitudinem cum Deo, qui ab omni ſubiectione & imperio eſt independens, affectauerint.

Ita S. Aug.lib.11.de Ciuit.c.13. vbi de Diabolo dicit quod *Recuſauit ſuo ſubditus eſſe Creatori; & ſuperbia ſua, velut authoritate priuata, elatus eſt.* Et S.Greg.lib.34. Moral.c.13. *Ei à quo conditus fuerat, ſubeſſe deſpexit. Ita enim Deus ſuper omnia eſt, vt ipſe ſub nullo ſit: Leuiatan verò iſte eius celſitudinis culmen aſpiciens, ius peruerſa libertatis appetijt.*

Quæres 3.quanto tempore Angeli fuerint in via, ſeu quanta fuerit duratio temporis illius, in quo potuerunt mereri aut demereri.

5 Reſpondetur 1.dubitandum non eſſe, quin aliqua mora interceſſerit inter creationem Angelorum, & ipſorum beatitudinem vel damnationem: vt ita mora iſta potuerit coexiſtere alicui parti noſtri temporis.

Quod colligi poteſt ex eo quòd Angeli boni non potuerint ſimul eſſe beati, & ſimul mereri; cùm actiones meritoriæ, ſecundùm legem communem, ſimul cum viſione beatifica ſtare non poſſint. Similiter Angeli reprobati priùs peccauerint, quàm fuerint damnati.

Reſpondetur 2.conſtare inter Theologos, moram illam & durationem viæ Angelorum fuiſſe breuiſſimam.

Etenim dicitur S.Ioan. cap. 8. Diabolum *fuiſſe homicidium ab initio, & in veritate non ſtetiſſe:* vnde ſequitur illum ſtatim poſt creationem peccauiſſe; Et reuerà iam peccauerat, antequàm accederet ad primos parentes, vt eos in peccatum pertraheret. Accedit etiam quòd Angeli propter ſummam intelligendi ſagacitatem & perfectionem omnia celerrimè exequantur.

Quare dicendum videtur, ſaltem tria inſtantia temporis in illa duratione viæ Angelorum eſſe diſtinguenda. Primum, in quo omnes tam electi quàm reprobi, in gratia creati ſunt. Secundum, in quo boni benè operati ſunt, & ſic promeruerunt beatitudinem, mali è contrà peccauerunt, & ſic damnationis reatum incurrerunt. Tertium denique, in quo illi præmium virtutis, id eſt beatitudinem acceperunt; iſti è contrariò in peccati vindictam damnationis pœna fuerunt mulctati.

SECTIO II.

Quiſnam ſit ſtatus Angelorum in gloria?

1 TRIA ſunt, quæ S.Thomas tribus poſtremis articulis quæſtionis 62. quærit circa beatitudinem Angelorum, quæ hîc breuiter explicanda ſunt.

Primum eſt, vtrùm in Angelis beatis remaneat cognitio ac volitio naturalis.

Reſpondet S.Doctor affirmatiuè. Cuius ratio eſt, quia beatitudo naturam non deſtruit, ſed perficit; ergo in beatis Angelis non tollit operationes quæ illis ratione naturæ ſuæ conueniunt.

Secundum eſt, an Angeli beati peccare poſſint?

Reſpondet S.Doctor negatiuè. Conſtat enim ex ſacris litteris beatitudinem electorum, ſiue Angelorum, ſiue hominum, æternam fore; at æterna non eſſet, ſi per peccatum ab illa excidi poſſent. Vnde S.Fulgentius lib. de fide ad Petrum, c.131. ſic loquitur: *Firmiſſimè tene, & nullatenùs dubites, omnem creaturam naturaliter mutabilem à Deo incommutabili factam eſſe; nec tamen poſſe quemlibet ſanctorum Angelorum in deterius mutari. Quia, ſic acceperunt æternam beatitudinem, quà Deo ſtabiliter perfruuntur, vt ea carere non poſſint.* Accedit ratio, qua vtitur S.Doctor; quia ſcilicet Angeli beati in Deo clare viſo vident omnem rationem boni diligibilis: ergo ab illo nullatenùs auerti poteſt eorum voluntas: cùm illud bonum, vtpotè infinitum, omnem illorum capacitatem repleat.

Tertium eſt, an Angeli beati poſſint in beatitudine proficere?

Reſpondet S. Doctor cum diſtinctione

Si enim ſermo ſit de beatitudine eſſentiali, quæ conſiſtit in clara

clara Dei viſione, certum eſt Angelos nullum illius incrementum vnquam accepturos eſſe, aut promerituros, Tum quia illa eſt terminus & finis omnium meritorum. Tum quia eodem modo ſe habet beatitudo in Angelis, atque in hominibus; iuxtà quod dicitur Apocal. 22. eandem eſſe hominis & Angeli menſuram, hoc eſt, rationem meriti. Atqui homines beati ſecundùm legem ordinariam in beatitudine proficere non poſſunt, iuxta illud Eccleſiaſt. 11. *Siue ad Auſtrum, ſiue ad Aquilonem ceciderit lignum ibi erit*: quod SS. Patres interpretantur de immutabilitate quadam hominis in eo termino ſiue beatitudinis, ſiue damnationis, ad quem poſt hanc vitam peruenerit, Ergo idem de Angelis beatis dicendum eſt.

2 Si verò de beatitudine accidentali quæſtio intelligatur: Reſpondet S. Doctor Angelos beatos poſſe in illa proficere. Tum quia poſſunt noua ſubinde gaudia experiri; iuxta illud S. Luc. 15. *Gaudium erit coram Angelis ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* Tum quia poſſunt nouas reuelationes, & mentis illuſtrationes diuinitus accipere, vt docet S. Dion. cap. 7. de cæleſti Hier. & S. Auguſt. lib. de Gen. ad lit. cap. 17. Hæ autem nouæ reuelationes ſicut & alia gaudia, ad beatitudinis accidentalis augmentum conferre poſſunt.

Obſeruandum eſt autem quòd quamuis Angeli beati gloriæ accidentalis incrementum aliquod accipere poſſint; non poſſunt tamen illud de nouo mereri, vt docet ſanctus Thomas art. 9. ad 3. Quia ſecundùm communem Theologorum ſententiam in termino vitæ nullus ampliùs ſupereſt merito locus.

SECTIO II.

Qualia ſunt officia Angelorum beatorum erga homines?

1 DICENDVM eſt 1 Angelos interdum ad homines diuinitus mitti velut diuinæ voluntatis internuncios; ac diuinorum conſiliorum executores & miniſtros.

Id manifeſtè conſtat ex Scriptura. Exod. 23. *Ecce ego mitto Angelum meum qui præcedat te*, S. Luc. 1. *Miſſus eſt Gabriel à Deo in Ciuitatem Galileæ, ad Virginem, &c.* Act. 12. *Nunc ſcio verè quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis.*

An autem omnes omninò Angeli mittantur? & ſi non omnes, quinam ex illis? controuerſum eſt apud Theologos.

S. Thomas quæſt. 112. art. 3. exiſtimat Dominationes cæteroſque ſuperiores beatorum ſpirituum ordines nunquam mitti, ſed tantùm reliquos ipſis inferiores.

Magiſter ſententiarum in diſt. 10. dicit ordinariè quidem qua-

quor illos ordines ſuperiores mitt. non ſolere, ſed tantùm inferiores; extraordinariè tamen etiam ſuperiores illos mitti. Et S. Gregorius ho. in Euang. videtur aſſerere S. Gabrielem fuiſſe ſupremum ordinis Seraphinorum. Quod etiam confimari poteſt, ex eo quod S. Paulus Hebr. 1. loquens de omnibus illis beatis ſpiritibus, dicit: *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Vbi obſeruandum eſt Apoſt. loqui de omnibus beatis ſpiritibus, ſine vlla exceptione: cùm ibi de illis agat, prout Chriſto Domino ſunt inferiores; quod ad omnes ſpectare manifeſtum eſt. Et Iſai. 6. dicit Propheta ad ſe vnum ex Seraphinis volaſſe.

Vtraque ſententia probabilis eſt, ſecunda tamen probabilior videtur, quia magis ad ſenſum Scripturæ videtur accedere.

Dicendum 2. Angelos mitti, & a Deo deſtinari ad cuſtodiam hominum non tantùm in genere, ſed & in particulari, ita vt cuique homini ſuus adſit Angelus tutelaris.

Huic veritati, quæ de fide eſt, oppoſitus eſt error Caluini, qui ſuper illa verba Pſalmi 90. *Angelis ſuis Deus mandauit de te*, ait cuſtodiam illam Angelorum eſſe falſum commentum.

Refellitur hic error, & noſtræ aſſertionis veritas probatur 1. ex Scriptura. Gen. 48. *Angelus qui eruit me de cunctis malis.* Iudith. 13. *Cuſtodiuit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem,* Et S. Matth. 18. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei qui in cælis eſt.*

Probatur 2. ex S. Baſil. lib. 3. contra Eunomium initio; *Quod adſit*, inquit, *ſingulis credentibus Angelus tanquam pædagogus & Paſtor viam dirigens, nemo contradicet, qui memor fuerit verborum Domini, vbi dicit, ne contemnatis vnum de puſillis iſtis; quia Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei.* Et Pſalm. 33. *Aderit Angelus in circuitu timentium eum.* Et S. Hier. in cap. 18. S. Matth. *Magna eſt dignitas animarum, vt vnaquæque ab ortu natiuitatis habeat in cuſtodiam ſui Angelum delegatum.*

Probatur 3. ex communi conſenſu totius Eccleſiæ quæ ſemper ita eſſe ſenſit. Quod colligitur ex Act. 12. vbi, cùm S. Petrus è carcere diuina virtute liberatus, pulſaret ianuam domus, in qua fideles congregati erant, & ipſi miraculum factum ignorarent, vnanimi conſenſu omnes dixerunt: *Angelus eius eſt.* Idem etiam colligi poteſt ex feſto ſancti Angeli cuſtodis quod à ſummo Pontifice inſtitutum & approbatum, ſummo omnium conſenſu vbique receptum eſt.

Porrò S. Thom. art. 5. docet Angelum cuſtodem vnicuique homini adeſſe, & erga illum ſuo munere fungi ab eius ex vtero matris natiuitate, & non ante; vſque ad eiuſdem mortem, & non poſt. Eò quod ante natiuitatem infans cenſeatur, eſſe quaſi pars quædam

matris,

matris, & velut fructus adhuc in arbore pendens: vnde tunc per Angelum cuſtodem ipſius matris cuſtodiri cenſetur. Poſt mortem verò non ampliùs egeat homo angelica cuſtodia: cùm ſit in termino viæ, nec vllus ſuperſit merito vel demerito locus.

3 Obſeruandum eſt autem (ſicut docet S. Dionyſius de Cœleſti Hierar. cap. 9.) non ſolùm hominibus ſingulis, ſed præterea populis, regnis, prouinciis, ciuitatibus ſuos peculiares Angelos ſeu Archangelos eſſe à Deo præpoſitos. Quod etiam conſtat ex Scriptura, Daniel 10. Vbi dicitur Principem regni Perſarum reſtitiſſe Gabrieli à Deo Iudaici populi liberationem poſtulanti: ille enim Perſarum princeps non alius fuit, quàm bonus Angelus huius populi cuſtos ac tutelaris, vt exponit S. Hieronymus in eum locum, & S. Gregor. lib. 17. Moral. cap. 8. Et apud eundem Danielem cap. 8. S Michael dicitur ſtare pro filijs Iſrael: quia nempe olim fuit cuſtos ſynagogæ; ſicut nunc Eccleſiæ, teſte S. Gregor. loco citato. Et S. Epiphanius hæreſ. 15. Angelos illos quatuor, de quibus mentio & Apocal. cap. 9. totidem populorum præſides & cuſtodes interpretatur; ſcilicet Aſſyriorum, Babyloniorum, Medorum, atque Perſarum.

Præterea ſingulis etiam rerum generibus atque ſpeciebus præfici Angelos docet S. Auguſtinus libro 8. quæſtionum cap. 79. Vnde Apocal. 14. vnus Angelus dicitur habere poteſtatem ſuper ignem: & cap. 16. alius vocatur *Angelus aquarum*. Neque id mirari debemus: ſi enim Deus ipſe rerum omnium curam habere dignatur, & in Scripturis dicitur eſcam dare pullis coruorum, & fœnum iumentis, ac veſtire lilia agri; quidni harum etiam rerum cuſtodiam Angelis commiſerit?

Vnde non ſine ratione quidni Doctores exiſtimant ita exponi poſſe Scripturas, vt, dum alloquuntur creaturas rationis expertes, ignem, aquam, fontes, volucres, beſtias, eaſque ad laudandum & benedicendum Deum inuitant; verba illa referantur ad Angelos cuſtodes, quos rogamus, vt has omnes creaturas ſibi commiſſas, ad Dei gloriam dirigant.

Monet etiam S. Thom. art. 4. ad 1. quòd quamuis cuilibet hominum Angelus aliquis ad cuſtodiam deputetur: Chriſtus Dominus tamen nullum habuit Angelum cuſtodem, eo quod non indigeret tali cuſtodia; cùm eſſet impeccabilis, & ipſe potiùs Angelorum cuſtos dici deberet.

Innumera verò ſunt beatorum illorum ſpirituum erga animas cuſtodiæ ſuæ concreditas officia: Arcent dæmones, Tob. 8. Increpant peccatores, Iudic. 2. Docent & inſtruunt, Daniel. 9. Conſolantur in afflictionibus, Tob. 5. Addunt animum & ſubminiſtrant vires, 3. Reg. 19. Offerunt preces, Apoc. 8. Denique animas

iuſto-

iuſtorum è corpore migrantes ad beatorum ſedem deferunt; Luc. 16.

Cùm igitur tot & tanta ſint Angelorum beatorum in homines beneficia: ſic viciſſim hominum erga illos officia aliqua meritò requiruntur; quę paucis verbis complectitur S. Bernardus ſerm. 13. in Pſalm. 90. vbi explicans hæc verba: *Angelis ſuis Deus mandauit de te: Quantam*, inquit, *debet tibi hoc verbum inferre reuerentiam, afferre deuotionem; conferre fiduciam; reuerentiam pro præſentia; deuotionem pro beneuolentia; fiduciam pro cuſtodia?* Verùm de his fuſiùs in tractatu ſequenti, cùm de ſanctorum veneratione & inuocatione agemus.

SECTIO IV.

Qualis ſit ſtatus damnationis reproborum Angelorum.

1 CERTVM eſt 1. Angelos præuaricatores ſtatim poſt peccatum ſuum è cœlo eſſe deturbatos Apoc. 12. *Locus illorum non eſt amplius inuentus in cœlo*: & in infernum detruſos, vt conſtat ex Epiſt. 2. cap. 12. *Deus peccantibus Angelis non pepercit; ſed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos.*

Quod quamuis ita ſit, nihilominùs dæmones non ſemper in inferno detineri, ſed aliquando Dei permiſſu inter homines ſuper terram vagari, conſtat ex varijs Scripturæ locis; vt S. Luc. 8. vbi plurimi dæmones à Chriſto ex vnius hominis corpore ejecti, rogauerunt eum, ne illis imperaret vt in abyſſum irent, ſed in porcos ingredi permitteret.

Vnde S. Thomas q. 64. a. 4. rectè docet duplicem locum pœnalem dæmonibus à Deo aſſignatum eſſe: vnum quidem ratione culpæ ſuæ; & hic eſt infernus: alium verò ratione exercitationis humanæ; & hic eſt aer caliginoſus terræ vicinus, in quo permiſſum eſt eis vagari, & tentare, vt ſic exercere poſſint homines. Cùm autem vſque ad extremum iudicij diem exercitatio illa durare debeat, ideò ad illud vſque tempus (vt ait Doctor) & Angeli mali nobiſcum hìc verſantur, vt impugnent; & boni, vt ſubſidio ſint: poſt illum verò diem omnes mali, tam Angeli, quàm homines, in inferno per æternitatem detinebuntur; boni verò in cœlo manebunt.

Certum eſt 2. vt docet S. Thomas art. 3. dæmones eſſe doloris capaces & ſuſceptibiles, non quidem illius doloris, qui eſt paſſio appetitus ſenſitiui, & percipitur organo corporeo: ſed doloris purè ſpiritualis; qui (vt explicat idem S. Doctor) eſt quidam ſimplex

actus

actus voluntatis, quo refugit & auerſatur aliquid, tanquam ſibi contrarium & nociuum, vt mox explicabitur.

Cùm hæc igitur certa ſint, difficultas eſt, an dæmones ab igne inferni torqueantur. Pro cuius reſolutione,

2 Dicendum eſt 1. ignem inferni, qui corporeus eſt ac materialis, à diuina iuſtitia tanquam inſtrumentum aſſumi ad puniendos dæmones, hoſque proinde illo igne torqueri.

Quòd ignis ille corporeus ſit ac materialis, in dubium reuocare non licet: & Scripturæ, & Patres hoc expreſsè aſſerant. Vnde S. Greg. Papa lib 4. dialog. cap. 29. hoc tanquam certum proponit, & de quo nulli ambigere liceat. Et S. Aug. lib. 2. de Ciuit. cap. 10. hoc tanquam certum affirmat. Et huic veritati communiter ſubſcribunt SS. Patres.

Quod autem ab illo igne dæmones torqueantur, conſtat ex Scriptura. S. Matth 25. vbi Chriſtus Dominus dicit ignem inferni paratum eſſe diabolo & Angelis eius. Et Apoc. 10. dicitur diabolus in ſtagnum ignis miſſus, vbi cum beſtia & pſeudo-Propheta in æternum cruciandus eſt. Conſtat ex S. Gregorio & S. Auguſtino locis ſuprà citatis, in quibus aſſerunt, non tantum corpora reproborum hominum, ſed & illorum animas ab inferorum igne torqueri: eadem autem eſt ratio dæmonum.

Quæres, quomodò ille ignis, cum ſit corporeus, in dæmones, qui puri ſpiritus ſunt, agere poſſit, illoſque torquere?

Variæ ſunt ſuper hac re Theologorum ſententiæ. Alij ſiquidem exiſtimant dæmones ab igne torqueri, in quantùm ab illo detinentur, illique diuina virtute ſunt alligati. Vnde a S. Iuda in Epiſtolâ canonica dicuntur dæmones *vinculis æternis ſub caligine reſeruari*. Alij dicunt eos ab igne torqueri; non tantùm quia detinentur & alligantur; ſed præterea ex eo quod illum, tanquam ſibi maximè diſconueniens & nociuum apprehendunt; dum ſe ab illo in æternum detinendos continuò cogitant, nec ab illa cogitatione deſiſtere poſſunt. Alij arbitrantur, ex illa detentione in ijs (Deo ita volente) oriri triſtitiam ac moleſtiam ei ſimilem, quam hominis animus ex actuali ſui corporis combuſtione experiretur. Alij docent ipſum ignem per qualitatem aliquam ſupernaturalem, ipſi à Deo inditam, realiter agere in dæmones, ipſiſque dolorem cruciatuum incutere.

Verùm, quamuis hæc omnia probabiliter dici poſſint, certiſſima tamen omnium videtur eſſe ſententia illa, quæ nihil certi hac in re definiri poſſe aſſerit: Sanctus Auguſtinus loco ſupra citato; poſt multa ſuper hac quæſtione ſubtiliſſimè diſputata, tandem ſapientiſſimè concludit: *Spiritus illos incorporeos pœna corporalis ignis affici, veris, quidem, ſed tamen miris & ineffabilibus modis.*

3 Di-

3 Dicendum 2. pœnas dæmonum ſicut & damnatorum hominum fore æternas.

Huic veritati, quæ de fide eſt, oppoſitus olim fuit error Origenis, qui (vt refert Nicephorus lib. 17. hiſt. Eccl. cap. 27. & 28.) exiſtimauit hominum damnatorum, ipſorumque etiam dæmonum tormenta finem aliquando eſſe habitura.

Refellitur hic error, & noſtræ aſſertionis veritas probatur 1. ex Scriptura S. Matth. cap 25. vbi Chriſtus Dominus refert hæc verba, quæ in extremo iudicio aduerſùs reprobos prolaturus eſt: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis eius*: ex quibus verbis cùm conſtet ignem illum eſſe æternum, ſequitur illius pœnam fore quoque æternam, iuxta id quod ſubiungit; *Ibunt hi in ſupplicium æternum*. & 2. ad Theſſal. 1. de reprobis dicitur quod *pœnas dabunt in interitu æternas*. Et S. Iud. in epiſt. can. dicit Angelos reprobos, *vinculis æternis ſub caligine reſeruari*. Et Apoc. 29. dicitur quòd *Diabolus miſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris, vbi cruciabitur in ſæcula ſæculorum*.

Probatur 2. ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. 1. de Fide Catholica, in quo expreſsè definitum eſt reprobos & malos cum diabolo pœnam perpetuam ſubituros eſſe.

Probatur 3. ex S. Aug. lib. de fide & operibus, cap. 15. vbi de reproborum damnatione loquens: *Erit*, inquit, *æterna eorum combuſtio, ſicut & ignis æternus*. Et S. Amb. lib. 7. in Luc. vbi hæc verba Iſa. 66. (*Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*) de æternis damnatorum ſupplicijs exponit.

4 Quæres quà ratione pœna æterna dæmonibus iuſtè infligatur, cùm illorum peccatum fuerit momentaneum?

Reſpondetur id iuſtiſſimè fieri tam reſpectu dæmonum, quàm etiam hominum reproborum.

1. Quià (vt ait S. Auguſt. lib. 21. de Ciuit. cap. 12.) *Ille dignus eſt æterno malo, qui hoc in ſe peremit bonum, quod eſſe poſſet æternum*

2. Quia (vt dicit S. Thomas in ſuppl. quæſt. 99. art. 1.) pœna peccati taxatur ſecundùm dignitatem eius, in quem peccatur: vnde maiori pœna dignus eſſet, qui percuteret alapa Principem aut Regem, quàm ſi cuicumque alteri priuato hanc iniuriam irrogaret. Atqui ſiue diabolus, ſiue homo mortaliter peccans, contra Deum infinitæ maieſtatis & excellentiæ peccat, eiuſque honori ſummam (quantum in ipſo eſt) infert iniuriam, dum in creatura per peccatum finem vltimum conſtituit. Ergo infinita pœna dignus eſt. Cùm autem creatura, quæ in ſe finita eſt, pœnam ſecundùm intentionem acerbitatis infinitæ ferre non poſſit, pęna ſecundùm durationem temporis infinita illi ſubeunda eſt, quæ proindè iuſtè à Deo illi infligitur.

3. Quia

3. Quia (vt ait S. Greg. lib. 4. Dial. cap. 44.) *Ad magnam iudicantis iuſtitiam pertinet, vt numquam careant ſupplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato.* Qui enim in peccatum mortale propria voluntate labitur, ſe in eum ſtatum iniuſtitiæ redigit, ex quo proprijs viribus erui nuſquam in æternum poterit: vnde ex hoc ipſo quòd vult peccare, vult conſequenter in peccato per totam æternitatem manere. Quare iuſtè a Deo peccator, non ſolùm ob actionem peccati, ſed præſertim ob voluntatem in peccato permanendi, quæ (ſicut dictum eſt) in æternum protenditur, pœna interminabili & æterna plectitur.

SECTIO V.

Quæ ſit dæmonum conditio quoad intellectum & voluntatem.

1 QVæſtionis propoſitæ ſenſus eſt, an intellectus dæmonum ita ſit obcæcatus, vt nullam ampliùs habeat veritatis cognitionem: an item eorum voluntas omninò ſit obſtinata in malo; & quæ ſit illius obſtinationis cauſa.

Quod ſpectat ad intellectum; obſeruandum eſt, duplicem eſſe cognitionem veritatis: vnam ſpeculatiuam; alteram practicam; & vtramque rurſus eſſe, vel naturalem, vel ſupernaturalem. Hac obſeruatione ſuppoſita,

Dicendum 1. cognitionem ſpeculatiuam naturalem integram in dæmonibus poſt peccatum manſiſſe, neque vllo modo fuiſſe diminutam. Ita S.Thom. 1. p. q. 64. a. 1. Quia in dæmonibus poſt lapſum dona omnia naturalia integra remanſerunt, vt docet S. Dionyſius de diuin. nominibus, cap. 4. Et S. Auguſt. libro 2. de Gen. ad lit. cap. 17.

Dicendum 2. cognitionem ſpeculatiuam ſupernaturalem non eſſe in dæmonibus totaliter ablatam, ſed valdè diminutam, vt docet S. Thomas ſuprà.

Quia ſcilicet de rebus ſupernaturalibus aliqua ijs cognitio interdum conceditur, vel mediantibus Angelis, vel aliquibus alijs modis, quanquam propriè loquendo hæc cognitio in eis ſupernaturalis nonniſi materaliter dici debeat, vt rectè obſeruant aliqui Theologi, in quantùm ſcilicet eſt de aliquibus rebus ſupernaturalibus; non verò quòd procedat ab vllo habitu ſupernaturali fidei, quo propter peccatum ſunt ſpoliati: neque ex vllo motiuo ſupernaturali, cuius in ſtatu damnationis ſunt incapaces.

2 Dicendum 3 cognitionem practicam de rebus benè agendis circa res morales, ſiue ſit ordinis naturalis, ſiue ſupernaturalis, fuiſſe dæmonibus ratione peccati detractam.

Pro-

Probatur 1. ex Scriptura, in cuius varijs locis dæmon vocatur homicida, mendax. vt S. Ioan 8. *Cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur.* Item alijs in locis dæmones vocantur ſpirituales nequitiæ, Principes & Poteſtates tenebrarum. Et Ezech. 28. de primo Angelorum dicitur, *Perdidiſti ſapientiam in decore tuo.*

Probatur 2. ex S. Aug. in Enchir. ad Laurentium a. 24. & 25. Vbi dicit ignorantiam rerum agendarum, & concupiſcentiam nociuarum eſſe mala hominibus & dæmonibus communia.

Probatur 3. hac ratione, quia veritas & rectitudo iudicij practici deſumitur ex recta ordinatione affectus & voluntatis erga bonum morale, vt docet in Ethicis Philoſophus, ſed dæmones nec habent, nec habere poſſunt vllum affectum erga vllum morale bonum. Ergo nec etiam iudicium practicum verum & rectum.

3 Quod ſpectat ad voluntatem dicendum eſt voluntatem dæmonum ita eſſe in malo obſtinatam, vt nunquam poſſit flecti & conuerti in bonum. Ita S. Th ſup. a. 2. Eſt de fide contra Origenem, qui ideò cenſebat tormenta dæmonum finem aliquando eſſe habitura: quia (vt refert S. Hier. Epiſt. 61. aduerſus Ioannem Hieroſolymitanum.) exiſtimabat ipſos dæmones pœnitentiam aliquando eſſe acturos.

Refellitur hic error, & veritas noſtræ fidei probatur ex eo quod (vt docet S. Cyprian. in fine libri contra Demetrium) *Quando iſtinc exceſſum fuerit, nullus iam pœnitentiæ, nullus ſatisfactionis effectus:* quod & Scriptura figuratè declarat Eccl. 11. *vbi ceciderit lignum ibi erit*: quod autem homini mors, hoc dæmoni caſus fuit. Et Eccl. 9. dicitur quod *nec ratio, nec ſapientia ſit apud inferos.* Et Iob. 10. quod ibi *nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.* Vnde S. Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 3. dicit: *In igne inferni omnes Angelos præuaricatores, nec mala voluntate poſſe carere, nec pœna.* Et infra, *ſic bonam amiſiſſe voluntatem, vt amiſſam reſumere nequeant.* Et S. Proſper. lib. 3. de vita contemplatiua, rectè obſeruat damnatos mitti in tenebras ligatis manibus & pedibus: (vt dicitur Matth. 22.) eò quod deinceps non poſſint bona vlla opera exercere.

Ratio auté, cur nullus ſit dæmonibus & damnatis, pœnitentiæ locus, eſt, quia nullus eſt gratiæ. Sicut enim hominibus in peccato mortali decedentibus nullam ampliùs gratiam dare decreuit Deus, qua voluntates eorum ad pœnitentiam excitentur: ſic nec Angelis poſt lapſum. Sine gratia autem nec hominis, nec Angeli voluntas ad veram pœnitentiam conuerti poteſt, vt ſupponimus ex dicendis in tractatu de Gratia.

SECTIO VI.

Quomodò à dæmonibus homines impugnentur.

1 CERTVM eſt ex fide, dæmones ex Dei permiſſu poſſe homines impugnare, eoſque ad malum incitare; idque ipſa aliquando, imo ſæpiſſimè facere.

Id conſtat ex varijs Scripturæ locis; vt Gen. 3. vbi refertur primos parentes ad peccatum fuiſſe a dæmone inductos. Et Epiſt. S. Petri c. 5. *Aduerſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret.* Et Epheſ. 6. *Non eſt nobis colluctatio aduersùs carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus, &c.*

Faciunt autem hoc dæmones, Deo non quidem iubente, ſed tamen permittente, illorumque peruerſos conatus in electorum ſuorum bonum ordinante.

Vnde S. Th. q. 114. a. 1. dicit impugnationem hominum à Dæmonibus ex ipſorum dæmonum malitia procedere; ordinem verò impugnationis eſſe à Deo; qui nouit malis bene vti, eaque ad bonum ordinare.

Sicut autem Deus homines à dæmonibus impugnari permittit; ſic & ipſis, cùm impugnantur, gratiæ ſuæ auxilia ſubminiſtrat; quibus, ſi velint, qualibet tentatione ſuperiores poſſint euadere.

Vnde S. Paulus 1. Cor. 10. dicit: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere.* Et 2. Cor. 12. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet: propter quod ter Dominum rogaui, vt diſcederet à me; & dixit mihi: ſufficit tibi gratia mea.*

2 Quæres quomodo fiat illa hominis impugnatio per dæmonem?

Reſpondetur duobus præſertim modis fieri poſſe; dæmone ſcilicet aliquid vel intra hominem, vel extra ipſum operante.

Primo enim modo tentare poteſt, vel commouendo ſpiritus vitales, in quibus ſpecies ſenſibiles continentur, & eas potentijs cognoſcitiuis obijciendo, ſicque prauam aliquam imaginationem efformando, vel commouendo humores & ſpiritus in organo corporeo appetitus ſenſitiui, ſicque indirectè voluntatem ad malum aliquod excitando.

Secundo autem modo (hoc eſt aliquid extra hominem operando) ipſum tentare poteſt, cùm aliquid verum, vel apparens ſenſibus

externis

externis obijcit; vnde occaſio alicuius peccati perpetrandi ipſi homini ſuggeratur. Ita S. Thomas, quæſt, 111. art. 1.2.3.& 4. vbi fusè explicat quæſtione, tam boni quàm mali Angeli, interiùs vel exteriùs in homines agere poſſint.

DE CREATIONE HOMINIS.

CAPVT IV.

De creatione Hominis, ac ſtatu Innocentiæ.

SECTIO I.

Quid de creatione Hominis ſentiendum ſit; & qualis ſit eius anima, an incorporea & immortalis.

1 POST creationem cæterarum omnium rerum, quæ ad mundi conſtitutionem & ornatum ſpectant, ſex diebus factam, ipſomet ſexto die hominem à Deo creatum fuiſſe ſacræ litteræ teſtantur, Gen. cap. 2. Et in primis quidem corpus ipſius hominis virtute diuina è limo terræ formatum fuiſſe; tùm animam rationis capacem, & expertem corruptionis, eadem virtute diuina creatam, & corpori inditam fuiſſe docent his verbis: *Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ? & factus eſt homo in animam viuentem.*

Sunt autem hìc aliqua circa hominis creationem obſeruanda.

Primum eſt, non ſolùm primi hominis, ſed etiam omnium aliorum animas ſingulas immediatè à Deo creari, & corporibus infundi.

Ac proinde falſum eſſe & erroneum id, quod cenſuit Tertullianus (vt refert S. Hieron. in Epiſt. ad Marcellinum & Anapſychiam) ſcilicet animas generari ab animabus parentum, ſicut corpora à corporibus; & ſimul cùm ſemine traduci.

Probatur 1. hæc veritas ex Scriptura. Pſalm. 32. *Qui finxit ſigillatim corda eorum.* Zachar. 12. *Fingens ſpiritum hominis in eo.*

Qui-

Quibus locis ad hanc veritatem probandam vtitur S. Hieronymus Epiſtola ad Pammachium aduersùs errores Ioannis Hieroſolymitani.

Probatur 2. authoritate S.Leonis Papæ Ep. 93. ad Turibium cap. 10. vbi expreſsè dicit, *animas corporibus vniri, non ab alio, niſi ab opifice Deo, qui ipſarum eſt creator.* Ibidem etiam damnat errorem Origenis aſſerentis animas diù ante corporum productionem fuiſſe creatas; definitq; animas hominum non eſſe, priuſquàm corporibus à Deo inſpirentur. Et S.Hilarij lib. 10. de Trin. ante medium; *Anima,* inquit, *opus eſt Dei: carnis verò generatio ſemper ex carne eſt.*

Nota quod S. Thomas quæſt. 118. cap. 2. abſolutè pronunciat hæreticum eſse dicere, animam intellectiuam traduci cum ſemine.

2 Secundum eſt, animam hominis eſſe ſubſtantiam purè ſpiritualem.

Probatur 1. ex Scriptura; in qua, vt plurimùm, anima humana vocatur ſpiritus: Eccl. 12. *Reuertatur puluis in terram ſuam, vnde erat: & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* S.Luc. 23. *In manus tuas commendo ſpiritum meum.* Galat. 5. *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum.*

Probatur 2. ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. 1. vbi definitum eſt, *vtramque creaturam, ſpiritualem & corporalem, conditam eſſe à Deo; angelicam ſcilicet & mundanam: deinde humanam, quaſi communem ſpiritu & corpore conſtitutam.*

Probatur 3. ex SS. Patribus, qui paſſim pro certo affirmant, animam hominis eſſe ſpiritum incorporeum; maximè S.Auguſt. qui varijs in locis contrariam ſententiam refutat, vt lib. de hæreſibus, hæreſi 86. & lib. 10. de Gen. ad cap. 24. & ſequentibus, vbi errorem Tertulliani, animam corpoream aſſerentis, confutat; & Epiſt. 28. ad S. Hieronymum, vbi ſic loquitur: *Incorpoream eſſe animam mihi fateor eſſe perſuaſum.* Et paucis interiectis, *Neque hæc perinde loquor vt te quæ tibi nota ſunt, doceam; ſed vt aperiam, quid firmiſſimè de anima teneam.* Eandem veritatem probat S Hieron. in c. 12. S. Matth. ex illis Chriſti Domini verbis: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* In eadem etiam ſententia ſunt S.Gregorius Papa lib. 21. moral. cap. 2. S.Gregorius Nazianzenus Apologetico 1 non longè ab initio. S. Ambroſius lib. de Noè & Arca cap. 25. & lib. de bono mortis cap. 9. & communiter omnes alij.

3 Tertium eſt, animam humanam, cùm ſit ſpiritualis, eſſe quoq; à corpore independentem, ac proinde immortalem.

Conſtat 1. ex Scriptura, quæ innumeris propè in locis id aſſerit:

N vt

vt Sap.2. *Nec iudicauerunt honorem animarum ſanctarum, quoniam creauit Deus hominem inexterminabilem.* Et c.3. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis.* 2. Cor.3. *Audemus, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum.*

Conſtat 2. ex Concilio Lateranenſi ſub Leone, in quo id expreſsè definitum eſt his verbis; *Damnamus & reprobamus omnes aſſerentes, animam intellectiuam mortalem eſſe, aut vnicam in cunctis hominibus; & hæc in dubium vertentes.*

Conſtat 3. ex S. Dionyſio c.4. de diu. nom. vbi dicit, *Animas humanas eſſe intellectuales, & habere ſubſtantialem vitam inconſumptibilem.* Et S. Ambr. citato lib. de bono mortis c.9. & communiter alij SS. Patres, ex eo quod anima ſpiritualis ſit, inferunt & probant illam eſſe quoque incorruptibilem & immortalem.

Conſtat 4. rationibus, quibus hæc veritas a Philoſophis & Theologis probari ſolet. Quæ rationes petuntur 1. ex ipſius animæ potentiarumque eius præſtantia ac vi operatrice illimitata, quæ in omnes res exiſtentes & poſſibiles, tanquam in obiecta ſibi propria, ferri poteſt; quod quidem formis materialibus nuſquam competit, vt inductione conſtat 2. ex naturali appetitu beatitudinis ipſi animæ indito, qui fruſtrà eſſe dici non debet, nec tamen vllis bonis creatis in hac vita expleri poteſt, vt experientia ſatis eſt compertum. 3 ex operationibus quibuſdam ipſius animæ, à corpore omnino independentibus : quales ſunt plurimæ cogitationes rerum vniuerſalium, aut pure ſpiritualium. Si enim anima operari poteſt independenter a corpore, poterit etiam eſſe independenter ab eodem; cùm (iuxta receptum axioma Philoſophorũ) modus operandi ſequatur modum eſſendi. 4. denique ex conſideratione diuinæ iuſtitiæ. Cùm enim plurima opera mala ab hominibus committantur, ob quæ nullam in hac vita pœnam luunt; multa etiam opera bona exerceantur à iuſtis, ob quæ nullam à Deo videantur recipere mercedem : hinc ſequitur aliam eſſe vitam, in qua à Deo ſummè iuſto, & malis ſupplicium debitum, & bonis præmium meritum, retribuatur. Hoc argumento vſus eſt S. Chryſoſt. ſer.4. de prouidentia: *Si,* inquit, *nihil eſt poſt hanc vitam, ne Deus quidem eſt: ſi Deus eſt, iuſtus eſt: quòd ſi iuſtus ſit, pro dignitate vnicuique retribuet.*

4 Quantum deniq; in creatione hominis obſeruandum eſt, qua ratione dicatur, factum illum eſſe ad imaginem & ſimilitudinem Dei.

S. Auguſtinus tract. 3. in S. Ioan. exiſtimat id eſſe; quia mente rationis capaci præditus eſt. S. Hieron Epiſt. 146. quia voluntatem habet liberam, quam in vtramuis partem flectere poteſt. S. Amb. lib. de bono mortis c.5. hanc Dei ſimilitudinem & imaginem in virtute conſtituit: *Fuga malorum,* inquit, *ſimilitudo Dei eſt, & virtutibus imago*

go Dei acquiritur. S. Ioan. Chryſ. ho. 10. in Gen. in imperio & dominatu, quem homo ſuper animantes, aliaſque creaturas ſibi inferiores à Deo accepit.

Poſſunt conuenientiſſimè hæ & aliæ ſimiles SS. Patrum ſententiæ ſimul iungi: ita vt ad perfectam imaginis & ſimilitudinis cum Deo in anima humana complendam rationem, ſingulæ aliquid conferre cenſeantur: atque ita homo dicatur eſſe ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus, in quantum eſt rationis capax, arbitrij libertate præditus, imperio & dominatu in creaturas ſibi inferiores à Deo donatus, & virtutum ac ſanctitatis decore ornatus.

SECTIO II.

Qualis fuerit conditio primi hominis quoad intellectum.

1 QVæſtio hæc, ſicut & illa, quæ ſectione ſequenti proponetur, intelligenda eſt de homine, in ſtatu illo in quo primùm à Deo creatus fuit, qui communiter vocatur ſtatus innocentiæ, ſeu iuſtitiæ originalis. De homine igitur in illo ſtatu quæritur, qualis fuerit illius conditio quoad intellectum. Pro cuius reſolutione,

Dicendum 1. Adamum in creatione accepiſſe à Deo perfectiſſimam ſcientiam & cognitionem rerum omnium naturalium. Ita S. Th. 1. p. q. 94. art. 3.

Conſtat ex eo quòd Eccl. 17. de primis parentibus dicitur, quòd Deus *Diſciplina intellectus repleuit illos: creauit illis ſcientiam ſpiritus, & ſenſu repleuit cor illorum*. Tum etiam ex eo quòd Gen. 2. Adamus Dei iuſſu cunctis animantibus nomina propria impoſuit: vnde ſequitur, illorum omnium animantium naturas callere debuiſſe: nomina enim, quæ vera & propria ſunt, debent naturis rerum congruere. Hoc argumento, ad probandum perfectam rerum omnium in Adamo fuiſſe ſcientiam, vtitur S. Chryſ. ho. 14 in Gen. & poſt illum S. Thomas ſuprà.

Dicendum 2. quòd, quamuis Adamus clarè & intuitiuè diuinam eſſentiam non cognouerit, illum tamen longè altiorem & perfectiorem Dei cognitionem habuiſſe, quàm nos modo habeamus. Ita S. Th. ſuprà art. 1.

Quod claram eſſentiæ diuinæ viſionem non habuerit, rectè probat S. Doctor, ex eo quòd ſi eam habuiſſet, à Deo per peccatum auerti non potuiſſet, ſicut nec poſſunt nunc beati in cœlo.

Quod autem cognitio illa quam de Deo habuit, altior & perfectior fuerit ea, quam nunc habemus; conſtat ex eo quòd cùm non haberet corpus tale, quod (vt ait Sapiens c. 9.) aggrauaret animam & ſenſum deprimeret, cumque (vt poſtea dicetur) inferiores animæ po-

tentiæ in illo ita eſſent ordinatæ; vt perfectè ſuperioribus ſubderentur, neceas vllo modo impedirent: hinc fiebat (vt ait S. Doctor) quod homo non impediebatur per res exteriores à clara & firma contemplatione rerum intelligibilium, quarum cognitionem per primæ veritatis irradiationem faciliùs percipiebat. Additq; ex S. Aug. lib. 11. de Gen. ad lit. 33. probabiliter dici poſſe, Deum tunc primis hominibus locutum fuiſſe, ſicut loqui ſolet Angelis, ipſa incommutabili veritate illuſtrans mentes eorum, etſi non cum tanta participatione diuinæ lucis.

2 Dicendum 3. Adamo ante peccatum myſteria aliqua ſupernaturalia diuinitùs fuiſſe reuelata: ea ſcilicet, quorum cognitio in primo illo ſtatu fuit ipſi neceſſaria. Ita S. Th. ar. 3.

Vnde S Epiphanius initio Panarij aduerſus 80. hæreſes; dicit myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis fuiſſe ab Adamo cognitum. Et ſanctus Doctor 2.2. q. 2. art. 7. aſſerit eidem Adamo diuinitùs innotuiſſe myſterium Incarnationis; non quidem vt fuit inſtitutum ad liberandum humanum genus à peccato; ſed vt ordinatum erat ad beatificandos homines, ſeu ipſos ad claram Dei viſionem perducendos; quam ipſi proprijs viribus nec mereri, nec aſſequi vnquam potuiſſent. Sunt etiam aliqui Theologi, qui probabile eſſe exiſtimãt Adamum cognouiſſe bonorum Angelorum meritum & beatitudinem, ſimulque malorum caſum & damnationem; tùm ad eius conſolationem, cùm intelligeret nonnullos homines ex ipſo oriundos, in eorum locum aſciſcendos eſſe, tùm etiam ad propriam cautelam. Cætera verò quæ neque ex principijs naturalibus ſciri poſſunt, nec ad homines rectè gubernandos in ordine ad finem ſupernaturalem pertinent, rectè à S. Thoma, ſupra Adamum latuiſſe dicuntur.

SECTIO III.

Qualis fuerit conditio primi hominis quoad voluntatem & alias animæ potentias.

1 DICENDVM 1. Adamum in creatione gratiam ſanctificantem a Deo accepiſſe: ſiue eam poſt creationem à Deo acceperit, ſiue (quod probabilius videtur) in ea creatus fuerit.

Probatur 1. ex Scriptura. Eccl. 7. *Deus fecit hominem rectum.* Atqui non potuiſſet eſſe rectus ſine gratia: quia paſſim in Scriptura rectitudinis nomine denotatur gratia & ſanctitas. Iob. 1. *Erat vir ſimplex & rectus.* Pſ. 7. *Saluos facit rectos corde.* Item Epheſ. 7. *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate*: quibus verbis ſignificat Apoſtolus nos per Chriſti Domini merita renouari ad eam iuſtitiam & ſanctitatem, in qua initio conditi ſumus.

Pro-

Probatur 2. ex Conc. Trid. ſeſſ. 5. vbi anathema dicitur *ei, qui non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiſo fuiſſet tranſgreſſus, ſtatim iuſtitiam & ſanctitatem, in qua conſtitutus fuerat, amiſiſſe.*

Probatur 3. ex SS. Patribus. Idipſum enim docent ſanctus Baſilius hom. 10. Examero n. Et Sanctus Auguſtinus lib. 14. de ciu. cap. 11. & 27.

Dicendum 2. primum hominem ſimul cum gratia ſanctificante accepiſſe reliquas virtutes, & dona Spiritus ſancti, quæ ipſius gratiæ infuſionem comitantur.

Conſtat 1. ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. vbi docet nos in Baptiſmo accipere veram & Chriſtianam iuſtitiam & ſanctitatem, quam Adamus ſua inobedientia ſibi & nobis perdidit. Et initio eiuſdem capitis dicit, illam iuſtitiam & ſanctitatem conſiſtere in ſuſceptione gratiæ & donorum. Quod ſi eam iuſtitiam ſibi Adamus perdidit; ergo eam priùs habuit.

Conſtat 2. ex S. Damaſc. lib. 2. de fide cap. 12. vbi dicit quod *creauit Deus hominem innocentem, rectum, probum, omni virtutum genere exornatum.*

2 Dicendum 3. præter ſuprà dicta, primum hominem accepiſſe à Deo aliud inſigne donum; cuius beneficio appetitus ſenſitiuus, tùm concupiſcibilis, tùm iraſcibilis, ita erat parti ſuperiori animæ ac rationi ſubiectus; vt nunquam, niſi ex illius præſcripto & imperio moueretur, nihilque ſaltem inordinatum poſſet præueniendo rationem appetere,

Conſtat 1. ex Conc. Trid. ſeſſ. 5. cap. vltimo, vbi explicans verba Apoſtoli Ro. 7. ſenſualitatem peccatum appellantis, ait, hanc ſenſualitatem, id eſt appetitum ſentientem, motibus ſuis inordinatis rationem præuenientem, dici peccatum, quia à peccato eſt, & ad peccatum inclinat: quod ſi à peccato eſt, ergo ante peccatum non erat.

Conſtat 2. ex S. Aug. lib. 3. de peccato originali contra Pelagium c. 35. vbi dicit in ſtatu innocentiæ motus ſenſualitatis futuros fuiſſe obedientes *imperio tranquilliſſimæ charitatis.*

3 Dicendum 4. donum illud perfectæ ſubiectionis appetitus ſenſitiui ſub imperio rationis, fuiſſe gratuitum, & naturæ hominis minimè debitum, ac proinde ſupernaturale.

Probatur tùm ex eo quod inter articulos Michaelis Baij à Pio V. & Gregorio XIII. damnatos, hic erat, *Integritas primæ conditionis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio: ſed debita eius conditio.* Tùm etiam quia ex communi Theologorum conſenſu, poſt peccatum omnia naturalia in homine integra remanſerunt, quia peccatum quatenùs præcisè peccatum eſt, nulli perfectioni purè naturali

repugnt. Atqui certum eſt in hominibus prædictam illam ſubiectionem ampliùs non reperiri; Ergo hæc ipſi naturalis eſſe dici non poteſt.

Porrò ad illud donum ſubiectionis ſuprà explicatum, accedit aliud non minùs excellens, dominium ſcilicet, quod homini in omnia animalia in ſtatu innocentiæ perfectè competebat, vt conſtat ex 1. Gen. Quamuis autem hoc dominium naturaliter homini conuenire videatur, multò perfectiùs tamen illud diuino munere habuiſſet, ſi in ſtatu innocentiæ perſeueraſſet. Tunc enim (vt rectè, obſeruat Caietanus ad q.96. art.1.) non ſolùm ſubiecta, ſed etiam ſubdita & obtemperantia ſibi homo habuiſſet animalia; nunc autem, etſi naturaliter homini ſubiecta ſint, illi tamen nec ſubduntur, nec obediunt, vt ſatis experientia conſtat.

Dicendum eſt 5. probabiliſſimum eſſe, iuſtitiam originalem, in qua primus homo conditus eſt, non fuiſſe vnum aliquem ſimplicem habitum, quo totus homo rectus & perfectus euaderet; ſed potiùs fuiſſe quandam aptiſſimam plurimorum habituum ſupernaturalium complexionem; quorum alij in intellectu, alij in voluntate, alij denique in inferiori animæ parte reſiderent; quibus proinde totus homo ſecundùm omnes faultates ſuas perficiebatur in ordine ad finem ad quem creatus eſt. Ita Pererius lib. 5. in Gen. num.88. Salianus in Annal. veteris teſtamen. ad diem 7. creationis num.78. & plures alij.

Ratio eſt: quia vnus & ſimplex habitus non potuiſſet tam multiplices & varios effectus producere, & tam diuerſas facultates regere ac mouere, ac in ſubjectis adeò differentibus reſidere.

4 Dicendum 6. primum parentem non ſibi ſoli iuſtitiam originalem a Deo accepiſſe, ſed etiam ſuis poſteris, id eſt illam ab ipſo ſi non peccaſſet, in poſteros fuiſſe transfundendam.

Id ex fide certum eſt, vt patet ex doctrina & definitione Concilij Tridentini ſeſſ.6. cap.6. aſſerentis Adamum per ſuam inobedientiam ſibi & nobis perdidiſſe iuſtitiam illam, quam a Deo acceperat, & ſeſſ.5. can.2. anathema dicitur ei, qui aſſeruerit Adæ præuaricationem ſibi ſoli, & non eius propagini nocuiſſe; & acceptam a Deo ſanctitatem, & iuſtitiam, illum ſibi ſoli, & non etiam nobis perdidiſſe; hanc autem ille nobis perdere non potuiſſet, niſi eam in nobis transfundendam accepiſſet.

SECTIO IV.

An in ſtatu innocentiæ homo fuiſſet immortalis.

1 DVPLEX eſt immortalitas, vt notat Magiſter in 2. diſt. 19. vna qua quis poteſt non mori, altera, qua non poteſt mori. De priore tantùm quæſtio intelligenda eſt: certum eſt enim ſecundùm immortalitatis genus, proprium eſſe tantùm ſtatus gloriæ poſt reſurrectionem. Hac diſtinctione ſuppoſita,

Dicendum eſt hominem in ſtatu innocentiæ futurum fuiſſe immortalem priori modo, hoc eſt, quòd ſi non peccaſſet, potuiſſet non mori.

Hæc veritas, quæ de fide eſt; conſtat 1. ex Scriptura Sapient. cap. 1. *Deus mortem non fecit*, & cap. 2. *Deus creauit hominem inexterminabilem; inuidia autem diaboli, mors introiuit in orbem terrarum.*

Conſtat 1. ex Concilijs Mileuitano can. 1. & Tridentino ſeſſ. 5. vbi hæc veritas tanquam fide certa definita eſt.

Quæres quanam ratione fieri potuiſſet vt homo in illo ſtatu immortalis extitiſſet: ſiquidem corpus eius, vtpote ex quatuor elementis compactum, natura ſua fuiſſet diſſolubile?

Reſpondetur immortalitatem hominis in ſtatu illo cauſandam fuiſſe, tùm ex prouidentia Dei ſpeciali, qua fuiſſet ab omni læſione agentium externorum præſeruatus; tum etiam ex eſu fructuum arboris vitæ, quibus, præter id quod illis cum aliarum arborum fructibus commune erat, nempè alere & nutrire hominem, duplex adhuc inerat vis; vna reparandi humoris radicalis, illiuſque in primigeniam puritatem reſtituendi: altera caloris natiui corroborandi, ipſiuſque vigorem priſtinum reſtaurandi.

Ita S. Thom. q. 97. a. 4. cap. 26. & conſtat prætereà ex S. Auguſt. lib. 14. de ciuit. vbi etiam docet hominem in ſtatu innocentiæ, non ſolùm immortalem futurum fuiſſe, ſed & impaſſibilem, hoc eſt expertem omnis læſionis & immutationis corruptiuæ quæ mortem aut morbos induceret. Quod & probat S. Doctor art 2. ex eo quòd, ſi paſſibilis fuiſſet, fuiſſet etiam corruptibilis, ac proinde mortalis: quod enim pati poteſt aliquid naturæ ſuæ contrarium, poteſt etiam corrumpi.

Obſeruandum eſt autem 1. ex S. Doctore cit. art. 2. lignum illud vitæ, virtutem habuiſſe conferendi immortalitatem, non abſolutè & ſimpliciter, itavt qui ſemel de illius fructu comediſſet, mori ampliùs non potuiſſet: ſed tantùm vſque ad certum aliquod & determinatum tempus: quo elapſo, vel homo ad ſtatum gloriæ tranſla-

tus fuiſſet, vel illius eſu iterùm vti debuiſſet.

12 Obſeruandum 2. ex eodem S. Doctore quæſt. 102. a. 1. Paradiſum illum, in cuius medio dicitur Gen. 3. lignum vitæ plantatum fuiſſe, & in quem primus homo poſt creationem à Deo tranſlatus eſt, fuiſſe verum & corporeum locum in partibus Orientis ſitum, & maxima aeris temperie præditum.

Conſtat 1. ex cap. 2. Gen. vbi locus & arbores & flumina Paradiſi adeò accuratè commemorantur, vt manifeſtè appareat ea narratione non aliquid myſticè & figuratè ſignificari, vt Philo & Origenes falsò exiſtimauerunt: ſed hiſtoriam veram proponi, vt rectè probant S. Chryſ. ho. 13. in Geneſim.

Conſtat 2. ex traditione Eccleſiæ, cuius teſtis eſt ſexta Synodus generalis actione 13. vbi approbatur Epiſtola Sophronij, quæ actione 11. reciatat fuerata, in qua Epiſtola Origeniſtę damnantur ex eo quod, præter plurimos alios errores, etiam *contra paternam & Apoſtolicam traditionem, Paradiſi plantationem proiecerint.*

Quæres, an adhuc extet ille Paradiſus: an verò aquis diluuij, vel aliquo alio modo fuerit deſtructus?

Reſpondetur S. Irenæum lib. 5. contra hær. cap. 5. S. Athanaſium in Epiſtolam de Nicæna Synodo, cap. 3. & quoſdam alios ſanctos Patres exiſtimare, Paradiſum illum adhuc extare, in eumque Enoch & Eliam fuiſſe tranſlatos, ibique etiamnum viuere. Sunt è contra quidam alij, qui illum non amplius extare ſentiunt. Alij denique media via incedentes, regionem illam, in qua Paradiſus erectus fuit, adhuc extare quidem arbitrantur; ipſas tamen loci delicias, arbores, fontes, aliaque ornamenta, Deo volente, ita exoleuiſſe, vt nimirum non ſit, certa eius aliqua veſtigia nuſquam gentium reperiri.

DE

DE LAPSV HOMINIS.

CAPVT V.

De lapſu hominis, & peccato originali.

SECTIO I.

Quale fuerit primorum parentum peccatum.

1 SVPPONIMVS 1.(ſicut docet ſacra Scriptura.Gen.3.)diuinæ ſapientię viſum fuiſſe hominem à ſe recenter conditum impoſito præcepto ſibi declarare ſubiectum, cæteris enim arboribus Paradiſi ad eſum conceſſis, vnius tantùm exceptio facta eſt;à cuius fructibus,Deo ita iubente,abſtinere deberet.

Quod quidem præceptum (vt obſeruat S.Chryſ.ho. 14.in Gen.) probandæ obedientiæ conuenientiſſimum fuit : quippe quod datum eſt,non de malo aliquo vitando,aut bono faciendo,quod naturæ lex, aut recta ratio vitandum, aut faciendum dictaret; ſed quod ex ſola iubentis voluntate penderet, ac ſola Dei authoritate niteretur.

Supponimus 2.ex eodem c.3.Gen. primos parentes,Deo ita permittente,fuiſſe à dæmone tentatos: *Neque enim*,vt ait S.Aug.lib. de Gen.c.4. *Magna laus illis fuiſſet;ſi propterea bene viuerent,quia nemo malè viuere ſuaderet.*

Quamuis autem Caiet. & aliqui alij exiſtiment narrationem tentationis illius,quæ in illo Geneſis loco habetur, eſſe myſticam & figuratam;nec vllum ſerpentem exteriùs interueniſſe; ſed diabolum, qui ſępè in Scripturis ſerpentis nomine deſignatur,per ſuggeſtionem merè internam primos parentes impugnaſſe:illa tamen opinio meritò ab omnibus reijcitur;communiſque & receptiſſima Doctorum ſententia eſt, dæmonem in hac tentatione veri ſerpentis organo vſum fuiſſe, eaq;omnia,quæ in illo c.3.referuntur, non figuratè, ſed propriè & literaliter intelligẽda eſſe,vt de facto intellexerunt S.Aug.l.11 de Gen.ad lit.c.17.& S.Chry.ho.16.in Gen.& cõmuniter alij omnes.

His præſuppoſitis:quæritur,quale fuerit peccatum,quod primi parentes commiſerunt:cum tentationi dæmonis conſenſerunt , & dè fructu vetito comederunt. Pro cuius reſolutione,

Di-

Dicendum 1. non vnum, ſed multiplex fuiſſe illorum peccatum. Ita S. Doct. opuſc. 2. c. 190. vbi docet quinque modis Euam peccaſſe. *Primò enim*, inquit, *peccauit peccato ſuperbiæ, qua inordinatè excellentiam appetijt, 2. curioſitatis, qua ſcientiam vltrà terminos ſibi præfixos concupiuit. 3. gulæ, qua ſuauitate cibi permota eſt ad edendum, 4. infidelitatis, per falſam æſtimationem de Deo, dum credidit verbis diaboli contra Deum loquentis 5. inobedientiæ, præceptum Dei tranſgrediendo*. Addi poteſt & ſextum, ſcandali ſcilicet; quia fuit in lapidem offenſionis, & in petram ſcandali viro ſuo, & per ipſum omni generi humano: poſtquam enim ipſa peccauit, virum quoque ſuum ad peccatum induxit. Qui quidem præter alia ſupradicta peccata, quæ ipſi cum vxore communia fuerunt, peccauit inſuper (vt notat S. Aug. ſup. c. 42.) peccato inordinati erga vxorem amoris, eligens potiùs Deo diſplicere, quàm vxorem contriſtare.

3 Dicendum 2. inter illa primorum parentum peccata, primum & præcipuum fuiſſe peccatum ſuperbiæ. Ita S. Doctor 2. 2. quæſt. 163. art. 1.

Conſtat 1. ex eo quod Eccl. c. 10. dicitur *Initium omnis peccati ſuperbia*. Et Tob. 4. *In ipſa enim initium ſumpſit hominis perditio*.

Conſtat 2. ex S. Greg. lib. 4. Moral. cap. 9. *Duas*, inquit, *ad intelligendum ſe, creaturas fecerat Deus, angelicam ſcilicet & humanam, vtramque verò ſuperbia perculit*. Eaque eſt communis SS. Patrum ſententia, ac præſertim S. Auguſt. l. 14. de Ciuit. c. 13. & 15. S. Fulgentij lib. 2. de Incarnatione & gratia Chriſti cap. 22. Et S. Bernard. ſerm. 1. de aduentu.

Conſtat 3. ea ratione qua vtitur S. Doctor ſuprà: cùm enim in ſtatu innocentiæ pars inferior animæ ſuperiori perfectè ſubdita eſſet, prima inordinatio appetitus humani non potuit eſſe circà bonum aliquod ſenſibile: vnde ſequitur quòd fuerit circa bonum aliquod ſpiritale, quod appetijt ſupra menſuram ſibi ex diuina regula præſtitutam. Et hoc ſuperbiæ proprium eſt.

Quæres in quo poſitum fuerit peccatum illud ſuperbiæ primorum parentum?

Reſpondetur in eo poſitum fuiſſe, quod vterque illorum inordinatè diuinam ſimilitudinem appetijt, idque duobus modis (vt docet S. Thom. ſup. art. 2.) Primò quantùm ad ſcientiam boni & mali: vt ſcilicet per virtutem propriæ naturæ determinaret ſibi, quid eſſet bonum & quid eſſet malum ad agendum, vel etiam vt per ſeipſum præcognoſceret, quid ſibi boni vel mali eſſet euenturum. Secundò quantùm ad poteſtatem operandi: vt ſcilicet virtute propriæ naturæ operaretur ad beatitudinem conſequendam: vnde S. Aug. lib. 11. de Gen. ad litt. cap. 30. dicit quod *menti mulierum inerat amor propriæ poteſtatis, & quædam de ſe ſuperba præſumptio*. Et in Enchir.

cap. 45. de peccato primi hominis de ſe loquens dicit quod *per ſuperbiam homo in ſua potiùs eſſe, quàm Dei poteſtate dilexit*.

SECTIO II.

An peccatum primi hominis in eius poſteros traducatur.

1 CERTVM eſt Adamum per ſuam præuaricationem, non tantùm ſibi nocuiſſe, ſed etiam poſteris ſuis (vt expreſsè definitum habetur in Concilio Tridentino ſeſſ. 5. can. 2.) ipſoſque proinde ſimul cum illo per primum eius peccatum amiſiſſe originalem iuſtitiam, eiuſque dotes omnes, mortemque ac ærumnas varias corporis & animæ incurriſſe.

Sed ex omnibus malis, quæ primi hominis præuaricatio ſecum inuexit, nullum grauius & acerbius macula illa & fœditate originali, quam in ipſo conceptu contrahunt omnes, qui de vitiata illius propagine oriuntur. De qua nunc quæritur, an veram & propriam peccati rationem habeat? ſeu an poſteri Adami propriè dictum peccatum ab ipſo contrahant. Pro cuius reſolutione,

Dicendum eſt peccatum primi hominis in eius poſteros traduci, illoſque in primo conceptionis momento, quo anima corpori organizato infunditur, contrahere ab ipſo peccatum originale.

Huic veritati quæ de fide eſt, opponitur error Pelagianorum; qui (vt refert ſanctus Auguſtinus lib. 3. de peccat. meritis ac remiſſione cap. 6. & lib. de hæreſibus, hæreſi 88.) aſſerebant pueros nullum ex primo parente peccatum contrahere; mortem & alios eiuſmodi defectus fuiſſe ipſis in prima creatione naturales; homineſque tales poſt Adami peccatum naſci, quales ante ipſius peccatum nati fuiſſent; adeòque peccatum illud Adami humano generi obfuiſſe, non propagatione, ſed exemplo, quatenùs imitati ſunt eum omnes qui poſteà peccauerunt. Huic Pelagianorum errori poſteà ſubſcripſerunt Albigenſes, Anabaptiſtæ, & alij qui videri poſſunt apud Bellarminum tom. 4. lib. 4. cap. 2.

Refellitur hic error; & oppoſita veritas probatur 1. ex Scriptura. Pſal. 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*. quæ verba de peccato originali explicat ſanctus Auguſtinus enarratione in ipſum Pſalmum. Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, &c. in quo omnes peccauerunt*.

Probatur 2. authoritate Concilii Arauſicani ſecundi can. 2. & Concilij Trident. ſeſſ. 5. can. 2. in quibus definitum eſt, per primi hominis inobedientiam, non tantum mortem & pœnas corporis, ſed

etiam peccatum (quod eſt mors animæ) in omne genus humanum tranſiſſe.

Probatur 3. ex S. Cypr. lib. 3. Epiſt. 8. ad Fidum. *Infans*, inquit, *recens natus nil peccauit, niſi quod ſecundùm Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima natiuitate contraxit*. Et S. Amb. lib. de Apologia Dauid cap. 11. *Antequam naſcamur*, inquit, *maculamur contagio: antequam vſuram lucis, originis ipſius excipimus iniuriam, in iniquitate concipimur*.

Probatur 4. ex eo quod Baptiſmus ex Chriſti inſtitutione & præcepto neceſſarius eſt, non ſolùm adultis, ſed etiam infantibus; vt è poteſtate dæmonis eripiantur, & remiſſionem peccati percipiant: vt patet ex orationibus, quas baptiſmi Sacramento Eccleſia permittit. At baptiſmus non confertur infantibus in remiſſionem peccatorum actualium, quæ committere non potuerunt, & ob quæ in poteſtatem dæmonis eſſe dici non poſſunt. Ergo baptiſmus datur illis in remiſſionem alicuius peccati, quod a primo parente contraxerunt.

3 Obſeruandum 1. peccatum illud originis traduci in poſteros ex Adami perſona: vnde dicit Apoſtolus 1. Cor. 15 quod *in Adam omnes moriuntur*. Et in Conc. Trid. ſuprà, dicitur Adamum non ſibi ſoli, ſed etiam poſteris gratiam perdidiſſe. Ex quo ſequitur quod ſi Eua peccante, Adamus non peccaſſet, eius poſteri nullum in origine peccatum contraxiſſent.

Obſeruandum 2. non ſolùm aliquos Adami poſteros, ſed omnes omninò, qui ab eo via ordinaria propagantur, peccatum originale contrahere, vt manifeſtè conſtat ex antedictis. Quod quamuis verum ſit, Doctores tamen ab hac generali regula ſanctiſſimam Virginem Dei genitricem Mariam excipiunt. *De qua propter honorem Domini* (vt loquitur S. Aug. lib. de natura & gratia cap. 36.) *nullam prorsùs cùm de peccatis agitur, oportet habere quæſtionem*. Et quamuis ſuper hac re nihil adhuc ab Eccleſia definitum fuerit, imo Sixtus V. in extrauaganti, *graue nimis*, de reliquijs & veneratione Sanctorum, prohibuerit ne quis affirmantem aut negantem partem, hæreticam eſſe cenſeat, ea tamen ſententia, quæ aſſerit ſanctiſſimam illam Virginem ab omni originalis peccati labe fuiſſe prorsùs immunem, adeò vnanimi Doctorum Catholicorum zelo propugnatur, vt Paulus V. Pontifex maximus decreto ſuo prohibuerit, ne quis in concionibus, lectionibus, aut quibuſcumque actibus publicis contrarium auderet aſſerere. Quam prohibitionem Gregorius XV. eius ſucceſſor ad priuata etiam colloquia extendit: Et inter decreta nobiliſſimæ ſcholæ Sorbonicæ illud obſeruatu dignum eſt, quo immaculatam Deiparæ Conceptionem impugnari à ſuis prohibuit: imò potiùs ab illis quacumque data occaſione propugnari & ſtabili-

biliti voluit: & ad illius decreti obſeruationem eos iureiurando peculiari obſtrinxit. In quo & ſuam in tuenda Virginis immaculatæ dignitate pietatem oſtendit, & omnibus alijs facem prætulit ad id præſtandum.

SECTIO III.

Quid ſit propriè peccatum originale.

1 OBSCVRA & difficilis eſt hæc quæſtio, ſiquidem (vt rectè dixit S. Aug. lib. 1. de moribus Eccleſiæ cap. 22. *Nihil eſt peccato originali ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum ſecretius*. Et certè antiquorum Patrum veſtigijs inhærere meliùs fuiſſet qui (vt refert idem S. Doct. lib. 3. de peccat. meritis & remiſſione c. 6.) ſimpliciter credebant Adami poſteros peccatum verè incurrere, & eſſe natura filios iræ, vt loquitur Apoſtolus; nec vlterius quid eſſet illud peccatum originale, inquirebant. Verùm, cùm huius temporis hæretici ſuper hac re varia dogmata praua & erronea protulerint, multùm intereſt in hac quæſtione ſaltem agnoſcere, quid à veritate Catholica ſit alienum, ac proinde quid repudiandum: vt poſteà, quid tutò teneri poſſit, facilius innoteſcat.

Duæ ſunt igitur præcipuæ hæreticorum huius temporis ſuper hac quæſtione ſententiæ, quæ breuiter hìc à nobis refutandæ ſunt.

Prima eſt Matthiæ Illyrici, qui variis in libellis à ſe editis aſſeruit, vel potiùs ſomniauit originale peccatum eſſe ſubſtantiam quamdam à dæmone factam, quæ ſit ipſius dæmonis viua & eſſentialis imago: quæ per peccatum primi hominis rationali animæ cujuſque poſterorum eius ita impreſſa ſit, vt illam totam ſubſtantialiter corruperit, & in imaginem diaboli transformarueit.

Refellitur hic error in primis ex eo quòd peccatum non eſt ſubſtantia, ſed potius priuatio & defectus, vt ſupponimus ex tractatu de peccatis. Deinde ex eo quod dicitur Gen. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*. Capite autem 1. S. Ioan. dicitur, *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*. Cùm igitur omne id, quod aliquam exiſtentiam realem habet à Deo factum ſit; & quidquid à Deo factum eſt, valde bonum ſit, hinc manifeſtè ſequitur, peccatum, quod eſt eſſentialiter malum, non poſſe eſſe aliquid, quod exiſtentiam realem habeat; nec proinde eſſe ſubſtantialem aliquam diaboli imaginem.

2 Secunda ſententia eſt Lutheri ar. 2. de concupiſcentia remanente in baptizatis, & Caluini libro 1. Inſtit. cap. 1. paragr. 8. qui aſſerunt peccatum originale nihil aliud eſſe; quam concupiſcentiam, ſeu inordinationem potentiarum inferiorum animæ, quam vocant hæredi-

hæreditariam naturæ noſtræ corruptionem, ſeu prauitatem; quæ reos nos facit damnationis.

Refellitur hic error 1. authoritate Scripturæ. Rom. 8. *Nihil ergo damnationis ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu*; per baptiſmum ſcilicet vt explicat Concilium Tridentinum ſeſſ. 5. cap. 5. Atqui in baptizatis remanet concupiſcentia & inordinatio illa inferioris appetitus, iuxta illud Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Et ad Galat. 5. *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum.* Ergo, &c. Et in Epiſt. Canonica S. Iacobi cap. 1. *Concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum*: quem locum explicans S. Auguſt. lib. 6. cap. 15. aduerſus Iulianum: *Profectò*, inquit, *in his verbis partus à pariente diſcernitur, pariens, eſt concupiſcentia; partus, peccatum; ſed concupiſcentia non parit, niſi conceperit: non concipit, niſi illexerit, hoc eſt ad malum perpetrandum obtinuerit voluntatis aſſenſum.* Ex quibus verbis Apoſtoli ſic explicatis patet, concupiſcentiam non eſſe peccatum, ſed cauſam peccati: vt in tractatu de peccatis fuſiùs dicetur.

Refellitur 2. authoritate Concilij Tridentini ſeſſ. 5. can. 5. *Si quis per Ieſu Chriſti gratiam, quæ in baptiſmate confertur, reatum peccati originalis remitti negat, aut aſſerit, non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet: anathema ſit, &c manere autem in baptizatis concupiſcentiam vel fomitem, hæc ſancta Synodus fatetur & ſentit. Quæ cum ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, ſed viriliter per Ieſu Chriſti gratiam repugnantibus, non valet: quinimò, qui legitimè certauerit, coronabitur. Hanc concupiſcentiam, quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat, ſancta Synodus declarat Eccleſiam Catholicam nunquam intellexiſſe peccatum appellari, quod verè & propriè peccatum ſit: ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. Si quis, autem contrarium ſenſerit, anathema ſit.*

Refellitur 3. authoritate SS. Patrum S. Ioannis Chryſoſt. hom. 13 in Epiſt. ad Rom. *Ipſæ*, inquit, *paſſiones in ſe peccatum non ſunt, effrenata verò ipſarum immoderantia peccatum operata eſt.* S. Auguſt. lib. 1. de nuptijs & concupiſcentia cap. 23. *Concupiſcentia*, inquit, *in renatis iam non eſt peccatum, ſi ei ad illicita opera non conſentitur.* Et lib. 6. cont. Iulia. cap. 7. *Percipitur in Baptiſmo perfecta nouitas, & perfecta ſanitas ab ijs malis noſtris, quibus eramus rei: non ab ijs, cum quibus confligendum eſt, ne ſimus rei.*

3 His igitur erroribus refutatis, reſtat vt breuiter videamus, quid de propoſita quæſtione ſentiendum ſit, & quid propriè ſit peccatum originale.

Omiſſis autem varijs Theologorum ſententijs (quas hîc referre noſtri inſtituti non eſt) omnium probabiliſſima eſſe videtur ea, quæ

aſſe-

aſſerit peccatum originale formaliter nihil aliud eſſe, quam priuationem ipſius iuſtitiæ originalis, quatenùs per illam hominis anima ſanctificabatur, & perfectè Deo ſubijciebatur: non verò quatenùs pars inferior animæ perfectè ſubdita per ipſam reddebatur ſuperiori, corpuſque à corruptione omni, ac læſione eximebatur. Ita S. Thomas 1.2. quæſt. 82.

Ratio eſt, quia peccatum originale in eo formaliter conſiſtit, quod per Baptiſmi Sacramentum tollitur priuatio illa iuſtitiæ originalis ſuperiùs explicata, cùm per illud gratia infundatur, quæ animam ſanctificat, eamque habitualiter perfectè Deo ſubijcit, tùm per ſe, tùm per alios habitus ſupernaturales, quos ſecum in illam inuehit: non tollitur autem per baptiſmum inordinatio appetitus inferioris, ſicut nec ſubectio ad mortem, & alia huius vitæ incommoda. Ergo in illa ſola iuſtitiæ originalis priuat one ſuperiùs explicata, conſiſtit peccatum originale.

4 Quæres 1. quomodo hæc priuatio iuſtitiæ originalis, veram & propriam in Adæ poſteris peccati rationem habeat?

Reſpondetur id prouenire, ex eo quòd inerat illis obligatio ac debitum naſcendi cum illa iuſtitia originali, provt animam ſanctificabat, & perfectè Deo ſubdebat; idque virtute præcepti diuinitùs ipſi Adamo impoſiti, tanquam totius generis humani capiti: quo obligabatur, non tantùm ſibi iuſtitiam illam & ſanctitatem obedientia ſua ſeruare, ſed etiam in poſteros ſuos tranſmittere. Vnde S. Anſelmus lib. de conceptu Virginali cap. 26. *Hoc peccatum, inquit, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in ipſis infantibus; niſi ipſam quam ſupra poſui, factam per inobedientiam Adæ iuſtitiæ debitæ nuditatem, per quam omnes ſunt filij iræ.*

Quæres 2. vnde conſtet præceptum illud obedientiæ datum fuiſſe Adamo, vt principi & capiti totius generis humani, non verò vt priuatæ perſonæ?

Reſpondetur id conſtare ex iis Scripturæ locis, in quibus dicitur omnes Adami poſteros in ipſo per eius inobedientiam peccaſſe, per illamque peccatores fuiſſe conſtitutos; vt Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, in quo omnes peccauerunt.* Et rursùs ibidem: *Per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi.* Neque enim meliùs explicari poteſt quomodò id factum fuerit, quàm quia præceptum illud Adamo impoſitum ſit, vt principi & capiti totius humani generis, in cuius ſic ſpectati voluntate omnes omnium eius poſterorum voluntates quodammodo continebantur: non ſecùs ac ſubditorum voluntates in Principis voluntate, & motus omnes membrorum voluntarij in ipſa animæ voluntate.

5 Quæres 3. cur Deus voluerit Adamo, vt capiti totius humani gene-

generis, non verò tantùm, vt priuatæ perſonæ illud obedientiæ præceptum imponere; quod tamen præuidebat ab ipſo eſſe infringendum?

Reſpondetur non eſſe noſtrum id curioſiùs inueſtigare; ſed ſatius eſſe humiliter agnoſcere & confiteri, id iuſtiſſimo, licet occultiſſimo Dei iudicio, factum eſſe; vt ingenuè fatetur S. Auguſtinus in libris contra Iulianum, & S. Bernardus ſerm. 1. de Dom. 1. poſt Epiphaniam. Vnde Apoſtolus poſtquam dixit Rom. 11. quod *concluſit Deus omnia in incredulitate, vt omnium miſereatur*: exclamat: *quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! quis enim cognouit ſenſum Domini?*

Quæres 4. quomodò fieri poſſit vt anima cujuſque hominis peccatum illud originale ab Adamo contrahat; cùm ab illo non oriatur per generationem, ſed à Deo immediatè creetur, & corpori infundatur?

Reſpondetur peccatum illud contrahi, quatenùs anima rationalis à Deo creata vnitur corpori, quod ab Adamo per generationem ordinariam deriuatur, & per hanc vnionem fit pars hominis ab Adamo ortum habentis primo ſuæ generationis inſtanti habere ſanctitatem & iuſtitiam in ea ſui parte, quæ illius habendæ capax eſt, quam cùm non habeat primo illo momento, inuenitur proinde priuatus iuſtitia ac ſanctitate debita: & ex conſequenti inquinatus originali peccato, quod (vt dictum eſt) in illius iuſtitiæ ac ſanctitatis priuatione formaliter conſiſtit. Quod ſi cui hæc ſolutio plenè non ſatisfacit in hàc quæſtione, quæ vel ipſi S. Auguſtino difficillima ſemper viſa eſt audiat ipſum ſanctum Doctorem Epiſt. 29. ad S. Hieron. vbi dicit, *ſufficere nobis debere, vt ſciamus modum, quo ab originali peccato liberari poſſumus; etiamſi neſciamus modum, quo in illud inciderimus.*

SECTIO IV.

Quinam ſint effectus peccati originalis in hac vita.

1 CVM (vt ſuprà dictum eſt originale peccatum conſiſtat formaliter in priuatione ſanctitatis & gratiæ, quæ per iuſtitiam originalem homini collata fuiſſet; ſequitur priuationem omnium aliorum donorum, quæ iuſtitia originalis in ſe complectebatur (vt capite præcedenti, ſectione 3. diximus) eſſe effectum ipſius peccati originalis. Ex hac priuatione autem ſecuta eſt ipſius naturæ humanæ debilitatio; & in deterius commutatio, ac corruptio; de qua loquitur Concilium Arauſicanum 2. can. 1. vbi dicitur,

tur, *Totum Adam per illam prauaricationis offenſam ſecundùm corpus & animam in deterius commutatum fuiſſe*.

Hunc verò peccati effectum plenius explicans S. Thomas 1. 2. quæſt.85.art.1. dicit, per peccatum originale hominem fuiſſe ſpoliatum gratuitis; & vulneratum in naturalibus. Et art.3. enumerat quatuor vulnera animæ potentijs per peccatum originale inflicta, ſcilicet in intellectu ignorantiam, in voluntate malitiam, in iraſcibili infirmitatem, & in concupiſcibili concupiſcentiam, ſeu habitualem illam inclinationem vel procliuitatem ad bonum ſenſibile, rectæ rationi repugnans, quæ alio nomine communiter fomes peccati dicitur.

Porrò hæc naturæ humanæ per peccatum originale vulneratio ac corruptio, non ita intelligenda eſt (vt rectè docet Philippus Gamachæus in 1.2. quæſt.85. cap.1. Nicolaus Iſambertus ad 1.2.quæſt. 83.diſp.6.art.1. & alij Doctores communiter) quòd per peccatum originale natura humana corrupta ſit, aut quòd vlla eius propria & intrinſeca perfectio deperierit, vt dicunt hæretici, aſſerentes liberum arbitrium fuiſſe in homine extinctum; id eſt, per peccatum originale ſublatam fuiſſe & deſtructam voluntatis humanæ indifferentiam ad oppoſita, in qua eius naturalis libertas propriè conſiſtit.

Caluinus enim lib.2. Inſtit. cap.2. ideò tantùm negat liberum hominis arbitrium poſt peccatum, quod homo poſt illud, liberam non habeat boni, vel mali electionem; ac quidquid benè vel malè operatur, illud neceſſariò, quamuis non coactè, ſed ſponte operetur; quia in hominibus, æquè ac in Angelis, poſt peccatum naturalia omnia integra remanſerunt, vt ex S. Dionyſio c.4. de diuin. nom. docet S. Thom. 1. p. q.95. art.1. & cum eo communiter omnes Theologi.

2 Sed ideò dicitur natura humana per peccatum corrupta: quia per illud priuata eſt iuſtitia & ſanctitate originali, quæ ipſi, tanquam forma quædam ſupernaturalis, inerat, qua perficiebatur in ordine ad Deum: Omnis enim deſtructio formæ, eſt quædam ſubjecti, cui ineſt, per quam illud perficitur corruptio.

Dicitur etiam vulnerata ob imperfectiones, quæ priuationem illam iuſtitiæ originalis conſecutæ ſunt. Quæ quidem imperfectiones vulnera dicuntur, non quòd homo in puris naturalibus conſtitutus ijs obnoxius non fuiſſet; ſed quia tunc non habuiſſent rationem pœnæ, nec ex aliquo reatu ortum habuiſſent; ſed ex conditione ipſius naturæ.

Quare in puræ naturæ ſtatu dicerentur defectus, in ſtatu verò naturæ lapſæ dicuntur vulnera; quia ſuppoſito peccato, iam habent pœnæ ac vindictæ rationem.

Vnde quando S. Auguſt. lib. 3. de libero arb. c. 18. dicit, *Concupiſcentiam non eſſe naturam hominis inſtituti, ſed pœnam damnati*: ſenſus eſt, hominem in prima ſui inſtitutione, in qua creatus eſt à Deo ſanctus & rectus, non habuiſſe hanc imperfectionem, ſed quòd per peccatum illam contraxit; ibi enim non loquitur S. Auguſtinus de creatione & conſtitutione hominis in ſtatu puræ naturæ; ſed in ſtatu iuſtitiæ originalis, vt ex eius contextu manifeſtum eſt.

Dices, ſi defectus illi eſſent homini naturales, ſequeretur, malitiam voluntatis eſſe quoque illi naturalem: quod tamen falſum eſſe videtur.

Reſpondetur malitiam duplici modo ſumi poſſe: 1. pro vitioſo aliquo habitu ſiue actu; in qua ſignificatione ſumitur à S. Thom. 1. 2. quæſt. 78. a. 1. ad 3. & eo ſenſu non eſt illa homini naturalis. 2. pro defectu & priuatione bonitatis alicuius, quæ in iuſtitia originali reperiebatur, & per quam voluntas hominis ſpeciali modo ad Deum ordinabatur; & eo ſenſu malitia illa dici poteſt homini naturalis. quia ſcilicet illa bonitas & rectitudo non erat eius naturæ debita, ſed ex gratuita Dei beneficentia procedebat, vt præcedenti capite, dictum eſt.

Obſeruandum eſt autem; quòd licet defectus illi, qui ab originali peccato cauſantur, ſint homini naturales; eſſe nihilominus verum, illos cùm per actualia peccata, tùm per vitioſos habitus, quæ per peccata illa contrahuntur, maximè augeri; vnde fit, vt homo per peccata illa actualia quæ committit; & per vitioſos habitus, quos ratione illorum contrahit, longè maiorem obſcurationem in intellectu & malitiam in voluntate, atque adeò longè acriores ſtimulos concupiſcentiæ, & maiorem ad illos reprimendos debilitatem experiatur, quàm alioquin naturaliter haberet, ſi nulla actualia peccata commiſiſſet, aut nullos habitus vitioſos contraxiſſet.

Iam quod ſpectat ad corpus, breuiter dicendum eſt, dolores omnes & pœnas, nec non innumera morborum genera, quibus homines in hac vita ſubiacent, ac denique mortem ipſam, eſſe peccati originalis effectus.

Hoc manifeſtè conſtat ex Scriptura. Gen. 2. *Quocumque die comederis ex eo, morte morieris*. Et cap. 3. *multiplicabo ærumnas tuas, &c. in ſudore vultus tui veſceris pane tuo*. Et Rom. 6. *ſtipendia peccati mors*. Vnde S. Auguſt. de verbis Domini, ſerm. 21. cap. 1. *Quis neſcit, quia peccati pœna eſt, neceſſe eſſe vt moriamur? & quod grauius eſt; quando neſcimus; pœna certa eſt, hora incerta.*

SECTIO V.

Quinam ſint effectus peccati originalis in futura vita.

1 QVÆSTIONIS huius præcipua difficultas eſt de paruulis ſine baptiſmo ex hac vita decedentibus, ac proinde in originali peccato morientibus, an ſcilicet ratione illius peccati originalis, cum quo ſolo decedunt, pœna aliqua afficiantur, & quænam illa ſit. Pro cuius reſolutione,

Dicendum eſt paruulos, cum originali peccato ex hac vita decedentes, nunquam peruenturos eſſe ad fruitionem gloriæ cœleſtis, ſed ea in æternum eſſe priuandos.

Huic veritati quæ de fide eſt, opponitur error Pelagianorum, qui (vt refert S. Aug. l. de hæreſ. c. 88.) pueris, etiamſi non baptizarentur, æternam & beatam vitam promittebant. Ad quem errorem proximè accedere videtur Hieronymus Sauonarola lib. de triumpho crucis; vbi dicit, infantes in peccato originali morientes, futuros poſt vltimum iudicium beatos naturali beatitudine; & in quodam velut Paradiſo terreſtri perpetuò fœliciterque victuros, plenos ſapientia & virtutibus, Deum toto corde diligentes, imò & Angelorum conſortio & reuelationibus ſæpè fruentes.

Refellitur hic error, & noſtræ fidei veritas probatur 1. ex Scriptura. Ro. 5. vbi dicit. *Vnius delictum eſſe in omnes homines in condemnationem*. Ergo ex illius mente rei ſunt damnationis, quicumque illo originali delicto implicantur. Et S. Ioan. 3. dicitur quòd, *qui incredulus eſt filio, non videbit vitam*; paruuli autem cum peccato originali decedentes, neque actu neque habitu credunt in Chriſtum.

Probatur 2. quia, ſi verum eſſet paruulos in peccato originali decedentes, fruituros eſſe beatitudine illa ſuprà memorata, ſequeretur illos melioris eſſe conditionis, quia peccauerunt in Adamo, quam ſi in puris naturalibus deceſſiſſent, neque enim tanta fœlicitas deberetur infantibus in ſtatu puræ naturæ decedentibus: vnde conſequens foret, illos præmium ex peccato Adami eſſe conſecuturos; quod eſt manifeſtè contra Scripturam.

Cùm igitur certum ſit infantes cum originali peccato decedentes gloria & beatitudine in æternum priuandos eſſe, ac proinde ſubituros æternam damnationem, quatenus in illa priuatione conſiſtit; controuerſum eſt inter Theologos, an in illo ſtatu priuationis, aliquibus pœnis afficiantur. De qua re tres eſſe inter illos ſententias refert Belarm. tom. 4. libro 6. de amiſſione Gratiæ c. 1.

Prima eſt eorum, qui exiſtimant paruulos, propter ſolum originale peccatum cum quo deceſſerunt, pœna ignis in æternum eſſe

cruciandos. Vbi monet idem Bellarminus, hæreticos noſtri temporis, qui ſententijs extremis maximè delectantur hanc ideò libenter ſententiam amplecti.

Secunda eſt eorum, qui paruulos quidem ignis cruciatu liberant; ſed tamen aſſerunt eos interno quodam dolore, propter amiſſionem cœleſtis beatitudinis, affici.

Tertia denique ſententia eſt eorum, qui aſſerunt paruulos cum ſolo originali peccato decedentes, ita ob illud damnari, ac viſione Dei & cæleſtis gloriæ fruitione priuari, vt tamen nullum inde dolorem neque internum neque externum patiantur.

Hæc tertia ſententia, vt alijs duabus mitior, ſic etiam probabilior videtur, maximè propter authoritatem S. Greg. Naz. orat. de baptiſmo, vbi loquens de paruulis ſine Baptiſmo, decedentibus, *Exiſtimo*, inquit, *illos neque gloria donandos, neque pœna mulctandos eſſe: vt qui baptiſmi quidem caracterem non habeant, ſed improbitate quoque non laborent, verum & ipſi damnum potiùs paſſi fuerint, quàm iniuriam fecerint.*

Huic ſancto Patri ſubſcribunt S. Tho. q. 5. de malo art. 1. 2. & 3. Et S. Bonau. in 3. ſent. diſt. 33. quibus in locis varias afferunt rationes, ob quas rectè dici poteſt paruulos illos dolorem nullum ex amiſſione beatitudinis percepturos. Quia ſcilicet ignorabunt omninò ſe illam amiſiſſe; cùm id ſcire niſi per fidem non poſſint, fidem autem nunquam habuerint, nec illo ſtatu habituri ſint. Vel quia, quantumuis agnoſcant ſe illam beatudinem amiſiſſe, tamen agnoſcent etiam ſimul ſe aliorum damnatorum pœnas euaſiſſe. quæ poſterior cognitio tale gaudium in illis cauſabit, vt dolorem omnem, quem ex priori cõcipere poſſent, auferat, & ſic in quodam ſtatu medio inter gaudium & dolorem ipſos perpetuò detineat. Vel denique quia, quamuis videant ſe à gloria excluſos, ſimul etiam intelligant, nullam ſe vnquam proportionem ad illam habuiſſe, cùm nec vſum liberi arbitrij, nec vllum gratiæ ſupernaturalis auxilium vnquam habuerint: vnde fiet vt nulla inde triſtitia afficiantur, ſicut non triſtantur infimæ conditionis homines, quod ad regnum aliquod vel imperium non peruenerint: quamuis ſe regia aut imperatoria dignitate carere videant, nec ad illam vnquam ſe peruenturos ſperent.

Objicies S. Auguſtinum ſerm. 14. de verbis Apoſtoli, & S. Fulgentium lib. de Fide ad Petrum c. 26. dicere paruulos non baptizatos in ignem æternum ituros.

Reſpondetur, ignis æterni nomine duo poſſe intelligi. 1. locum inferni, in quo eſt ignis æternus. 2. pœnam ſenſibilem, quæ ab illo igne infligitur. Et iuxta priorem ſenſum Patres illos intelligendos eſſe, ita vt velint ſolum paruulos illos ad aliquam inferni partem deſcenſuros, ibique perpetuò moraturos, vt & communiter Docto-

res docent: vbi tamen aliqua animi & corporis pace & quiete perfruentur, ita vt ſemper verum ſit, nullam illos pœnam ſenſibilem externam aut internam ſubituros eſſe:

Vnde & ipſe D. Auguſtinus lib.3. de libero arbitr. cap.23. agens contra Manichæos negantes peccatum originale, & quærentes quid infanti fieret qui non percepto baptiſmo mortuus eſſet, ſic loquitur: *Non enim metuendum eſt, ne vita potuerit eſſe media inter rectè factum & peccatum: & ſententia iudicis media eſſe non poſſit inter præmium atque ſupplicium.*

TRACTATVS V.

DE

GENERIS HVMANI REPARATIONE PER DIVINI VERBI INCARNATIONEM.

POST conſiderationem lapſus primi hominis, ac ruinæ totius generis humani, videndum eſt, nunc qua ratione *Deus, qui diues eſt in miſericordia* (vt ait Apoſtolus Eph.2.) *propter nimiam charitatem ſuam qua dilexit nos, cum eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto, &c. vt oſtenderet in ſæculis ſuperuenientibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ.* Cùm igitur præcipuus huius myſterij fructus ad nos ex eius cognitione & fide deriuetur; atque, vt ipſe hominum ſaluator Chriſtus Dominus Patrem ſuum cæleſtem alloquens, dixit, S.Ioan.17. *Hæc ſit vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum:* ea de cauſa in hoc tractatu, præcipuas veritates ad illius myſterij fidem pertinentes, peculiari ſtudio collegimus: vt, qui voluerint, præ oculis habere poſſint, non tantùm quid de illo tanquàm certum credere, quidque tanquàm erroneum abjicere debeant; ſed etiam quibus terminis & loquendi modis ſapientiam illam in myſterio abſconditam alijs reuelare, & explicare aptè & conuenienter poſſint.

CAPVT I.

De veritate myſterij Incarnationis.

SECTIO I.

Quid nomine Incarnationis Verbi diuini intelligendum ſit.

1 PER Incarnationem diuini Verbi, nihil aliud intelligunt ſancti Patres & Doctores (vt ex infrà dicendis conſtabit) quàm duplicis in Chriſto naturæ, diuinæ ſcilicet, ac humanæ coniunctionem; vel (vt breuiùs loquamur) Verbi diuini cùm carne humana vnionem. Ita vt in illa duarum naturarum vnione diuina quidem natura per propriam hypoſtaſim ipſius Verbi diuini ſubſiſtat, humana verò natura non per propriam, (vt fit in alijs hominibus) ſed per alienam, nempe diuinam, terminetur. Vnde vnio hæc appellatur hypoſtatica, ſeu perſonalis; eò quòd duæ admodum diſpares naturæ, diuina ſcilicet & humana, in vna eademq; hypoſtaſi, ſeu perſona diuina vniantur & ſubſiſtant, non confuſione vnius in alteram, ſed (vt loquitur S. Athanaſius ſymbolo) aſſumptione humanitatis in Deum.

Quare in iſto Incarnationis vocabulo, per nomen carnis, non ea ſola humanæ naturæ pars ſignificatur, quæ vocatur corpus; ſed ipſa tota natura humana, ex carne ſeu corpore organico & anima rationali conſtans: quia in ſignificatione frequenter in ſacris Scripturis ſumptum reperitur; Gen. 6. *Omnis caro corruperat viam ſuam.* S. Luc. 3. *videbit omnis caro ſalutare Dei.*

2 Quamuis autem myſterium iſtud varijs nominibus & vocabulis apud SS. Patres expreſſum reperiatur, & aliquandò dicatur, *Diuini Verbi corporatio*, vt à S. Hilario in prologo ſuper Pſalmos: aliquandò *contemperatio diuinitatis cum humanitate*, vt à S. Greg. Nyſſ. orat. catechiſt. c. 11. aliquandò *inhumanatio, œconomia &c.* vt S. Damaſc. lib. 3. de fide cap. 13. & alijs. Vſus tamen communiter inualuit, vt Incarnationis vocabulum, tamquam omnium aptiſſimum ad illud ſignificandum, cæteris omnibus præferretur; vnde antiquiſſimi Eccleſiæ Patres illo vſi ſunt, vt S. Cypr. lib. 2. contra Iudæos, S. Ambr. in cap. 2. S. Lucæ. S. Hieron. in cap. 1. S. Marci. S. Aug. lib. 10. de Ciuit. Dei capite 24. & plures alij. Qui videntur illud deſumpſiſſe ex eo loquendi modo quo S. Ioannes capite 1. myſterium iſtud expreſſit, dicens; *Et verbum caro factum eſt.* Et certè vocabulum

cabulum illud Incarnationis omnium optime ineffabilem Dei erga nos charitatem exprimere videtur, qui propter nos viles & obiectos homunciones; eò vſque maieſtatem ſuam demittere dignatus eſt, vt (ſicut dicit Apoſtolus Hebr. 1.) carni communicauerit & ſanguini; illudque nobiſcum commune habere voluerit, quod cum viliſſimis & abiectiſſimis animalculis nobis commune eſt.

SECTIO II.

Quomodò huius myſterij veritas contra Ethnicos probari poſſit.

1 CVm (vt Apoſtolorum princeps dixit ep. 1. c. 3.) debeamus ſemper eſſe *parati ad ſatisfactionem, omni poſcenti nos rationem, de ea, quæ nobis eſt, ſpe*, poſſintque variæ occurrere occaſiones, in quibus neceſſitas aliqua, vel ſaltem vtilitas audientium, id à nobis exigere videatur. idcirco: quod alij fuſiùs, nos hic breuiter, & quantùm compendij ratio ferre poteſt, exequemur, oſtendemuſque quibus argumentis contra ipſos Ethnicos & Paganos hoc dominicæ Incarnationis myſterium demonſtrari poſſit. Ad illius autem veritatem demonſtrandam duo præſertim hic nobis probanda ſunt 1. quòd vnio illa naturæ diuinæ cum humana ſit poſſibilis 2. quòd reipſa in perſona Chriſti facta ſit.

Quod ad primum ſpectat, hoc argumento vti poſſumus, Illud recta ratione naturali & prudentum arbitrio poſſibile merito iudicatur; quod nullis argumentis contrarijs poteſt ſufficienter refelli; nec abſurdum aut impoſſibile demonſtrari. Atqui Incarnatio Verbi diuini eſt eiuſmodi. Ergo meritò poſſibilis æſtimari debet. Maior propoſitio huius argumenti, conſtat, ex eo quòd natura ipſa docet viros prudentes nihil debere ſine recta ratione affirmare aut negare; ergo nec aliquid impoſſibile aſſerere, quando argumenta contraria probabiliter ſolui poſſunt. Minoris verò propoſitionis veritas conſtabit ex ſolutione argumentorum quæ in contrarium afferri poſſunt: quorum præcipua ſunt hæc quæ ſequuntur.

Primum eſt, indignum videri Deo, vt dicatur paſſus, crucifixus, mortuus, &c.

Reſpondetur in Chriſto Domino duas fuiſſe naturas, diuinam & humanam: diuinam quidem omnis interitus & mutationis expertem ſemper fuiſſe: non eſſe autem indignum Deo; imo eius charitate & miſericordia infinita digniſſimum, vt ſecundùm naturam humanam, quam aſſumpſit, pati & mori voluerit ijs de cauſis, quibus paſſum & mortuum eſſe credimus.

 2 Secun-

Secundũ eſt, Deum non poſſe naturam humanam aſſumere, quin mutetur: hoc enim poſito, aliter ſe haberet quam antea, nempè eſſet verus homo, cùm anteà non fuiſſet.

Reſpondetur, mutationem illam totam ſe tenere ex parte naturæ aſſumptæ, non verò perſonæ aſſumentis, quæ in iſto naturæ humanæ acceſſu nullo modo immutatur, cùm natura humana, neque vt aliquid eſſentiale neque vt aliquid accidentale diuinæ illi perſonæ, acceſſerit, nihilque reale in ipſam agere aut influere poſſit. Confirmatur hæc reſponſio, ex eo quod Deus per Incarnationem non acquirit aut amittit vllam perfectionem ſibi intrinſecam, quamuis enim fiat homo, humanitas non fit intrinſeca eius diuinitati, ſed ſolùm illi vnitur ſine vlla intrinſeca ipſius Dei mutatione. Vnde quamuis ex eo quod dicitur Deum factum eſſe hominem, rectè colligatur mutationem aliquam eſſe factam, non tamen neceſſe eſt factam eſſe in Deo, ſed ſufficit quod facta ſit in humanitate.

3 Tertium eſt, ea quæ inter ſe nullam habent proportionem, non poſſe inuicem vniri, ita vt ex eis fiat vnica ſubſtantia: inter Deum verò & naturam creatam, cùm infinitè inter ſe diſtent, nullam poſſe proportionem reperiri.

Reſpondetur duplicem eſſe proportionem, vnam geometricam, per quam dicimus rem aliquam eſſe altera duplo, quadruplo vel centuplo maiorem vel minorem; aliam verò quæ dicitur habitudinis, ſeu ordinis alicuius inter vnum aut alterum, qualis eſt inter potentiam & obiectum, inter cauſam & effectum. Quamuis autem inter Deum & naturam creatam nulla geometrica proportio ſit aut eſſe poſſit, eſt tamen proportio habitudinis. Nam perſona diuina & natura humana ſunt per ſe tales, vt hæc ab illa poſſit aſſumi, & tanquam à termino & vltimo ſuo complemento pendere; & hanc illa poſſit ſuſtentare ac terminare.

Quartum eſt Chriſtum, Deum & hominem fore tantùm per accidens, non per ſe: illud enim dicitur à Philoſophis ens per accidens, quod fit ex duobus entibus completis & actu exiſtentibus. Atqui natura diuina & humana in Chriſto ſunt duo entia exiſtentia & completa.

Reſpondetur verum eſſe, ex duobus entibus in actu, quorum vtrumlibet ſit in ſuo genere perfectè completum & terminatum, non poſſe fieri vnum per ſe. At verò natura humana ſingularis, qua ratione eſt aſſumpta a Verbo, non eſt propriè ens in actu completo: ſiquidem eſt in potentia ad perſonalitatem, tanquam ad terminum ſubſtantialem. Quare ex illa & perſonalitate Verbi conſtare poteſt vnum ens per ſe, id eſt, vna ſubſtantia vltimò completa, ſeu perſona.

Iam quod ſpectat ad ſecundum, varijs argumentis probari poteſt, pera-

peractum eſſe Incarcationis myſterium, ac illa, quæ de Chriſto Domino credenda proponuntur, eſſe fide digniſſima. Aliquot hîc magis popularia proponemus.

4 Primum ſumi poteſt ex Chriſti miraculis, quorum teſtis eſt orbis vniuerſus; quæque extant, non ſolùm in Euangeliis, quibus fidem non adhibent Ethnici, ſed etiam in proprijs ipſorum hiſtorijs. Eiuſmodi fuit ſilentium falſorum Deorum oraculis, Chriſto adueniente, impoſitum; cuius mentio fit apud Plutarchum & alios. Item eclipſis illa ſtupenda, quæ præter omnem naturæ ordinem in morte Chriſti accidit, cuius meminit Plegon Chronologus Ethnicus, Adriani Imperatoris libertus lib. 13. de temporibus, vt refert Origenes lib. 2. cont. Celſum. Et Euſebius in Chronico, illiuſque etiam in Archiuis Romanorum factam fuiſſe mentionem aſſerit Tertullianus in apolog. aduerſùs Gentes. Iiſdem miraculis addi poſſunt prodigia; quæ noſtro etiam tempore fiunt ad inuocationem nominis Chriſti varijs in locis circa ægrotos & debiles, præſertimque circa energumenos. Quæ omnia, cùm ipſius naturæ vires longè ſuperent à ſolo Deo fieri potuiſſe manifeſtum eſt: Atqui Deus non poteſt falſum approbare. Cùm igitur hæc miracula ad teſtandam Chriſti diuinitatem, eorumque omnium, quæ de illo credimus veritatem, facta ſint, ſequitur illa omnia eſſe veriſſima ac fide digniſſima.

Secundum argumentum duci poteſt ex modo, quo totius mundi ad Chriſti fidem conuerſio facta eſt. Hæc enim non eſt facta vi aut armis, nec per ſapientes aut potentes ſæculi, ſed per duodecim piſcatores, Philoſophiæ ac litterarum humaniorum imperitos; idque non blanditijs, aut honoribus propoſitis, imò potiùs ſupplicijs & carceribus, quin etiam ſuadendo relinquere amicos, parentes, conſanguineos, calcare voluptates; colere humilitatem, caſtitatem, paupertatem, pati illatas iniurias, inimicis benefacere, peccata omnia deuitare, ſicut & Plinius author Ethnicus teſtatur lib. 10. Epiſt. 97. ad Traianum Imperatorem. Hoc enim re vera omnem induſtriam prorsùs exuperat, ſoliuſque diuinæ proprium eſt talibus medijs, tam arduis, imò tam contrarijs & paradoxis, non vnam ſolùm ciuitatem aut gentem, ſed totum mundum ad Chriſti fidem adduxiſſe: nec ſolos pauperes, ſed etiam diuites, Imperatores; nec ſolos idiotas, ſed Philoſophos & Sapientes: idque tam breui tempore; neque tantùm ad fidem Chriſti adduxiſſe, ſed etiam ad martyrium pro ipſo perferendum animaſſe.

5 Tertium argumentum duci poteſt ex ijs, quæ à Chriſto prædicta ſunt & prænunciata, vt Hieroſolymitanæ vrbis vaſtatio, templi deſtructio, Iudæorum diſperſio & captiuitas, ac innumeræ calamitates, quibus à Chriſti morte attriti ſunt: Euangelij per vniuerſum orbem

orbem prædicatio; Eccleſiæ Catholicæ contra omnes tyrannorum perſecutionem,& hæreticorum machinationes victoria & triumphus & alia multa ſimilia; quæ partim adimpleta eſſe cognoſcimus, partim etiamnum adhuc hoc tempore adimpleri cernimus. Quæ omnia tam clarè & diſtinctè prænunciata, tam certò & manifeſtè adimpleta, non ab alio, quàm ab ipſo Deo præſciri & prænunciari potuerunt.

Quartum denique argumentum deſumi poteſt, tùm ex infinito propè Martyrum numero omnis ætatis, ſexus, conditionis, inter quos plurimi ſapientia & ingenij præſtantia fuerunt celeberrimi, vt eorum ſcripta teſtantur; qui tamen omnes pro fidei Chriſti confeſſione mortem conſtantiſſimè ſubierunt. Tum etiam ex puritate & ſanctitate doctrinæ ipſius Chriſti; quæ vel ex ſe ſola videtur ſufficere ad conuincendos imò & perſuadendos animos, illius authorem alium non eſſe quàm Deum omnis ſanctitatis fontem, ac proinde vera eſſe omnia quæ in eius Doctrina continentur.

SECTIO III.

Quomodo eiuſdem myſterij veritas probari poſſit contra Iudæos.

1 CVM Iudæi veteris teſtamenti Scripturas admittant, ex ipſarum authoritate contra illos huius myſterij veritas probanda eſt. Quod vt diſtinctiùs ac melius fiat, duo præſertim hic à nobis demonſtranda ſunt. Primum eſt, Meſſiam in lege promiſſum non eſſe purum hominem, ſed verum & naturalem Dei Filium, atque adeo verum Deum. Secundum eſt, Meſſiam illum iam veniſſe, & opus humanæ redemptionis peregiſſe.

Quod ſpectat ad primum ex innumeris, propè Scripturæ teſtimonijs, quibus diuinitas Meſſiæ ſeu Chriſti in lege promiſſi probari poteſt; duo tantùm hìc ſeligemus.

Primum deſumitur ex his Pſalmi 109. verbis, quibus ipſemet Chriſtus ad id probandum vſus eſt: *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis*. Etenim Dominus ille, cui dicitur, *ſede à dextris*, eſt ipſe Meſſias in lege promiſſus, vt ſentiunt & explicant ipſimet Rabbini Iudæorum, quos refert & citat Galatinus lib. 3. de arcanis cap. 5. & lib. 8. cap. 24 Atqui idem ille Dominus eſt etiam verus Deus, aliàs, nec deberet, nec poſſet ſedere ad dextram Dei, quod eſt æqualitatis cum ipſo ſymbolum: nec etiam dici poſſet, *ex vtero*, id eſt, ex ſubſtantia Dei (*ante Luciferum*) id eſt ab æterno genitus, quod nulli puro homini conuenire poteſt.

Secun-

Secundum teſtimonium petitur ex his verbis Iſa. cap. 9. *Paruulus natus eſt nobis; & filius datus eſt nobis, & vocabitur nomen eius Deus fortis; &c.* quibus verbis (quæ de Meſſia intelligunt ipſi Iudæi, vt notat idem Galatinus lib. 3. de arcanis cap. 18. & 19. eius diuinitas manifeſtiſſimè declaratur.

2 Quod ad 2. attinet, ex pluribus Scripturæ teſtimoniis, quibus Meſſiam in lege promiſſum iam veniſſe probari poteſt, duo tantùm proferemus, quæ ipſi Iudeorum Rabbini de Meſſia interpretantur; vt videre eſt apud eundem Galatinum lib. 4. cap. 49. & ſequentibus.

Primum deſumitur ex Gen. cap. 49. vbi hæc verba, ab ipſo Patriarcha Iacob; morti proximo, proferuntur; *Non auferetur ſceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus eſt: & ipſe erit expectatio gentium.* Hoc eſt; non deerunt Reges; Duces; Legiſlatores de tribu Iuda; donec veniat Chriſtus. Atqui iampridem videmus nullos ampliùs Reges; nullos Duces; nullos Legiſlatores de tribu Iuda: imò nec de vlla alia tribu inter Iudæos, ſed omnes penitùs defeciſſe, idque ab annis mille ſexcentis & ampliùs, quibus Iudæi per orbem vagantur, & aliarum gentium quaſi perpetuæ ſeruituti mancipati ſunt. Conſtat prætereà (quod etiam maximè obſeruandum eſt) Chriſtum Dominum natum eſſe circa illud tempus; quo regia poteſtas à Iudæi ablata eſt; cùm Hærodes alienigena Iudaici regni ſceptrum inuaſit.

Secundum teſtimonium ex Danielis cap. 9. petitur, vbi Angelus Gabriel prædicit Chriſto poſt ſeptuaginta hebdomadas eſſe venturum; & à Iudæis occidendum, & exinde ciuitatem Hieruſalem euertendam; & populum Iudæorum diſſipandum; & vaſtitatem eius ac deſolationem duraturam vſque in ſæculi finem, quæ omnia completa eſſe manifeſtum eſt. Hebdomades enim illæ intelliguntur, non dierum; ſed annorum: quod apud Iudæos conſuetum fuiſſe ex Leuit. cap. 25. colligitur; Illas autem fuiſſe completas eo tempore quo Chriſtus occiſus eſt fusè probant Scripturæ interpretes ſuper illum Danielis locum. Vaſtitatem autem ciuitatis, & templi, & Iudæorum diſſipationem ab illo tempore per tot ſæcula duraſſe ſatis compertum eſt;

SECTIO IV.

Quomodo eadem veritas poſſit contra hæreticos propugnari.

1 INTER plurimas hæreſes quæ Incarnationis Dominicæ veritatem impugnarunt, duæ præcipuæ extiterunt, ad quas reliquę omnes aliquo modo poſſunt reuocari; ac proinde in quarum refutatione cæterarum falſitas facilè poterit agnoſci.

Prima fuit Eutychetis, qui aſſerebat poſt Incarnationem Verbi diuini, vnam tantùm in Chriſto remanſiſſe naturam, eamque factam eſſe ex diuinitate & carne per conuerſionem ipſius diuinitatis in carnem, aut per commixtionem vtriuſq; Aſſerebat præterea diuinitatem Verbi eo modo dici poſſe, ac reuera fuiſſe paſſam, mortuam, ac ſepultam. Hunc hæreticum ita ſenſiſſe colligitur ex varijs Epiſtolis S. Leonis Papæ, præſertim verò ex Ep. 9. 10. 52. & 97. item ex Euagrio lib. 2. hiſt. cap. 18.

Catholica fides duas veritates huic hæreſi oppoſitas profitetur. Prima eſt in Chriſto poſt Incarnationem duas integras, veras & perfectas naturas remanſiſſe, diuinam ſcilicet & humanam, quæ ſine vlla confuſione aut permixtione in perſona Verbi ſubſiſtunt. Secunda eſt, diuinam Chriſti naturam, neque paſſam, neque mortuam fuiſſe, aut dici poſſe: ſed impaſſibilem & immutabilem ſemper remanſiſſe.

2 Hæ veritates Catholicæ probantur & ſimul errores oppoſiti refelluntur 1. ex Scriptura, in qua duæ in Chriſto naturæ manifeſtè diſtinguuntur pluribus in locis, præſertim cap. 2. Epiſtolæ ad Philipp. vbi Apoſtolus diſtinctè declarat, *Chriſtum Ieſum, cùm in forma Dei eſſet formam ſerui accepiſſe:* quæ verba explicans S. Vigilius Papa lib. 2. contra Eutychetem: *Mirum eſt*, inquit, *cur timeant quidam dicere duas* (Chriſti) *naturas, cùm Paulus dicat duas formas*. Deinde euidenter dicitur Chriſtum, non ſecundùm naturam diuinam, ſed ſecundùm humanam paſſum eſſe in Epiſt. 1. S. Petri cap. 2. *Chriſtus peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum*: & cap. 4. *Chriſto igitur paſſo in carne*.

Probatur 2. ex Concilio Chalcedonenſi generali, quod fuit celebratum contra Eutychetem 3. in cuius actione 1. anathema profertur in ipſum Eutychetem dicentem, in Chriſto eſſe vnam naturam, ex diuina & humana factam. Et actione 5. profitentur Patres Concilij ſe credere *Chriſtum Dominum eundem perfectum in Deitate, eundem perfectum in humanitate, Deum verè, & hominem verè, &c.*

Pro-

Probatur 3. ex S.Iuſtino martyre in expoſitione fidei. *Filius Dei,* inquit, *cum vnus ſit, duæ in eo naturæ ſunt; altera, quæ diuina eſt, edit miracula: altera, quæ humana eſt, humilia excipit; quæ enim ex parte, Deus eſt, res admirandas operatur; quæ vero, ex Virgine, eſt homo, crucem, paſſionem, & conſimilia, voluntate ſua naturaliter perfert.* Et ex S.Leone Papa, ſer.17.de Paſſione Domini cap.1. *Manente,* inquit, *in ſua proprietate vtraq; ſubſtantia, nec Deus reliquit ſui corporis paſſionem, nec Deum fecit caro paſſibilem; quia diuinitas quæ erat in dolente, non erat in dolore.*

3 Altera hæreſis fuit Neſtorij, qui (vt refert Euagrius lib. 2. & ſeq.) aſſerebat beatam Virginem purum hominem peperiſſe, qui, non ſolùm naturam, ſed & perſonam humanam haberet; proindeque illam Dei genitricem dici non debere. Addebat autem perſonam diuinam Verbi vnitam poſteà fuiſſe filio Mariæ, non quidem ſubſtantialiter, communicando hypoſtaſim; ſed accidentaliter, in quantum ſcilicet Verbum diuinum illi nomen ac dignitatem ſuam impertiuit, vt nimirum Deus ac Dei Filius diceretur, & ab omnibus adoraretur. Sicq; dicebat in Chriſto non ſolum duas naturas, ſed etiam duas perſonas, eo quo explicauimus modo, inter ſe vnitas.

Catholica veritas huic hæreſi oppoſita docet, vnam eſſe tantùm in Chriſto perſonam, eamque diuinam: proindeque Chriſtum Dominum, qui ſecundùm carnem de Virgine natus eſt, eſſe verum Deum ac verum hominem; ſanctiſſimamque Virginem verè ac propriè Dei matrem eſſe, ac dici debere.

Hæc veritas ſic explicata probatur, & oppoſitus error ſimul refellitur 1.ex Scriptura. S Luc.1. *Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.* S. Matth. 16. *Tu es Chriſtus Filius Dei viui.* S. Ioan. 20. *hæc ſcripta ſunt, vt credatis, quia Ieſus eſt Chriſtus Filius Dei.*

Probatur 2. ex Concilio Epheſino, in quo hæreſis illa damnata eſt, ipſeque Neſtorius depoſitus ac in exilium miſſus, vbi miſerè interijt, linguâ eius, qua in Chriſtum Dominum, eiuſque ſanctiſſimam Matrem tam impiè blaſphemauerat, à vermibus penitùs corroſa, vt refert Euagrius loco ſupra citato. Item ex Concilio Conſtantinopolitano 2. can. 5. *Si quis introducere conatur in myſterio Chriſti duas ſubſtantias, ſeu duas perſonas, anathema ſit.* Et can. 6. *Si quis abuſiuè Dei genitricem eſſe dicit glorioſam ſemper Virginem Mariam, anathema ſit.*

Probatur 3.ex S.Leone Papa.Epiſt.97. ad Leonem Auguſtum, vbi ſic loquitur, *Anathematizetur ergo Neſtorius, qui beatam Virginem Mariam, non Dei, ſed hominis tantummodò credit genitricem, vt aliâ perſo-*

SECTIO IV.

Quomodo eadem veritas poſſit contra hæreticos propugnari.

1 INTER plurimas hæreſes quæ Incarnationis Dominicæ veritatem impugnarunt, duæ præcipuæ extiterunt, ad quas reliquę omnes aliquo modo poſſunt reuocari; ac proinde in quarum refutatione cæterarum falſitas facilè poterit agnoſci.

Prima fuit Eutychetis, qui aſſerebat poſt Incarnationem Verbi diuini, vnam tantùm in Chriſto remanſiſſe naturam, eamque factam eſſe ex diuinitate & carne per conuerſionem ipſius diuinitatis in carnem, aut per commixtionem vtriuſq; Aſſerebat præterea diuinitatem Verbi eo modo dici poſſe, ac reuera fuiſſe paſſam, mortuam, ac ſepultam. Hunc hæreticum ita ſenſiſſe colligitur ex varijs Epiſtolis S. Leonis Papæ, præſertim verò ex Ep. 9. 10. 52. & 97. item ex Euagrio lib. 2. hiſt. cap. 18.

Catholica fides duas veritates huic hæreſi oppoſitas profitetur. Prima eſt in Chriſto poſt Incarnationem duas integras, veras & perfectas naturas remanſiſſe, diuinam ſcilicet & humanam, quæ ſine vlla confuſione aut permixtione in perſona Verbi ſubſiſtunt. Secunda eſt, diuinam Chriſti naturam, neque paſſam, neque mortuam fuiſſe, aut dici poſſe: ſed impaſſibilem & immutabilem ſemper remanſiſſe.

2 Hæ veritates Catholicæ probantur & ſimul errores oppoſiti refelluntur 1. ex Scriptura, in qua duæ in Chriſto naturæ manifeſtè diſtinguuntur pluribus in locis, præſertim cap. 2. Epiſtolæ ad Philipp. vbi Apoſtolus diſtinctè declarat, *Chriſtum Ieſum, cùm in forma Dei eſſet formam ſerui accepiſſe:* quæ verba explicans S. Vigilius Papa lib. 2. contra Eutychetem: *Mirum eſt*, inquit. *cur timeant quidam dicere duas* (Chriſti) *naturas, cùm Paulus dicat duas formas*. Deinde euidenter dicitur Chriſtum, non ſecundùm naturam diuinam, ſed ſecundùm humanam paſſum eſſe in Epiſt. 1. S. Petri cap. 2. *Chriſtus peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum*: & cap. 4. *Chriſto igitur paſſo in carne*.

Probatur 2. ex Concilio Chalcedonenſi generali, quod fuit celebratum contra Eutychetem 3. in cuius actione 1. anathema profertur in ipſum Eutychetem dicentem, in Chriſto eſſe vnam naturam, ex diuina & humana factam. Et actione 5. profitentur Patres Concilij ſe credere *Chriſtum Dominum eundem perfectum in Deitate, eundem perfectum in humanitate, Deum verè, & hominem verè, &c.*

Pro-

Probatur 3. ex S.Iuſtino martyre in expoſitione fidei. *Filius Dei,* inquit, *cum vnus ſit, duæ in eo naturæ ſunt; altera, quæ diuina eſt, edit miracula: altera, quæ humana eſt, humilia excipit; quæ enim ex parte, Deus eſt, res admirandas operatur; quæ vero, ex Virgine, eſt homo, crucem, paſſionem, & conſimilia, voluntate ſua naturaliter perfert* Et ex S.Leone Papa, ſer. 17. de Paſſione Domini cap. 1. *Manente,* inquit, *in ſua proprietate vtraq; ſubſtantia, nec Deus reliquit ſui corporis paſſionem, nec Deum fecit caro paſſibilem; quia diuinitas quæ erat in dolente, non erat in dolore.*

3 Altera hæreſis fuit Neſtorij, qui (vt refert Euagrius lib. 2. & ſeq.) aſſerebat beatam Virginem purum hominem peperiſſe, qui, non ſolùm naturam, ſed & perſonam humanam haberet; proindeque illam Dei genitricem dici non debere. Addebat autem perſonam diuinam Verbi vnitam poſteà fuiſſe filio Mariæ, non quidem ſubſtantialiter, communicando hypoſtaſim; ſed accidentaliter, in quantum ſcilicet Verbum diuinum illi nomen ac dignitatem ſuam impertiuit, vt nimirum Deus ac Dei Filius diceretur, & ab omnibus adoraretur. Sicq; dicebat in Chriſto non ſolum duas naturas, ſed etiam duas perſonas, eo quo explicauimus modo, inter ſe vnitas.

Catholica veritas huic hæreſi oppoſita docet, vnam eſſe tantùm in Chriſto perſonam, eamque diuinam: proindeque Chriſtum Dominum, qui ſecundùm carnem de Virgine natus eſt, eſſe verum Deum ac verum hominem; ſanctiſſimamque Virginem verè ac propriè Dei matrem eſſe, ac dici debere.

Hæc veritas ſic explicata probatur, & oppoſitus error ſimul refellitur 1. ex Scriptura. S Luc. 1. *Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.* S. Matth. 16. *Tu es Chriſtus Filius Dei viui.* S. Ioan. 20. *hæc ſcripta ſunt, vt credatis, quia Ieſus eſt Chriſtus Filius Dei.*

Probatur 2. ex Concilio Epheſino, in quo hæreſis illa damnata eſt, ipſeque Neſtorius depoſitus ac in exilium miſſus, vbi miſerè interijt, linguà eius, qua in Chriſtum Dominum, eiuſque ſanctiſſimam Matrem tam impiè blaſphemauerat, à vermibus penitùs corroſa, vt refert Euagrius loco ſupra citato. Item ex Concilio Conſtantinopolitano 2. can. 5. *Si quis introducere conatur in myſterio Chriſti duas ſubſtantias, ſeu duas perſonas, anathema ſit.* Et can. 6. *Si quis abuſiuè Dei genitricem eſſe dicit glorioſam ſemper Virginem Mariam, anathema ſit.*

Probatur 3. ex S.Leone Papa. Epiſt. 97. ad Leonem Auguſtum, vbi ſic loquitur, *Anathematizetur ergo Neſtorius, qui beatam Virginem Mariam, non Dei, ſed hominis tantummodò credit genitricem, vt aliã perſo-*

perſonam carnis, aliam faceret diuinitatis. Et ex S. Gregor. Papa lib. 18. mor. c. 27. *Quamuis*, inquit, *ipſe Chriſtus aliud ex Patre, & aliud ex matre: non tamen alius ex Patre, & alius ex matre: ſed ipſe eſt æternus ex Patre, ipſe temporalis ex matre: ipſe qui fecit, ipſe qui factus eſt: ipſe author operis, ipſe opus authoris: manens vnus ex vtraque & in vtraque natura: nec naturarum copulatione confuſus, nec naturarum diſtinctione geminatus*.

8 Optimè denique Vincentius Lirinenſis lib. aduerſus hæreſ. cap. 19. *In Deo*, inquit, *vna ſubſtantia, ſed tres perſonæ: in Chriſto duæ ſubſtantiæ, ſed vna perſona: in Trinitate alius, atque alius, non aliud atque aliud: in Saluatore aliud atque aliud, non alius atque alius*.

SECTIO V.

An conueniens fuerit Incarnationis myſterium.

1 PROPOSITA quæſtio triplici modo poteſt intelligi. 1. an conueniens fuerit Perſonam diuinam aliquam incarnari. 2. an ſecundam potiùs quàm alteram. 3. an tali tempore, & non citiùs, nec tardiùs. Pro cuius reſolutione,

Dicendum 1. conuenientiſſimum fuiſſe vt aliqua perſona diuina incarnaretur; ſeu naturam humanam hypoſtaticè ſibi vniret. Ita S. Th. 3. p. q. 1. art. 1.

Ratio, qua id probat, hæc eſt. Vnicuique rei conueniens eſt illud, quod ſibi competit ſecundùm propriæ naturæ rationem. Atqui natura Dei eſt ipſamet eſſentia bonitatis, ex S. Dion. c. 1. de diu. nom. vnde quidquid pertinet ad rationem boni, conueniens eſt Deo: ad rationem autem boni pertinet, vt ſe alij communicet ex eodem S. Dion. c. 4. quare ad rationem ſummi boni pertinet, quod modo ſummo ſe communicet; & id maximè fit per vnionem hypoſtaticam: per quam Deus ſummo & præſtantiſſimo, quo fieri poteſt modo ſe creaturæ humanæ communicat; quæ per illam communicationem ad tantum dignitatis, & excellentiæ gradum euecta eſt, vt (teſte S. Aug. lib. de prædeſt. ſanctor. cap. 15.) *quò altiùs aſcenderet, non haberet*.

Dicendum 2. conuenientiſſimum fuiſſe, vt perſona Filij potiùs quàm Patris ac Spiritus ſacti naturam humanam aſſumeret. Ita S. Thom. q. 3. art. 8.

Cuius rei, licet præcipua & ſumma ratio ſit, quod ita diuinæ ſapientiæ viſum fuerit, præter illam tamen quædam aliæ à SS. Pa-

Patribus afferuntur : vnam aut alteram hic deliberare nobis ſufficiet.

2 Prima igitur ea eſt, quam profert S. Baſil. hom. de principio Euangelij S. Ioann. & S. Auguſtinus lib. 15. de Trinit. cap. 11. quia ſcilicet maximè decuit, vt illa perſona iungeretur naturæ humanæ, per quam homines qui in tenebris erroris ac ignorantiæ per peccatum iacebant, peculiari quadam ratione illuminarentur ac inſtruerentur: ea verò perſona eſt Verbum diuinum iuxta illud Sap. 1. *Fons ſapientiæ Verbum Dei in excelſis*. ita enim à Patre cœleſti ſumus per Verbum ſuum edocti, vt ait S. Th. ſupra, ſicut diſcipulus docetur verbo magiſtri.

Aliam rationem affert S. Athan. lib. de Incarn. quia ſcilicet ſcopus Incarnationis fuit inſtauratio diuinæ imaginis, quæ per peccatum fuerat in nobis obliterata: vnde decuit, vt naturæ noſtræ ille vniretur, qui (vt ait Apoſtolus Coloſſ. 2. & Hebr. 1.) eſt *Imago Dei inuiſibilis, ſplendor Patris, & figura ſubſtantiæ eius* vt ſic imago illa in nobis, quaſi impreſſione ſigilli diuini, repararetur; vt loquitur Sanctus Clemens Alexandr. in orat. exhortatoria ad Gentes.

Dicendum 3. conuenientiſſimum fuiſſe vt hoc myſterium non ſtatim ab initio mundi conditi, nec omninò ſub finem, ſed in medio quaſi tempore perageretur.

Non quidem ſtatim ab initio, vt homines diuturnioribus malis conflictari, meliùs agnoſcerent naturæ ſuæ infirmitatem, maiorique affectu diuinæ gratiæ optarent ac quærerent auxilium, & ob diuturnam expectationem, pluris æſtimarent diuinæ miſericordiæ beneficium. Neque etiam conueniens fuit differri vſque ad mundi finem, ne Dei cognitio prorſus in hominibus extingueretur, neve generis humani ſtrages ac ruinæ nimium augerentur. Vnde conſequens eſt conuenientiſſimum fuiſſe tempus illud quod ad exequendum iſtud myſterium Deus elegit.

SECTIO VI.

An Incarnationis myſterium fuerit neceſſarium.

1 CERTVM eſt in primis, Verbi diuini Incarnationem nonfuiſſe vllo modo neceſſariam, ſed prorſus liberam reſpectu Dei, cum ipſa etiam mundi creatio, & quælibet alia operatio ad extra, Deo ſit omninò libera.

Certùm eſt deinde, neque etiam ſuppoſito lapſu generis humana

ni fuiſſe abſolutè & ſimpliciter neceſſarium ad illius reparationem, Filium Dei incarnari.

Conſtat ex eo quòd Scriptura varijs in locis, generis humani temperationem eo modo, quo facta eſt, tribuit charitati ac miſericordiæ diuinæ. Ad Tit. 3. *Secundum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit*. S. Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret*. Beneficium autem ex charitate & miſericordia collatum, ſupponit in benefactore conferendi libertatem.

Præterea SS. Patres docent potuiſſe Deum multis alijs modis humanum genus liberare, *Poterat* (inquit S. Athan. ſerm. 3. cont. Arrianos) *ſine vllo aduentu Chriſti ſolummodò loqui Deus, & ſoluere maledictionem*. Et S. Aug. lib. 13. de Trin. cap. 10. dicit, *Non alium modum poſſibilem Deo defuiſſe, cuius poteſtati cuncta æqualiter ſubiacent: ſed ſanandæ noſtræ miſeriæ conuenientiorem alium modum non fuiſſe*.

Quæſtio igitur præſuppoſita intelligenda ex hypotheſi, quòd Deus non aliter genus humanum reparare voluerit, niſi per condignam pro peccato exhibitam ſibi ſatisfactionem; an ſcilicet ea ſuppoſitione facta, neceſſarium fuerit perſonam diuinam incarnari, vt condignam illam ſatisfactionem pro peccatis noſtris exolueret: an verò aliquis purus homo, qui non eſſet Deus hypoſtaticè vnitus, id efficere potuerit. Pro cuius reſolutione,

2 Dicendum eſt ad reparationem generis humani per condignam & æquiualentem pro peccatis hominum ſatisfactionem, abſolutè & ſimpliciter neceſſarium fuiſſe Perſonam diuinam incarnari.

Huius aſſertionis veritas ex duobus Principijs pendet, quæ hic à nobis probanda ſunt.

Primum eſt, nullum purum hominem, quibuſcumque gratiæ donis ornatum, potuiſſe condignam & æquiualentem ſatisfactionem Deo pro peccatis aliorum hominum exhibere.

Secundum eſt Chriſtum Dominum, Deum & hominem id perficere potuiſſe, & reipſa perfeciſſe.

Quòd purus homo id non potuerit probatur 1. ex his verbis Pſalmi 48. *Frater non redimit, redimet homo, non dabit Deo placationem ſuam & pretium redemptionis animæ ſuæ*: quæ verba explicans Sanctus Baſilius in hunc locum, ſic ait: *Ne igitur fratrem quære in redemptionem; ſed eum qui excedit naturam tuam, neque hominem nudum, ſed hominem Deum Ieſum Chriſtum, qui ſolus placationem Deo dare poteſt pro omnibus nobis*.

Probatur 2. ex S. Leone Papa ſerm. 1. de Natiu. vbi loquens de *Chri-*

Chriſto: Niſi, inquit, *eſſet Deus, non afferret remedium: niſi eſſet homo, non præberet exemplum*. Et S. Auguſt. in Enchir. cap. 108. *Neque*, inquit, *per ipſum liberaremur mediatorem Chriſtum, niſi eſſet Deus.* Et S. Fulgent. lib. de Incarn. cap. 4. *Nullatenus*, inquit, *humana natura ad auferendum peccatum mundi ſufficiens atque idonea fieret, niſi vnione Verbi Dei.*

Probatur 3. ea ratione qua vtitur S. Anſelmus lib. 1. cur Deus homo cap. 21. Et S. Th. q. 1. art. 2. ad 2. quia ſcilicet in omni peccato mortali reperitur ſemper offenſa & iniuria obiectiuè infinita, quatenùs eſt contra infinitam Dei bonitatem & excellentiam. At verò omnis ſatisfactiò puri hominis nō poteſt eſſe niſi finita, quamuis ex gratia Dei procedat; quælibet enim gratia creaturæ collata ſemper eſt finita, ipſique ſolùm confert dignitatem finitam. Inde ſequitur ex illa nullam actionem procedere poſſe, quæ illatæ iniuriæ & offenſæ commiſſæ ſit æqualis, ac ſufficiat ad perfectam & æquiualentem ſatisfactionem.

Confirmatur ex eo quòd grauitas peccati deſumitur ex dignitate & excellentia illius qui offenditur; quantitas verò & magnitudo ſatisfactionis ex dignitate perſonæ quæ ſatisfacit. At in omni peccato mortali is qui offenditur, ſemper eſt infinitus, nempè Deus: in ſatisfactione autem puri hominis, is qui ſatisfacit ſemper eſt finitus. Ergo impoſſibile eſt in eius ſatisfactione quantumuis magna, poſſe reperiri æqualitatem cum offenſa in Deum commiſſa.

Iam verò quod Chriſtus Dominus, Deus & homo, potuerit de condigno & æquiualentèr pro peccatis hominum ſatisfacere, & reipſa ſatisfecerit, probatur 1. ex duobus locis Apoſtoli.

Primus locus habetur cap. 10. Epiſt. ad Heb. vbi Apoſtolus conferens ſacerdotes antiquæ legis, eorumque ſacrificia cum Chriſto, eiuſque ſacrificio in cruce pro nobis oblato, ſic loquitur: *Et omnis quidem Sacerdos præſto eſt quotidie miniſtrans, & eaſdem ſæpe offerens hoſtias quæ nunquam poſſunt auferre peccata: hic autem* (Chriſtus ſcilicet) *vnam pro peccatis offerens hoſtiam vna oblatione conſummauit in æternum ſanctificatos.* Quibus verbis Apoſtolus hoc diſcrimen conſtituit: quod cum illi ſacerdotes ſacrificijs illis toties repetitis peccata auferre non poſſint, Chriſtus id vnica ſui oblatione perfecerit, quod diſcrimen nullum eſſet, ſi Chriſti oblatio condigna & æquiualens non fuiſſet: ſi enim tantùm ex quadam congruitate remiſſionem peccatorum nobis Chriſtus impetrauit, hoc etiam haud dubiè illis antiquis ſacrificijs fieri potuit; cùm eſſent actus religionis ex ſe boni, & diuinitùs ad Deum placandum inſtituti.

4 Secundus locus habetur cap. 5. Epiſt. ad Rom. in quo ſic loquitur Apoſtolus: *Sed non ſicut delictum, ita & donum; ſi enim vnius*

delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit. Quibus verbis Apoſtolus Chriſti meritum ad ſaluandum præfert Adami demerito ad perdendũ. Cum igitur Adami peccatum tale fuerit, vt per illud iuſte & condignè vniuerſum genus humanum gratia priuatum ſit, & damnationis æternæ reatum incurrerit; ſequitur ex Apoſtoli mente multò magis in Chriſti merito fuiſſe vim ac virtutem condignè redimendi ac reparandi genus humanum, & perfectè ac æquiualenter pro eius reatu ſatisfaciendi.

Probatur 2. ex S. Agapito Papa Epiſt. 5. ad Anthimum, vbi eandem comparationem inter Chriſtum & Adamum faciens, dicit, *Validiùs fuiſſe donum libertatis, quàm debitum ſeruitutis*. Et S. Chryſ. hom. 10. in cap. 5. Epiſtolæ ad Rom. vbi dicit Chriſtum pro reatu primi parentis, ac tot us generis humani ſatisfeciſſe, quẽadmodum ſi quis aliquem decem obolos debentem, & ob id carcere cum vxore & liberis detentum, ab illo carcere liberet, non tantùm ſoluendo decem illos obolos, ſed & innumera auri talẽta largiendo: vnde paulò pòſt ſubdit, Chriſtum multò plus, quàm deberemus, ſoluiſſe pro nobis; tantòque plura, quantò guttulam exiguam pelagus excedit immenſum: peccataque, pro quibus ſatisfecit, fuiſſe, *tanquam ſcintillam, ſatisfactione quam exhibuit, tanquam ſuperfuſo mari ſolutam & extinctam.*

Probatur 3. hac ratione: quia Chriſti ſatisfactio fuit ſimpliciter valoris infiniti: ergo æquiualens & condigna fuit. Quòd autem fuerit infiniti valoris colligitur tùm ex infinita dignitate perſonæ ſatisfacientis, tùm ex valore infinito rei in ſatisfactionem oblatæ: Chriſtus enim non aliam hoſtiam obtulit quàm ſeipſum.

5 Obijcies 1. Chriſtus non ſatisfecit vt Deus, ſed ſolùm quatenùs homo: Atqui vt homo non fuit infinitæ dignitatis, Ergo nec potuit in actiones ſuas ſatisfactorias valorem infinitum transfundere.

Reſpondetur Chriſtum ſatisfeciſſe in quantùm fuit homo Deus, id eſt, in quantum eius humanitas in perſona diuina ſubſiſtebat, ſeu per actiones humanitatis in perſona diuina ſubſiſtentis: quæ actiones, vt ſic erant infiniti valoris, cùm à perſona infinitè digna procederent.

Obijcies 2. Chriſtus Dominus pro remiſſione peccatorum nobis impetranda Patrem ſuum orauit: Ergo ad æqualitatem pro ipſis non ſatisfecit: ſi enim tali modo ſatisfeciſſe ſe cognouiſſet, fruſtrà pro ipſa remiſſione Patrem oraſſet.

Reſpondetur, Chriſtum Dominum oraſſe, non vt precibus ſuis ſuppleret aliquid, quod ſatisfactioni ſuæ deeſſet: ſed quia ex ordinatione diuina, vna ex actionibus, quibus Chriſtus nos à peccatis redimere, & pro illis ſatisfacere debebat diuinæ iuſtitiæ, erat oratio;

tio; vnde Iſai. 53. inter alias actiones quæ à Propheta enumerantur, quibus Chriſtus pro peccatis hominum ſatisfacere debebat, ponitur oratio quam Deo Patri obtulit pro tranſgreſſoribus: *Ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium diuidet ſpolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt: & ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogauit.*

SECTIO VII.

An ſi homo non peccaſſet, Filius Dei incarnatus fuiſſet.

1 SENSVS quęſtionis eſt; an vi illius decreti, quo ſtatuit Deus vt Verbum diuinum carnem aſſumeret, quodque per Scripturas ſacras nobis innotuit, facta fuiſſet incarnatio, etſi primus homo non peccaſſet.

Duæ autem ſunt ſuper hac re Theologorum ſententiæ, ambæ maximè probabiles, & pietati conſentaneæ. Vtramque hìc breuiter explicabimus, vt cuique liberum ſit (cùm nihil ſuper hac re ab Eccleſia definitum fuerit) eam quæ magis arriſerit amplecti.

Prima ſententia eſt eorum qui negant, Adamo non peccante, Filium Dei fuiſſe incarnandum.

Probatur 1. authoritate Scripturæ, quæ varijs in locis nullum alium finem proponit, cur Filius Dei ſit incarnatus, quàm generis humani redemptionem. S. Luc. 19. *Venit Filius hominis quærere, & ſaluum facere quod perierat.* S. Ioan. 10. *Ego veni in hunc mundum vt vitam habeant & abundantius habeant.* 1. ad Tim. 1. *Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere.*

Probatur 2. authoritate SS. Patrum, S. Leonis ferm. 3. in Pentecoſt. *Si homo ad imaginem Dei factus in ſuæ honore naturæ manſiſſet, nec diabolica fraude deceptus à lege ſibi poſita per concupiſcentiam deuiaſſet, creator mundi creatura non fieret.* S. Iren. lib. 5. aduerſus hæreſes cap. 14. *Si non haberet caro ſaluari, nequaquam Verbum caro factum eſſet.* S. Gregorius in lib. 4. Reg. c. 1. *Si Adam non peccaſſet, Redemptorem noſtrum carnem ſubire non oporteret.* S. Auguſt. ſerm. 8. de verbis Apoſtoli: *Si homo non periſſet, Dei Filius non veniſſet.*

Secunda ſententia eſt eorum, qui aſſerunt Verbi diuini Incarnationem, tanquàm maximum, nobiliſſimum & perfectiſſimum diuinæ ſapientiæ opus, à Deo intentam ac decretam fuiſſe ante quamcumque puram creaturam in particulari conſideratam: ac proinde ante præuiſionem peccati primi hominis, vt determinatè futuri; ſecundùm noſtrum concipiendi modum.

Probatur 1. cap. 8. ex Prou. *Dominus poſſedit me in initio viarum*

ſuarum: vel (vt Septuaginta Interpretes vertunt) *Dominus creauit me initio viarum ſuarum, antequàm quidquam faceret à principio*: vbi de ſe loquitur Sapientia incarnata, ſeu Chriſtus ſecundùm humanitatem, vt docet S. Ambr. lib. 1. de fide cap. 7. & probat ex illa voce *Dominus*, Nam Chriſtus ſecundùm diuinitatem non poteſt Deum appellare Dominum ſuum, ſed Patrem: cum ergo ibi appellet eum Dominum, ſequitur quòd de ſe loquatur ſecundùm humanitatem. Quod etiam docent alij SS. Patres: nam cum Arriani ex hoc loco probare conarentur Chriſtum eſſe creaturam, reſpondebant SS. Patres locum illum intelligi debere de Chriſto ſecundùm humanitatem. Ita S. Athan. ſerm. 3 & 4. contra Arrianos S. Cyrill. Alexand. lib. 4. Theſauri cap. 4. 6. & 8. S. Aug. lib. 1. de Trinit. cap. 12. Si ergo Chriſtus ſecundùm humanitatem eſt initium viarum, id eſt, operum Dei; cùm id non poſſit intelligi de ordine temporis, ſed de ordine diuinæ intentionis, & æternæ prædeſtinationis; hinc ſequitur Chriſtum ſecundùm humanitatem fuiſſe intentum ante omnes alias creaturas, atque adeò ante præuiſionem peccati primi hominis.

3 Confirmari poteſt 1. ex eo quod idem Chriſtus Dominus ab Apoſtolo ad Coloſſ. cap. 1. vocatur *Primogenitus omnis creaturæ*: loquitur autem de Chriſto ſecundùm humanitatem, vt exponunt ibi S. Hieron. & S. Anſelm. vnde ſanctus Cyrill. libro 10. Theſauri capite 4. dicit Chriſtum vocari primogenitum, quatenùs homo eſt; vnigenitum verò quatenùs Deus eſt.

Confirmari poteſt 2. ex his Apoſtoli verbis 1. Cor. 3. *Omnia veſtra ſunt: vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei*. Quibus verbis Apoſtolus dicere intendit, quòd ſi omnes aliæ creaturæ propter hominem factæ ſunt, & ex conſequenti ipſe homo à Deo ante illas eſt intentus, vt finis illarum: ſic ipſi homines, omneſque aliæ creaturæ propter Chriſtum factæ ſunt; & ex conſequenti Chriſtus ipſe prior ipſis à Deo intentus eſt.

Probatur 2. ex S. Aug. lib. 1. de nuptijs & concupiſc. cap. 21. vbi dicit illud quod de Sacram. Matrimonij habetur apud Apoſtolum Epheſ. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia*: implendum fuiſſe in ſtatu innocentiæ, ſi homo in illo perſeueraſſet: vnde ſequitur ſecundùm illius mentem, etiam Adamo non peccante, Chriſtum incarnandum fuiſſe. In eadem ſententia ſunt multi alij SS. Patres, vt S. Cyrillus Alexand. libro 5. Theſauri capite 3. & 13. S. Anſelm. libro 1. cur Deus homo. Rupertus lib. de gloria & honore Filij hominis, vbi ex profeſſo illud probat. His meritò annumerare poſſumus beatæ memoriæ Franciſcum Saleſium olim Epiſcopum Geneuenſem, qui in ſuo Theotimo ſeu tractatu de diuino amore lib. 2. cap. 4. eandem ſententiam cla-

clariſſimè pro more ſuo explicat & tuetur, eamque dicit ſe collegiſſe ex attenta conſideratione Scripturarum ac doctrinæ SS. Patrum.

Probatur 3. hac ratione: qui ordinatè vult, is poſt intentum finem, priùs vult media propinquiora fini, quàm remotiora. At Deus ordinatè vult id quod vult: & vltimus finis quem intendit, eſt bonitatis ac gloriæ ſuæ manifeſtatio, propter quam omnia alia extra ſe vult & operatur. Vnde ſequitur quòd poſt hunc finem intentum, priùs velit media illi propinquiora, quàm remotiora. Atqui incarnatio eſt medium propinquius diuinæ gloriæ, quàm humani generis redemptio, eſtque in ſe longè excellentius, & ad diuinam gloriam manifeſtandam aptius, cùm Chriſtus ſolus, quatenùs Deus & homo, maiorem gloriam Deo reddere poſſit, quam vniuerſi Angeli & homines, qui creati aut redempti fuerunt, imò qui ſunt poſſibiles. Ergo Deus priùs ipſius Chriſti Incarnationem voluit, quàm generis humani redemptionem, ac proinde, ipſum Chriſtum non propter homines primò & principaliter; ſed potiùs & homines & Angelos, & quaſcumque alias creaturas propter ipſum Chriſtum eſſe voluit.

4 Vtraque ſententia probabilis eſt, vt diximus; ſecunda tamen videtur probabilior; tùm ob ea quæ in eius probationem allata ſunt, tùm etiam, quia authoritates Scripturæ & SS. Patrum, quæ in probationem prioris citatæ ſunt, facilè poſſunt explicari.

Quod enim ſpectat ad ea Scripturæ loca, in quibus dicitur Chriſtum veniſſe ad peccatores ſaluandos, fatemur illud eſſe veriſſimum. Quamuis enim primò & principaliter, ante cuiuslibet peccati præuiſionem, à Deo, Chriſti Incarnatio intenta fuerit, hoc tamen non obſtat, quin, præuiſo poſtea Adami peccato, totiuſque generis humani lapſu, eadem incarnatio, quaſi ſecundariò & minùs principaliter, ad illius reſtaurationem diuinitùs ordinata fuerit. Et ſic vtrumque verum eſt, & Chriſtum veniſſe ad ſaluandos homines, & nihilominùs ante quamcunque creaturam à Deo intentum fuiſſe.

Ad illud autem quód aliqui SS. Patres dicunt Adamo non peccante, Chriſtum non fuiſſe venturum; dicendum eſt hoc verum eſſe, ſi intelligatur, Chriſtum non fuiſſe venturum eo modo, quo venit; hoc eſt, in carne paſſibili; neque ea facturum fuiſſe, aut paſſurum, quæ humanæ ſalutis cauſa fecit, & paſſus eſt.

CAPVT II.

De modo quo peractum eſt Incarnationis myſterium.

SECTIO I.

Quid ſit vnio hypoſtatica.

1 EXPLICATIS ijs quæ ad veritatem huius myſterij pertinent, doctrinæ ordo poſtulat vt videamus, qua ratione illud peractum ſit. Cùm autem (vt conſtat ex antè dictis) Incarnatio facta fuerit per vnionem naturæ humanæ cum diuina, in ipſius Verbi perſona, videndum eſt in primis, quid ſit illa vnio. Quod vt melius intelligatur,

Supponendum eſt ex Philoſophia, ſubſiſtentiam ſeu perſonalitatem nihil aliud eſſe, quam modum aliquem realem & ſubſtantialem, quo natura rationalis vltimò perficitur & completur, ita vt per ſe & independenter ab omni alio ſubſiſtat, & cuiuis alteri, vt ſic, incommunicabilis exiſtat; & ita ex natura ſubſtantiali rationali, & ſubſiſtentia illa ſeu perſonalitate, fit vna ſingularis perſona. Hoc præſuppoſito, vt quæſtioni propoſitæ ſatisfiat,

Notandum eſt vnionem hypoſtaticam duplici modo ſumi poſſe.

Primò pro actione, qua Deus vniuit ſeu coniunxit humanam naturam cum hypoſtaſi ſeu perſona diuini Verbi; quo ſenſu vocari poteſt vnitio, & hæc actio ſeu vnitio eſt à tota ſanctiſſima Trinitate, ſicut omnes aliæ actiones ad extrà, vt definitum eſt in Concil. Lateranenſi ſub Innoc. III. c. 1. & in Concil. Toletano 6. c. 1.

Secundò pro termino proximo & immediato illius actionis: qui quidem, ſecundùm probabiliorem Doctorum ſententiam, non eſt alius, quam modus quidam, quo humanitas Chriſti formaliter manet vnita cum perſona Verbi.

Hic autem modus non accidentalis, ſed ſubſtantialis, vt docent S. Thom. q. 2. art. 6. cùm ſit de intrinſeco & eſſentiali conceptu alicuius ſubſtantiæ, nempe Chriſti, prout eſt quoddam ſubſtantiale ſuppoſitum, in diuina humanaque natura ſubſiſtens: vnde Martinus primus in Concilio Lateran conſultat. 5. can. 8. damnat eum, *qui non confitetur propriè & ſecundùm veritatem, in eodem Chriſto naturarum ſubſtantialem vnionem indiuiſè & inconfuſè.*

Porrò modus ille ſubſtantialis vnionis, ex duabus vnionibus partialibus

tialibus conflatus eſt; quarum altera eſt in corpore; altera in anima Chriſti: nam & corpus per ſe vnitum eſt Verbo, ſimiliter & anima eidem Verbo per ſe vnita eſt. Quod manifeſtè apparuit in triduo mortis Chriſti: tunc enim anima fuit à corpore ſeparata, & tamen vtrumque ſeorſum manſit vnitum cum Verbo: vnde ſequitur quòd in vtroque reperiatur vnio partialis; materialis quidem in corpore, ſpiritualis autem in anima; cùm vtriuſque conditio id exigat.

Eſt etiam modus ille vnionis relatiuus, ſaltem relatione tranſcendentali, cùm dicat eſſentialem reſpectum partim ad humanitatem, tanquam ad ſubiectum quod modificat, & tanquam ad terminum quem vnit, partim ad ipſum Verbum diuinum, tanquam ad alium terminum quem cum ipſa humanitate connectit.

2 Quæres, vnio illa quæ inter perſonam Verbi & inter humanitatem intercedit, ſit omnium aliarum vnionum, quæ in creaturis reperiuntur, maxima & arctiſſima?

Reſpondetur affirmatiuè. Ratio eſt, quia illarum rerum vnio maxima & arctiſſima eſt, quæ magis accedunt ad indiuiſionem & indiſtinctionem: Atqui natura diuina & humana in Chriſto, quatenus ambæ in eadem Verbi diuini ſubſiſtentia vniuntur, maximè accedunt ad indiuiſionem & indiſtinctionem, eò quòd arctiſſimum ordinem habent ad inuicem, vtpotè qui ſit per aliquid quod eſt ſimpliciſſimum, & maximè vnum ſcilicet per Verbi diuini ſubſiſtentiam: vnde S. Bernardus lib. 5. de conſiderat. cap. 8. *Inter omnia*, inquit, *quæ rectè vnum dicuntur, arcem tenet vnitas Trinitatis, qua tres perſonæ vna ſubſtantia ſunt: ſecundo loco illa præcellit, qua è conuerſo tres ſubſtantiæ, ſcilicet Verbum, anima, & corpus, vna in Chriſto perſona ſunt.*

Hinc ſequitur illam vnionem, ſicut eſt arctiſſima, ſic etiam eſſe maximè indiſſolubilem: vnde S. Leo ſerm. 17. de paſſione: *In tantam* inquit, *vnitatem Dei & hominis natura conuenit, vt nec ſupplicio dirimi potuerit, nec morte disiungi.*

SECTIO II.

An ſola Filij Perſona naturam humanam aſſumpſerit.

1 SENSVS quæſtionis eſt, an natura humana ita cum perſona Filij fuerit vnita, vt ſolus Filius verè & propriè & incarnatus, atque homo factus ſit, non item Pater, aut Spiritus ſanctus. Pro cuius reſolutione,

Dicendũ eſt, certum eſſe ex fide, ſoli perſonæ Filij naturam humanã fuiſſe vnitam, atq; adeò ſolum Filiũ, non verò Patrem & Spiritum ſanctum naturam humanam aſſumpſiſſe, & hominem factum eſſe.

Hæc veritas apertè conſtat ex quamplurimis Scripturæ locis, vt Sancti Ioan. 1. *Verbum caro factum eſt*. Et capite 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret*. Id etiam expreſſè definitum eſt in varijs Concilijs, vt in Concilio Calced. actione 5. Conſtantinop. 2. c. 5. Et continetur in omnibus Symbolis, quibus Eccleſia Catholica vtitur.

Verùm difficultas eſt, cum in diuinis omnia opera ad extra ſint indiuiſa, & tribus perſonis communia, quomodò vnio illa in ſola perſona Filij, non item Patris ac Spiritus ſancti, fieri potuerit, Quæ difficultas vt facillius ſoluatur,

Obſeruandum eſt id quod docet S. Th 1. p. q. 40. art. 2. & cõmuniter cum eo Theologi, perſonas diuinas conſtare eſſentia diuina tanquàm aliquo communi, & ſuis proprietatibus perſonalibus, tanquam ratione conſtitutiua & diſtinctiua aliarum.

Hac obſeruatione ſuppoſita, ad propoſitam difficultatem reſpondetur.

Quod ſi per vnionem & aſſumptionem humanæ naturæ intelligatur actio illa, qua cum perſona Verbi coniuncta fuit, illam eſſe communem toti Trinitati, vt ſuprà dictum eſt.

Quod ſi per vnionem intelligatur terminus immediatus illius actionis; quæraturque, quomodo perſona Filij potiùs, quàm Patris aut Spiritus ſancti immediatè terminet & ſuſtentet ipſam naturam humanam, dicendum eſt id fieri, quia illam terminat, ipſique vnitur, non per aliquid abſolutum & eſſentiale, ſed per aliquid relatiuum & perſonale ſibi proprium.

Hoc expreſſè definitum & explicatum habetur in Concilio Tolet. 6. c. 1. in profeſſione fidei his verbis: *Cum tota cooperata ſit Trinitas cooperationem ſuſcepit hominis, quoniam ſunt inſeparabilia opera Trinitatis; ſolus tamen Filius ſuſcepit humanitatem in ſingularitate perſonæ, non in vnitate naturæ, id eſt, in eo quod proprium eſt Filij, non quod commune Trinitati.*

Dices apud SS Patres aliquando reperiri, quod natura diuina humanam aſſumpſit: vnde ſequitur, cum illa Patri & Spiritui ſancto, ſicut & Filio communis ſit, æquè dici poſſe Patrem aut Spiritum ſanctum incarnatum eſſe ac Filium.

Reſpondetur, cùm dicunt Patres naturam Dei incarnatam fuiſſe; ſenſum eſſe (vt rectè explicat S Thom. 3 a. 2.) perſonam Filij primariò & proprijſſimè naturam humanam aſſumpſiſſe, & ſic fuiſſe incarnatam: conſequenter autem & ſecundariò diuinam naturam, quæ cum ipſa Filij perſona identificatur, naturam illam humanam aſſumpſiſſe, adeòque fuiſſe carni vnitam, atque eatenus eſſe & dici poſſe incarnatam.

Porrò, quamuis eo ſenſu modus ille loquendi verus ſit, communiter

niter tamen vſurpari non debet, quin proprius & legitimus eius ſenſus explicetur, vnde S. Damaſc. lib.3. de fide capite 6. licet eo vtatur; de illo tamen poſteà dubitat, an verus & proprius ſit, & an debeat vſurpari.

SECTIO III.

An poſt duarum in Chriſto naturarum vnionem, manſerit proprietatum vtriuſque naturæ diſtinctio.

1 CATHOLICA fides docet (vt ex antedictis ſatis conſtat) ita factam eſſe naturæ diuinæ & humanæ in perſona Verbi vnionem, vt tamen manſerit ſemper omnimoda proprietatum cuiuſque naturæ diſtinctio.

Huic autem veritati præter hæreſes capite præcedenti relatas & refutatas, oppoſita eſt noua hæreſis Vbiquiſtarum, qui aſſerunt humanam naturam Verbo diuino hypoſtaticè hoc ipſo vnitam eſſe, quòd omnis plenitudo & energia diuinitatis Verbi ſit illi realiter communicata, & ita in eam transfuſa, vt Chriſtus etiam ſecundùm humanitatem, atque adeò quatenùs homo, veriſſimè dicatur eſſe Deus, omnipotens, æternus, infinitus, vbique præſens: vnde & Vbiquiſtarum appellationem ſortiti ſunt.

Refellitur hæc hæreſis, & noſtræ fidei veritas probatur 1. ex Scripturis, quæ vtriuſque naturæ proprietates in Chriſto diſtinguunt. 1. Cor.13. *Etſi crucifixus eſt ex infirmitate, ſed viuit ex virtute Dei*. 1. Petri 4. *Chriſto igitur paſſo in carne pro nobis*. S.Ioan. 20. Chriſtus Dominus de ſe loquens: *Aſcendo*, inquit, *ad Patrem meum & Patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum*.

Probatur 2. ex Concilio Chalcedonenſi Act.5. vbi definitum eſt, *Vnum & eundem Ieſum Chriſtum vnigenitum, in duabus naturis inconfuſibiliter cognoſcendum eſſe, nulla naturarum differentia ſublata, propter vnionem, ſed magis vtriuſque naturæ proprietate in vnam perſonam & in vnam ſubſiſtentiam concurrente*. Et ex Conc. Later. 1. ſub Martino I. c.9. *Si quis non confitetur propriè & verè naturales proprietates Deitatis Chriſti & humanitatis indiminutè in eo, & ſine defectione ſaluatas, &c. ſit condemnatus*. Et in Epiſt. Agathonis Papæ, quæ in ſexta Synodo generali act.4. lecta & recepta eſt, dicitur, *vnamquamque naturam Chriſti, proprietatem naturalem retinere; & habere diuinam omnia quæ diuina ſunt*.

Probatur 3. ex S.Greg. Nazianz. in orat. de Filio: *Vno capitulo*, inquit, *moneo, vt altiora adſcribas diuinitati, humiliora autem naturæ humanæ attribuas*. Et S. Ioan. Damaſc. lib.2. de fide capite 4. *Diuinitatem*, inquit, *dicentes, non nominamus ea quæ ſunt propria huma-*

humanitatis; *neque de carne prædicamus ea quæ ſunt diuinitatis propria*.

Probatur 4. ex abſurdis, quæ poſita illa hæreſi conſequuntur. Si enim Chriſto ſecundùm humanitatem, proprietates diuinæ verè competerent; ſequeretur ipſum Chriſtum ſecundùm humanitatem ſuam eſſe authorem ſuæ humanitatis; & ſecundùm animam ſuam eſſe creatorem ſuæ animæ: item ſecundùm humanitatem ſuam extitiſſe, antequàm ipſa humanitas exiſteret, ſimiliter ſecundùm humanitatem ſuam neque pati neque mori potuiſſe, atque adeò neque paſſum neque mortuum fuiſſe. Quæ omnia quàm abſurda ſint, nemo non videt.

Obſeruandum eſt autem Doctores Catholicos non negare, imo vltro fateri, omnem plenitudinem diuinitatis; atque adeo diuinas omnes perfectiones, naturæ humanæ Chriſti fuiſſe communicatas, non tamen eo ſenſu, quo illi hæretici volunt, quaſi verò illæ diuinæ perfectiones naturæ humanæ attribui poſſint, aut de illa prædicari, ſeu de Chriſto ſecundùm ipſam: ſed ſolùm iſto ſenſu; qui veriſſimus eſt, quatenùs nimirum natura humana in ipſa Verbi perſona ſubſiſtit per ipſam Verbi ſubſiſtentiam, cum qua ipſius Verbi diuinitas eiuſque perfectiones identificantur.

SECTIO VI.

Quænam humanæ naturæ partes à Verbo aſſumptæ ſint.

1 DICENDVM 1. Filium Dei vèrum & naturale corpus, eiuſdemq; rationis cum noſtris corporibus aſſumpſiſſe.

Eſt de fide contra Manichæos & Serdonianos, qui (vt refert S. Auguſt. lib. de hæreſ. cap. 41. & 66. aſſerebant Chriſtum Dominum non habuiſſe verum & naturale corpus, ſed phantaſticum & apparens.

Refellitur hic error, & veritas oppoſita probatur iiſdem authoritatibus Scripturæ, Conciliorum & Patrum, quibus ſupra probatum eſt Chriſtum Dominum veram naturam humanam aſſumpſiſſe, verumque Deum ac verum hominem eſſe. Niſi enim verum & naturale corpus aſſumpſiſſet, non poſſet dici verus homo, nec verè humanam naturam aſſumpſiſſe. Vnde S. Aug. li. 83. q. 14. *Si*, inquit, *phantaſticum fuit corpus Chriſti, fefellit Chriſtus, & ſi fefellit, veritas non eſt: eſt autem veritas Chriſtus: non igitur phantaſma fuit corpus Chriſti.*

Dicendum 2. Filium Dei ſicut verum corpus, ſic etiam ve-

ram

tam animam rationalem, intellectu ac voluntate præditam, ac eiuſdem naturæ cum animabus cæterorum hominum, aſſumpſiſſe.

Huic veritati, quæ de fide eſt, oppoſitus fuit olim error Apollinaris, qui (vt refert Sanctus Auguſtinus lib. de hæreſ. cap. 55.) aſſerebat, Verbum diuinum aſſumpſiſſe carnem ſine anima; ipſumque Verbum fuiſſe inſtar animæ rationalis in carne aſſumptæ.

Refellitur hic error, ac noſtræ fidei veritas probatur 1. iiſdem teſtimonijs, quibus ſuprà conſtare diximus, Chriſtum eſſe, ſicut verum Deum, ſic etiam verum hominem. Quod dici non poſſet, ſi animam humanam non aſſumpſiſſet; cùm anima ſit pars eſſentialis hominis.

Probatur 2. eadem veritas ex ijs Scripturæ locis, in quibus dicitur Chriſtum Dominum veram animam habuiſſe. S. Matth. 26. *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* S. Ioan. 10. *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam.* Quibus in locis animam propriè accipi pro anima humana docet S. Auguſt. lib. 83. quæſt. q. 80.

Probatur 3. ex Conc. Epheſino c. 13. vbi expreſſè aſſeritur. *Dei Filium carnem animatam anima rationali ſibi copulaſſe.* Et in ſymbolo S. Athanaſij habetur: *Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens.*

Ex quibus ſequitur falſum & erroneum quoque eſſe id, quod aliqui Apollinaris diſcipuli dixerunt: qui, cùm Euangelij teſtimonijs conuicti, Filium Dei animam aſſumpſiſſe faterentur, illam tamen mente ac intellectu priuatam fuiſſe aiebant, eiuſque defectum à Verbo diuino ſuppletum fuiſſe; cùm intellectus ad veritatem humanæ naturæ abſolutè pertineat; nec anima humana perfecta eſſe poſſit ſine intelligendi facultate, neque poſſibile ſit, vt diuinitas in Chriſto ſuppleat rationem alicuius partis vel facultatis; cùm omnis pars ſit ens imperfectum & incompletum comparatione totius. Vnde & hæc opinio a Sancto Leone Papa ſer. 8. de natiu. Chriſti omninò reprobata eſt.

Dicendum 3. totum ſanguinem, qui fuit in corpore Chriſti, fuiſſe ipſi verbo hypoſtatice vnitum.

2 Probatur 1. ex Scriptura. Heb. 10. vbi Filius Dei dicitur. *Participaſſe carni, & ſanguini*, ſicut reliqui homines: vbi Apoſtolus eodem modo de ſanguine ac de carne loquitur; vnde ſequitur, Verbum diuinum eodem modo ſanguinem atque carnem aſſumpſiſſe. Item ex omnibus alijs Scripturæ locis, quæ peccatorum remiſſionem & hominum redemptionem attribuunt ſanguini Chriſti; vt ad Epheſ. 1. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius.* Et

Epiſt.

ni fuiſſe abſolutè & ſimpliciter neceſſarium ad illius reparationem, Filium Dei incarnari.

Conſtat ex eo quòd Scriptura varijs in locis, generis humani temperationem eo modo, quo facta eſt, tribuit charitati ac miſericordiæ diuinæ. Ad Tit. 3. *Secundum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit*. S. Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret*. Beneficium autem ex charitate & miſericordia collatum, ſupponit in benefactore conferendi libertatem.

Præterea SS. Patres docent potuiſſe Deum multis alijs modis humanum genus liberare, *Poterat* (inquit S. Athan. ſerm. 3. cont. Arrianos) *ſine vllo aduentu Chriſti ſolummodò loqui Deus, & ſoluere maledictionem*. Et S. Aug. lib. 13. de Trin. cap. 10. dicit, *Non alium modum poſſibilem Deo defuiſſe, cuius poteſtati cuncta æqualiter ſubiacent: ſed ſanandæ noſtræ miſeriæ conuenientiorem alium modum non fuiſſe*.

Quæſtio igitur præſuppoſita intelligenda ex hypotheſi, quòd Deus non aliter genus humanum reparare voluerit, niſi per condignam pro peccato exhibitam ſibi ſatisfactionem; an ſcilicet ea ſuppoſitione facta, neceſſarium fuerit perſonam diuinam incarnari, vt condignam illam ſatisfactionem pro peccatis noſtris exolueret: an verò aliquis purus homo, qui non eſſet Deus hypoſtaticè vnitus, id efficere potuerit. Pro cuius reſolutione,

2 Dicendum eſt ad reparationem generis humani per condignam & æquiualentem pro peccatis hominum ſatisfactionem, abſolutè & ſimpliciter neceſſarium fuiſſe Perſonam diuinam incarnari.

Huius aſſertionis veritas ex duobus Principijs pendet, quæ hic à nobis probanda ſunt.

Primum eſt, nullum purum hominem, quibuſcumque gratiæ donis ornatum, potuiſſe condignam & æquiualentem ſatisfactionem Deo pro peccatis aliorum hominum exhibere.

Secundum eſt Chriſtum Dominum, Deum & hominem id perficere potuiſſe, & reipſa perfeciſſe.

Quòd purus homo id non potuerit probatur 1. ex his verbis Pſalmi 48. *Frater non redimit, redimet homo, non dabit Deo placationem ſuam & pretium redemptionis animæ ſuæ*: quæ verba explicans Sanctus Baſilius in hunc locum, ſic ait: *Ne igitur fratrem quære in redemptionem; ſed eum qui excedit naturam tuam, neque hominem nudum, ſed hominem Deum Ieſum Chriſtum, qui ſolus placationem Deo dare poteſt pro omnibus nobis*.

Probatur 2. ex S. Leone Papa ſerm. 1. de Natiu. vbi loquens de *Chri-*

Chriſto: *Niſi*, inquit, *eſſet Deus, non afferret remedium: niſi eſſet homo, non præberet exemplum*. Et S. Auguſt. in Enchir. cap. 108. *Neque*, inquit, *per ipſum liberaremur mediatorem Chriſtum, niſi eſſet Deus*. Et S. Fulgent. lib. de Incarn. cap. 4. *Nullatenus*, inquit, *humana natura ad auferendum peccatum mundi ſufficiens atque idonea fieret, niſi vnione Verbi Dei*.

Probatur 3. ea ratione qua vtitur S. Anſelmus lib. 1. cur Deus homo cap. 21. Et S. Th. q. 1. art. 2. ad 2. quia ſcilicet in omni peccato mortali reperitur ſemper offenſa & iniuria obiectiuè infinita, quatenùs eſt contra infinitam Dei bonitatem & excellentiam. At verò omnis ſatisfactio puri hominis nõ poteſt eſſe niſi finita, quamuis ex gratia Dei procedat; quælibet enim gratia creaturæ collata ſemper eſt finita, ipſique ſolùm confert dignitatem finitam. Inde ſequitur ex illa nullam actionem procedere poſſe, quæ illatæ iniuriæ & offenſæ commiſſæ ſit æqualis, ac ſufficiat ad perfectam & æquiualentem ſatisfactionem.

Confirmatur ex eo quòd grauitas peccati deſumitur ex dignitate & excellentia illius qui offenditur; quantitas verò & magnitudo ſatisfactionis ex dignitate perſonæ quæ ſatisfacit. At in omni peccato mortali is qui offenditur, ſemper eſt infinitus, nempè Deus: in ſatisfactione autem puri hominis, is qui ſatisfacit ſemper eſt finitus. Ergo impoſſibile eſt in eius ſatisfactione quantumuis magna, poſſe reperiri æqualitatem cum offenſa in Deum commiſſa.

Iam verò quod Chriſtus Dominus, Deus & homo, potuerit de condigno & æquiualenter pro peccatis hominum ſatisfacere, & reipſa ſatisfecerit, probatur 1. ex duobus locis Apoſtoli.

Primus locus habetur cap. 10. Epiſt. ad Heb. vbi Apoſtolus conferens ſacerdotes antiquæ legis, eorumque ſacrificia cum Chriſto, eiuſque ſacrificio in cruce pro nobis oblato, ſic loquitur: *Et omnis quidem Sacerdos præſto eſt quotidie miniſtrans, & eaſdem ſæpe offerens hoſtias quæ nunquam poſſunt auferre peccata: hic autem* (Chriſtus ſcilicet) *vnam pro peccatis offerens hoſtiam vna oblatione conſummauit in æternum ſanctificatos*. Quibus verbis Apoſtolus hoc diſcrimen conſtituit: quod cum illi ſacerdotes ſacrificijs illis toties repetitis peccata auferre non poſſint, Chriſtus id vnica ſui oblatione perfecerit, quod diſcrimen nullum eſſet, ſi Chriſti oblatio condigna & æquiualens non fuiſſet: ſi enim tantùm ex quadam congruitate remiſſionem peccatorum nobis Chriſtus impetrauit, hoc etiam haud dubiè illis antiquis ſacrificijs fieri potuit; cùm eſſent actus religionis ex ſe boni, & diuinitùs ad Deum placandum inſtituti.

4 Secundus locus habetur cap. 5. Epiſt. ad Rom. in quo ſic loquitur Apoſtolus: *Sed non ſicut delictum, ita & donum; ſi enim vnius*

P *delicto*

delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit. Quibus verbis Apoſtolus Chriſti meritum ad ſaluandum præfert Adami demerito ad perdendũ. Cum igitur Adami peccatum tale fuerit, vt per illud iuſte & condignè vniuerſum genus humanum gratia priuatum ſit, & damnationis æternæ reatum incurrerit; ſequitur ex Apoſtoli mente multò magis in Chriſti merito fuiſſe vim ac virtutem condignè redimendi ac reparandi genus humanum, & perfectè ac æquiualenter pro eius reatu ſatisfaciendi.

Probatur 2. ex S. Agapito Papa Epiſt. 5. ad Anthimum, vbi eandem comparationem inter Chriſtum & Adamum faciens, dicit, *Validiùs fuiſſe donum libertatis, quàm debitum ſeruitutis.* Et S. Chryſ. hom. 10. in cap. 5. Epiſtolæ ad Rom. vbi dicit Chriſtum pro reatu primi parentis, ac totius generis humani ſatisfeciſſe, quẽadmodum ſi quis aliquem decem obolos debentem, & ob id carcere cum vxore & liberis detentum, ab illo carcere liberet, non tantùm ſoluendo decem illos obolos, ſed & innumera auri talẽta largiendo: vnde paulò pòſt ſubdit, Chriſtum multò plus, quàm debebemus, ſoluiſſe pro nobis; tantòque plura, quantò guttulam exiguam pelagus excedit immenſum: peccataque, pro quibus ſatisfecit, fuiſſe, *tanquam ſcintillam, ſatisfactione quam exhibuit, tanquam ſuperaffuſo mari ſolutam & extinctam.*

Probatur 3. hac ratione: quia Chriſti ſatisfactio fuit ſimpliciter valoris infiniti: ergo æquiualens & condigna fuit. Quòd autem fuerit infiniti valoris colligitur tùm ex infinita dignitate perſonæ ſatisfacientis, tùm ex valore infinito rei in ſatisfactionem oblatæ: Chriſtus enim non aliam hoſtiam obtulit quàm ſeipſum.

5 Objicies 1. Chriſtus non ſatisfecit vt Deus, ſed ſolùm quatenus homo: Atqui vt homo non fuit infinitæ dignitatis, Ergo nec potuit in actiones ſuas ſatisfactorias valorem infinitum transfundere.

Reſpondetur Chriſtum ſatisfeciſſe in quantùm fuit homo Deus, id eſt, in quantum eius humanitas in perſona diuina ſubſiſtebat, ſeu per actiones humanitatis in perſona diuina ſubſiſtentis: quæ actiones, vt ſic erant infiniti valoris, cùm à perſona infinitè digna procederent.

Objicies 2. Chriſtus Dominus pro remiſſione peccatorum nobis impetranda Patrem ſuum orauit: Ergo ad æqualitatem pro ipſis non ſatisfecit: ſi enim tali modo ſatisfeciſſe ſe cognouiſſet, fruſtrà pro ipſa remiſſione Patrem oraſſet.

Reſpondetur, Chriſtum Dominum oraſſe, non vt precibus ſuis ſuppleret aliquid, quod ſatisfactioni ſuæ deeſſet: ſed quia ex ordinatione diuina, vna ex actionibus, quibus Chriſtus nos à peccatis redimere, & pro illis ſatisfacere debebat diuinæ iuſtitiæ, erat ora-

tio;

tio; vnde Iſai. 53. inter alias actiones quæ à Propheta enumerantur, quibus Chriſtus pro peccatis hominum ſatisfacere debebat, ponitur oratio quam Deo Patri obtulit pro tranſgreſſoribus: *Ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium diuidet ſpolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt: & ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogauit.*

SECTIO VII.

An ſi homo non peccaſſet, Filius Dei incarnatus fuiſſet.

1 SENSVS quæſtionis eſt; an vi illius decreti, quo ſtatuit Deus vt Verbum diuinum carnem aſſumeret, quodque per Scripturas ſacras nobis innotuit, facta fuiſſet incarnatio, etſi primus homo non peccaſſet.

Duæ autem ſunt ſuper hac re Theologorum ſententiæ, ambæ maximè probabiles, & pietati conſentaneæ. Vtramque hîc breuiter explicabimus, vt cuique liberum ſit (cùm nihil ſuper hac re ab Eccleſia definitum fuerit) eam quæ magis arriſerit amplecti.

Prima ſententia eſt eorum qui negant, Adamo non peccante, Filium Dei fuiſſe incarnandum.

Probatur 1. authoritate Scripturæ, quæ varijs in locis nullum alium finem proponit, cur Filius Dei ſit incarnatus, quàm generis humani redemptionem. S. Luc. 19. *Venit Filius hominis quærere, & ſaluum facere quod perierat.* S. Ioan. 10. *Ego veni in hunc mundum vt vitam habeant & abundantius habeant.* 1. ad Tim. 1. *Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere.*

Probatur 2. authoritate SS. Patrum, S. Leonis ſerm. 3. in Pentecoſt. *Si homo ad imaginem Dei factus in ſuæ honore naturæ manſiſſet, nec diabolica fraude deceptus à lege ſibi poſita per concupiſcentiam deuiaſſet, creator mundi creatura non fieret.* S. Iren. lib. 5. aduerſus hæreſes cap. 14. *Si non haberet caro ſaluari, nequaquam Verbum caro factum eſſet.* S. Gregorius in lib. 4. Reg. c. 1. *Si Adam non peccaſſet, Redemptorem noſtrum carnem ſubire non oporteret.* S. Auguſt. ſerm. 8. de verbis Apoſtoli: *Si homo non perijſſet, Dei Filius non veniſſet.*

Secunda ſententia eſt eorum, qui aſſerunt Verbi diuini Incarnationem, tanquàm maximum, nobiliſſimum & perfectiſſimum diuinæ ſapientiæ opus, à Deo intentam ac decretam fuiſſe ante quamcumque puram creaturam in particulari conſideratam: ac proinde ante præuiſionem peccati primi hominis, vt determinatè futuri; ſecundùm noſtrum concipiendi modum.

Probatur 1. cap. 8. ex Prou. *Dominus poſſedit me in initio viarum*

clariſſimè pro more ſuo explicat & tuetur, eamque dicit ſe collegiſſe ex attenta conſideratione Scripturarum ac doctrinæ SS. Patrum.

Probatur 3. hac ratione: qui ordinatè vult, is poſt intentum finem, priùs vult media propinquiora fini, quàm remotiora. At Deus ordinatè vult id quod vult: & vltimus finis quem intendit, eſt bonitatis ac gloriæ ſuæ manifeſtatio, propter quam omnia alia extra ſe vult & operatur. Vnde ſequitur quòd poſt hunc finem intentum, priùs velit media illi propinquiora, quàm remotiora. Atqui incarnatio eſt medium propinquius diuinæ gloriæ, quàm humani generis redemptio, eſtque in ſe longè excellentius, & ad diuinam gloriam manifeſtandam aptius, cùm Chriſtus ſolus, quatenùs Deus & homo, maiorem gloriam Deo reddere poſſit, quam vniuerſi Angeli & homines, qui creati aut redempti fuerunt, imò qui ſunt poſſibiles. Ergo Deus priùs ipſius Chriſti Incarnationem voluit, quàm generis humani redemptionem, ac proinde, ipſum Chriſtum non propter homines primò & principaliter; ſed potiùs & homines & Angelos, & quaſcumque alias creaturas propter ipſum Chriſtum eſſe voluit.

4 Vtraque ſententia probabilis eſt, vt diximus; ſecunda tamen videtur probabilior; tùm ob ea quæ in eius probationem allata ſunt, tùm etiam, quia authoritates Scripturæ & SS. Patrum, quæ in probationem prioris citatæ ſunt, facilè poſſunt explicari.

Quod enim ſpectat ad ea Scripturæ loca, in quibus dicitur Chriſtum veniſſe ad peccatores ſaluandos, fatemur illud eſſe veriſſimum. Quamuis enim primò & principaliter, ante cuiuslibet peccati præuiſionem, à Deo, Chriſti Incarnatio intenta fuerit, hoc tamen non obſtat, quin, præuiſo poſtea Adami peccato, totiuſque generis humani lapſu, eadem incarnatio, quaſi ſecundariò & minùs principaliter, ad illius reſtaurationem diuinitùs ordinata fuerit. Et ſic vtrumque verum eſt, & Chriſtum veniſſe ad ſaluandos homines, & nihilominùs ante quamcunque creaturam à Deo intentum fuiſſe.

Ad illud autem quòd aliqui SS. Patres dicunt Adamo non peccante, Chriſtum non fuiſſe venturum; dicendum eſt hoc verum eſſe, ſi intelligatur, Chriſtum non fuiſſe venturum eo modo, quo venit; hoc eſt, in carne paſſibili; neque ea facturum fuiſſe, aut paſſurum, quæ humanæ ſalutis cauſa fecit, & paſſus eſt.

CAPVT II.

De modo quo peractum eſt Incarnationis myſterium.

SECTIO I.

Quid ſit vnio hypoſtatica.

1 EXPLICATIS ijs quæ ad veritatem huius myſterij pertinent, doctrinæ ordo poſtulat vt videamus, qua ratione illud peractum ſit. Cùm autem (vt conſtat ex antè dictis) Incarnatio facta fuerit per vnionem naturæ humanæ cum diuina, in ipſius Verbi perſona, videndum eſt in primis, quid ſit illa vnio. Quod vt melius intelligatur,

Supponendum eſt ex Philoſophia, ſubſiſtentiam ſeu perſonalitatem nihil aliud eſſe, quam modum aliquem realem & ſubſtantialem, quo natura rationalis vltimò perficitur & completur, ita vt per ſe & independenter ab omni alio ſubſiſtat, & cuiuis alteri, vt ſic, incommunicabilis exiſtat; & ita ex natura ſubſtantiali rationali, & ſubſiſtentia illa ſeu perſonalitate, fit vna ſingularis perſona. Hoc præſuppoſito, vt quæſtioni propoſitæ ſatisfiat,

Notandum eſt vnionem hypoſtaticam duplici modo ſumi poſſe.

Primò pro actione, qua Deus vniuit ſeu coniunxit humanam naturam cum hypoſtaſi ſeu perſona diuini Verbi; quo ſenſu vocari poteſt vnitio, & hæc actio ſeu vnitio eſt à tota ſanctiſſima Trinitate, ſicut omnes aliæ actiones ad extrà, vt definitum eſt in Concil. Lateranenſi ſub Innoc. III. c. 1. & in Concil. Toletano 6. c. 1.

Secundò pro termino proximo & immediato illius actionis: qui quidem, ſecundùm probabiliorem Doctorum ſententiam, non eſt alius, quam modus quidam, quo humanitas Chriſti formaliter manet vnita cum perſona Verbi.

Hic autem modus non accidentalis, ſed ſubſtantialis, vt docent S. Thom. q. 2. art. 6. cùm ſit de intrinſeco & eſſentiali conceptu alicuius ſubſtantiæ, nempe Chriſti, prout eſt quoddam ſubſtantiale ſuppoſitum, indiuina humanaque natura ſubſiſtens: vnde Martinus primus in Concilio Lateran conſultat. 5. can. 8. damnat eum, *qui non confitetur propriè & ſecundùm veritatem, in eodem Chriſto naturarum ſubſtantialem vnionem indiuiſè & inconfuſè.*

Porrò modus ille ſubſtantialis vnionis, ex duabus vnionibus par-

tialibus conflatus eſt; quarum altera eſt in corpore; altera in anima Chriſti: nam & corpus per ſe vnitum eſt Verbo, ſimiliter & anima eidem Verbo per ſe vnita eſt. Quod manifeſtè apparuit in triduo mortis Chriſti: tunc enim anima fuit à corpore ſeparata, & tamen vtrumque ſeorſum manſit vnitum cum Verbo: vnde ſequitur quòd in vtroque reperiatur vnio partialis; materialis quidem in corpore, ſpiritualis autem in anima; cùm vtriuſque conditio id exigat.

Eſt etiam modus ille vnionis relatiuus, ſaltem relatione tranſcendentali, cùm dicat eſſentialem reſpectum partim ad humanitatem, tanquam ad ſubiectum quod modificat, & tanquam ad terminum quem vnit, partim ad ipſum Verbum diuinum, tanquam ad alium terminum quem cum ipſa humanitate connectit.

2 Quæres, vnio illa quæ inter perſonam Verbi & inter humanitatem intercedit, ſit omnium aliarum vnionum, quæ in creaturis reperiuntur, maxima & arctiſſima?

Reſpondetur affirmatiuè. Ratio eſt, quia illarum rerum vnio maxima & arctiſſima eſt, quæ magis accedunt ad indiuiſionem & indiſtinctionem: Atqui natura diuina & humana in Chriſto, quatenus ambæ in eadem Verbi diuini ſubſiſtentia vniuntur, maximè accedunt ad indiuiſionem & indiſtinctionem, eò quòd arctiſſimum ordinem habent ad inuicem, vtpotè qui fit per aliquid quod eſt ſimpliciſſimum, & maximè vnum ſcilicet per Verbi diuini ſubſiſtentiam: vnde S. Bernardus lib. 5. de conſiderat. cap. 8. *Inter omnia*, inquit, *quæ rectè vnum dicuntur, arcem tenet vnitas Trinitatis, quæ tres perſonæ vna ſubſtantia ſunt: ſecundo loco illa præcellit, quæ è conuerſo tres ſubſtantiæ, ſcilicet Verbum, anima, & corpus, vna in Chriſto perſona ſunt.*

Hinc ſequitur illam vnionem, ſicut eſt arctiſſima, ſic etiam eſſe maximè indiſſolubilem: vnde S Leo ſerm. 17. de paſſione: *In tantam* inquit, *vnitatem Dei & hominis natura conuenit, vt nec ſupplicio dirimi potuerit, nec morte diſiungi.*

SECTIO II.

An ſola Filij Perſona naturam humanam aſſumpſerit.

1 SENSVS quæſtionis eſt, an natura humana ita cum perſona Filij fuerit vnita, vt ſolus Filius verè & propriè & incarnatus, atque homo factus ſit, non item Pater, aut Spiritus ſanctus. Pro cuius reſolutione,

Dicendũ eſt, certum eſſe ex fide, ſoli perſonæ Filij naturam humanã fuiſſe vnitam, atq; adeò ſolum Filiũ, non verò Patrem & Spiritum ſanctum naturam humanam aſſumpſiſſe, & hominem factum eſſe.

Hæc veritas apertè conſtat ex quamplurimis Scripturæ locis, vt Sancti Ioan. 1. *Verbum caro factum eſt*. Et capite 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret*. Id etiam expreſsè definitum eſt in varijs Concilijs, vt in Concilio Calced. actione 5. Conſtantinop. 2. c. 5. Et continetur in omnibus Symbolis, quibus Eccleſia Catholica vtitur.

Verùm difficultas eſt, cum in diuinis omnia opera ad extra ſint indiuiſa, & tribus perſonis communia, quomodò vnio illa in ſola perſona Filij, non item Patris ac Spiritus ſancti, fieri potuerit, Quæ difficultas vt facillius ſoluatur,

Obſeruandum eſt id quod docet S. Th 1. p. q. 40. art. 2. & cōmuniter cum eo Theologi, perſonas diuinas conſtare eſſentia diuina tanquàm aliquo communi, & ſuis proprietatibus perſonalibus, tanquam ratione conſtitutiua & diſtinctiua aliarum.

Hac obſeruatione ſuppoſita, ad propoſitam difficultatem reſpondetur.

Quod ſi per vnionem & aſſumptionem humanæ naturæ intelligatur actio illa, qua cum perſona Verbi coniuncta fuit, illam eſſe communem toti Trinitati, vt ſuprà dictum eſt.

Quod ſi per vnionem intelligatur terminus immediatus illius actionis; quæraturque, quomodo perſona Filij potiùs, quàm Patris aut Spiritus ſancti immediatè terminet & ſuſtentet ipſam naturam humanam, dicendum eſt id fieri, quia illam terminat, ipſique vnitur, non per aliquid abſolutum & eſſentiale, ſed per aliquid relatiuum & perſonale ſibi proprium.

Hoc expreſsè definitum & explicatum habetur in Concilio Tolet. 6. c. 1. in profeſſione fidei his verbis: *Cum tota cooperata ſit Trinitas cooperationem ſuſcepit hominis, quoniam ſunt inſeparabilia opera Trinitatis; ſolus tamen Filius ſuſcepit humanitatem in ſingularitate perſonæ, non in vnitate naturæ, id eſt, in eo quod proprium eſt Filij, non quod commune Trinitati.*

Dices apud SS Patres aliquando reperiri, quod natura diuina humanam aſſumpſit: vnde ſequitur, cum illa Patri & Spiritui ſancto, ſicut & Filio communis ſit, æquè dici poſſe Patrem aut Spiritum ſanctum incarnatum eſſe ac Filium.

Reſpondetur, cùm dicunt Patres naturam Dei incarnatam fuiſſe; ſenſum eſſe (vt rectè explicat S Thom. 3 a. 2.) perſonam Filij primariò & propriiſſimè naturam humanam aſſumpſiſſe, & ſic fuiſſe incarnatam: conſequenter autem & ſecundariò diuinam naturam, quæ cum ipſa Filij perſona identificatur, naturam illam humanam aſſumpſiſſe, adeòque fuiſſe carni vnitam, atque eatenus eſſe & dici poſſe incarnatam.

Porrò, quamuis eo ſenſu modus ille loquendi verus ſit, communiter

niter tamen vſurpari non debet, quin proprius & legitimus eius ſenſus explicetur, vnde S. Damaſc. lib.3. de fide capite 6. licet eo vtatur; de illo tamen poſteà dubitat, an verus & proprius ſit, & an debeat vſurpari.

SECTIO III.

An poſt duarum in Chriſto naturarum vnionem, manſerit proprietatum vtriuſque naturæ diſtinctio.

1 CATHOLICA fides docet (vt ex antedictis ſatis conſtat) ita factam eſſe naturæ diuinæ & humanæ in perſona Verbi vnionem, vt tamen manſerit ſemper omnimoda proprietatum cuiuſque naturæ diſtinctio.

Huic autem veritati præter hæreſes capite præcedenti relatas & refutatas, oppoſita eſt noua hæreſis Vbiquiſtarum, qui aſſerunt humanam naturam Verbo diuino hypoſtaticè hoc ipſo vnitam eſſe, quòd omnis plenitudo & energia diuinitatis Verbi ſit illi realiter communicata, & ita in eam transfuſa, vt Chriſtus etiam ſecundùm humanitatem, atque adeò quatenùs homo, veriſſimè dicatur eſſe Deus, omnipotens, æternus, infinitus, vbique præſens: vnde & Vbiquiſtarum appellationem ſortiti ſunt.

Refellitur hæc hæreſis, & noſtræ fidei veritas probatur 1. ex Scripturis, quæ vtriuſque naturæ proprietates in Chriſto diſtinguunt. 1. Cor.13. *Etſi crucifixus eſt ex infirmitate, ſed viuit ex virtute Dei.* 1. Petri 4. *Chriſto igitur paſſo in carne pro nobis.* S. Ioan. 20. Chriſtus Dominus de ſe loquens: *Aſcendo,* inquit, *ad Patrem meum & Patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum.*

Probatur 2. ex Concilio Chalcedonenſi Act.5. vbi definitum eſt, *Vnum & eundem Ieſum Chriſtum vnigenitum, in duabus naturis inconfuſibiliter cognoſcendum eſſe, nulla naturarum differentia ſublata, propter vnionem, ſed magis vtriuſque naturæ proprietate in vnam perſonam & in vnam ſubſiſtentiam concurrente.* Et ex Conc. Later. 1. ſub Martino I. c.9. *Si quis non confitetur propriè & verè naturales proprietates Deitatis Chriſti & humanitatis indiminutè in eo, & ſine defectione ſaluatas, &c. ſit condemnatus.* Et in Epiſt. Agathonis Papæ, quæ in ſexta Synodo generali act.4. lecta & recepta eſt, dicitur, *vnamquamque naturam Chriſti, proprietatem naturalem retinere; & habere diuinam omnia quæ diuina ſunt.*

Probatur 3. ex S. Greg. Nazianz. in orat. de Filio: *Vno capitulo,* inquit, *moneo, vt altiora adſcribas diuinitati, humiliora autem naturæ humanæ attribuas.* Et S. Ioan. Damaſc. lib.2. de fide capite 4. *Diuinitatem,* inquit, *dicentes, non nominamus ea quæ ſunt propria huma-*

humanitatis; neque de carne prædicamus ea quæ ſunt diuinitatis propria.

Probatur 4. ex abſurdis, quæ poſita illa hæreſi conſequuntur. Si enim Chriſto ſecundùm humanitatem, proprietates diuinæ verè competerent; ſequeretur ipſum Chriſtum ſecundùm humanitatem ſuam eſſe authorem ſuæ humanitatis; & ſecundùm animam ſuam eſſe creatorem ſuæ animæ: item ſecundùm humanitatem ſuam extitiſſe, anteouàm ipſa humanitas exiſteret, ſimiliter ſecundùm humanitatem ſuam neque pati neque mori potuiſſe, atque adeò neque paſſum neque mortuum fuiſſe. Quæ omnia quàm abſurda ſint, nemo non videt.

Obſeruandum eſt autem Doctores Catholicos non negare, imo vltro fateri, omnem plenitudinem diuinitatis; atque adeò diuinas omnes perfectiones, naturæ humanæ Chriſti fuiſſe communicatas, non tamen eo ſenſu, quo illi hæretici volunt; quaſi verò illæ diuinæ perfectiones naturæ humanæ attribui poſſint, aut de illa prædicari, ſeu de Chriſto ſecundùm ipſam: ſed ſolùm iſto ſenſu; qui veriſſimus eſt, quatenùs nimirum natura humana in ipſa Verbi perſona ſubſiſtit per ipſam Verbi ſubſiſtentiam, cum qua ipſius Verbi diuinitas eiuſque perfectiones identificantur.

SECTIO VI.

Quænam humanæ naturæ partes à Verbo aſſumptæ ſint.

1 DICENDVM 1. Filium Dei vérum & naturale corpus, eiuſdemq; rationis cum noſtris corporibus aſſumpſiſſe.

Eſt de fide contra Manichæos & Serdonianos, qui (vt refert S. Auguſt. lib. de hæreſ. cap. 41. & 66. aſſerebant Chriſtum Dominum non habuiſſe verum & naturale corpus, ſed phantaſticum & apparens.

Refellitur hic error, & veritas oppoſita probatur iiſdem authoritatibus Scripturæ, Conciliorum & Patrum, quibus ſupra probatum eſt Chriſtum Dominum veram naturam humanam aſſumpſiſſe, verumque Deum ac verum hominem eſſe. Niſi enim verum & naturale corpus aſſumpſiſſet, non poſſet dici verus homo, nec verè humanam naturam aſſumpſiſſe. Vnde S. Aug. li. 83. q. 14. *Si*, inquit, *phantaſticum fuit corpus Chriſti, feſellit Chriſtus, & ſi feſellit, veritas non eſt: eſt autem veritas Chriſtus: non igitur phantaſma fuit corpus Chriſti.*

Dicendum 2. Filium Dei ſicut verum corpus, ſic etiam veram

ram animam rationalem, intellectu ac voluntate præditam, ac eiuſdem naturæ cum animabus cæterorum hominum, aſſumpſiſſe.

Huic veritati, quæ de fide eſt, oppoſitus fuit olim error Apollinaris, qui (vt refert Sanctus Auguſtinus lib. de hæreſ. cap. 55.) aſſerebat, Verbum diuinum aſſumpſiſſe carnem ſine anima; ipſumque Verbum fuiſſe inſtar animæ rationalis in carne aſſumptæ.

Refellitur hic error, ac noſtræ fidei veritas probatur 1. ijſdem teſtimonijs, quibus ſuprà conſtare diximus, Chriſtum eſſe, ſicut verum Deum, ſic etiam verum hominem. Quod dici non poſſet, ſi animam humanam non aſſumpſiſſet; cùm anima ſit pars eſſentialis hominis.

Probatur 2. eadem veritas ex ijs Scripturæ locis, in quibus dicitur Chriſtum Dominum veram animam habuiſſe. S.Matth.26. *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* S.Ioan.10. *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam.* Quibus in locis animam propriè accipi pro anima humana docet S. Auguſt. lib. 83. quæſt. q. 80.

Probatur 3. ex Conc. Epheſino c.13. vbi expreſsè aſſeritur. *Dei Filium carnem animatam anima rationali ſibi copulaſſe.* Et in ſymbolo S. Athanaſij habetur: *Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens.*

Ex quibus ſequitur falſum & erroneum quoque eſſe id, quod aliqui Apollinaris diſcipuli dixerunt: qui, cùm Euangelij teſtimonijs conuicti, Filium Dei animam aſſumpſiſſe faterentur, illam tamen mente ac intellectu priuatam fuiſſe aiebant, eiuſque defectum à Verbo diuino ſuppletum fuiſſe; cùm intellectus ad veritatem humanæ naturæ abſolutè pertineat; nec anima humana perfecta eſſe poſſit ſine intelligendi facultate, neque poſſibile ſit, vt diuinitas in Chriſto ſuppleat rationem alicuius partis vel facultatis; cùm omnis pars ſit ens imperfectum & incompletum comparatione totius. Vnde & hæc opinio a Sancto Leone Papa ſer.8. de natiu. Chriſti omninò reprobata eſt.

Dicendum 3. totum ſanguinem, qui fuit in corpore Chriſti, fuiſſe ipſi verbo hypoſtaticè vnitum.

2 Probatur 1. ex Scriptura. Heb.10. vbi Filius Dei dicitur. *Participaſſe carni, & ſanguini*, ſicut reliqui homines: vbi Apoſtolus eodem modo de ſanguine ac de carne loquitur; vnde ſequitur, Verbum diuinum eodem modo ſanguinem atque carnem aſſumpſiſſe. Item ex omnibus alijs Scripturæ locis, quæ peccatorum remiſſionem & hominum redemptionem attribuunt ſanguini Chriſti; vt ad Epheſ.1. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius.* Et

Epiſt.

Epiſt.1. S.Ioan.c.1. *Sanguis Ieſu Chriſti Filij eius emundat nos ab omni peccato.*

Probatur 2. ex Concilio Epheſino in Epiſt. ad Neſtorium vbi dicitur, *Verbum factum eſſe hominem aſſumptione carnis & ſanguinis.* Et in Conc.Chalced. 1. vbi lecta & approbata eſt quędam Epiſt. S.Cyrill.ad Acacium,in qua ipſe ait:*Verbum caro factum eſt,id eſt, carnem & ſanguinem aſſumpſit.*

Probatur 3. authoritate Clementis VI. in extrauaganti (*vnigenitus*) de pœnitentijs & remiſſionibus; vbi affirmat,*modicam guttam ſanguinis Chriſti,propter vnionem cum Verbo diuino,ſuffeciſſe ad redemptionem totius humani generis.*

Probatur 4. hac ratione: omne id, quod ad veritatem humanæ naturæ pertinet, à Verbo diuino aſſumptum fuit, vt conſtat ex antè dictis,cùm fuerit verus homo. Atqui ſanguis pertinet ad veritatem humanæ; ſiue enim informetur ab anima rationali, vt plerique ſentiunt;ſiue habeat formam diſtinctam;ſemper tamen eſt pars omnino neceſſaria ad conſeruationem corporis humani, qua ſublata tota hominis natura corruit,neque homo ipſe operari, neque ſubſiſtere ad momentum poteſt. Vnde concludendum eſt illum à verbo diuino fuiſſe aſſumptum.

3 Obijcies vulgatum illud axioma S. Damaſceni: *quod Verbum aſſumpſit numquam dimiſit.* Atqui in triduo mortis Chriſtus dimiſit ſanguinem,cùm ab ipſius corpore ſeparatus fuerit.

Reſpondetur quod etſi ſanguis Chriſti totus effuſus fuerit, non tamen fuit à Verbo ſeparatus, neque fuit corruptus, ſed diuinitùs aſſeruatus ſuam partialem formam ſanguinis retinuit, ac poſt triduum denuò à Chriſto reſurgente reſumptus fuit. Et hoc conſtat, tum ex communi Doctorum conſenſu, tum etiam ex eo quod refertur in Directorio Inquiſitorum parte 2.q.10. n. 1. à Clemente VI. damnatum fuiſſe id, quod quidam concionator publicè in Eccleſia Barcinonēſi dixerat, ſanguinem Chriſti fuiſſe in eius morte à diuinitate ſeparatum. Quam doctrinam Inquiſitor fidei,vt hæreticam, redarguit; ad eamque publicè retractandam,illius ſummi Pontificis authoritate, concionatorem illum adegit.

Quoad alios tres humores ſpectat: cùm ad integritatem & veritatem humanæ naturæ pertineant, valdè probabile eſt illos fuiſſe à Verbo aſſumptos; ſicut & dentes,& capillos,& vngues, quos aliqui probabiliter exiſtimant eſſe animatos; & quamuis non eſſent, ita tamen ad complementum corporis humani pertinent,vt S. Aug.in Enchir.c.88.& lib.12.de ciu.c.19.exiſtimet illos reperiendos eſſe in corporibus beatorum poſt reſurrectionem.

S E-

SECTIO V.

Quo ordine partes humanæ naturæ à Verbo aſſumptæ ſint.

1 SI ſpectetur ordo temporis, dicendum eſt, nec corpus, nec animam Chriſti fuiſſe ante vnionem hypoſtaticam cum Verbo diuino, ſed omnes humanæ naturæ partes eodem temporis momento, quo eſſe incæperunt, ſimul à Verbo aſſumptas fuiſſe. Ita S. Th. q. 6. a. 4.

Hæc propoſitio de fide eſt, vt conſtat ex 6. Synodo generali, vbi act. 11. lecta eſt epiſtola Sophronij, & act. 13. approbata, in qua hæc verba habentur: *Simul quippe caro, ſimul Dei Verbi caro, ſimul caro animata rationalis ſimul Dei Verbi caro animata rationalis.* Et in 5. Synodo generali apud Nicephorum l. 17. hiſt. c. 28. hic canon tertius legitur; *Si quis dixerit prius formatum corpus Chriſti, in vtero ſanctæ Virginis, & deinceps vnitum ei Verbum eſſe, anathema ſit.*

Hanc etiam veritatem tanquam de fide docent SS. Patres. S. Hieron. Apolog. cont. Rufinum lib. 2. S. Leo. Papa Epiſt. 11. ad Iulianum. S. Fulgent. lib. de fide ad Petrum c. 18. Et Damaſc. lib. 3. de fide c. 11.

Probari inſuper poteſt hac ratione, quia, ſi aliquo temporis momento partes humanitatis Chriſti priùs conceptæ fuiſſent, ac poſitæ in rerum natura, quàm Verbo vnirentur, ſequeretur beatiſſimam Virginem non concepiſſe Deum, ſed tantùm hominem qui poſtea futurus erat Deus, quod ſapit hæreſim Neſtorij, & in Concilio Epheſino capite 3. damnatum eſt.

2 Quod ſi ſpectetur ordo naturæ & rationis, docet S. Th. q. 6. a. 1. & ſeq. animam priùs natura fuiſſe Verbo vnitam, quàm corpus, & ſpiritum ſeu mentem vel intellectum priùs quàm animam, ipſamque animam intellectu mediante, ſicut & corpus, mediante anima fuiſſe à Verbo aſſumptam.

Ita S. Aug. lib de Agone Chriſtiano c. 18. *Immortalis veritas per ſpiritum animam, & per animam corpus ſuſcipiens, toto homine aſſumpto eum ab infirmitatibus ſuis liberauit.* Et in 6. Synodo generali act. 18. in edicto fidei Conſtantini Pogonati Imperatoris dicitur; *Verbum ſibi compaginaſſe corpus & animam per Spiritum ex ſanctâ & immaculata Virgine: & carnem quoque mediante anima rationali.* Quod quidem edictum ab ipſo Concilio, & à ſummo Pontifice Leone II. approbatum fuit, vt patet ex ipſius Leonis Epiſt. ad dictam Synodum.

S E-

SECTIO VI.

An Filius Dei aliquos defectus corporis aſſumpſerit.

1 OBSERVANDVM eſt corporales defectus in duplici eſſe differentia. Alij enim communes ſunt omnibus hominibus, & totam naturam conſequuntur: vt ſunt mors, fames, ſitis, dolor, &c. Alij verò ex cauſis quibuſdam particularibus proueniunt, ſuntque tantùm in aliquibus hominibus: vt ſunt lepra, febris, & alia id genus. Hac diſtinctione ſuppoſita,

Dicendum 1. Filium Dei, aſſumendo corpus humanum, ſimul etiam aſſumpſiſſe omnes illos defectus, qui ſunt communes toti naturæ humanæ, atque ita aſſumpſiſſe corpus paſſibile & obnoxium fami, ſiti, æſtui, frigori, dolori, morti, & ſimilibus, atque reipſa hæc omnia perpeſſum fuiſſe.

Huic veritati, quæ de fide eſt, oppoſitus fuit olim error Seuerianorum, qui (vt refert Nicephorus lib. 7. c. 29.) aſſerebant corpus Chriſti non fuiſſe vere & proprie paſſibile, & cum ſenſu doloris vulnerabile, quem errorem ſecuti ſunt Armenij quidam, vt refert Euthymius, in ſua Panoplia p. 2. tit. 10.

Refellitur hic error: & veritas fidei noſtræ probatur ex Scriptura. Iſa. 53. *Verè langores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit: vulneratus eſt propter iniquitates noſtras.* Vbi hæc particula (verè) notanda eſt. Sanctus Luc. 22. *Oportebat Chriſtum pati.*

Probatur 2. ex varijs Concilijs, Epheſino, Anathematiſmo 12. Chalcedon. act. 5. Later. ſub Martino I. conſult. 5. canone 4. iſtam veritatem definientibus.

Probatur 3. ex S. Cyrill. Hieroſol. catecheſi. 13. *Paſſus eſt*, inquit, *Ieſus pro hominibus vere: non enim apparentia eſt crux, neque opinio redemptio, non imaginaria mors, & fabulatoria ſalus: verè crucifixus eſt, & non confundimur; neque negamur, ſed potiùs in eo gloriamur.* Hanc veritatem, tanquam fide certam, profitentur communiter SS. Patres, S. Ambr. lib. 2. de fide cap. 4. S. Aug. Epiſt. 146. S. Leo Papa Epiſt. 10. S. Damaſc. lib. 3. de fide cap. 28. & reliqui omnes.

Dicendum 2. Filium Dei non aſſumpſiſſe defectus illos qui ex particularibus conſequuntur; v. g. deformitatem, morbos & ſimiles. Ita S. Thom. quæſt. 14. art. 14. & cum eo communiter omnes.

Ratio eſt, quia ibi tantùm reperiuntur defectus illi; vbi eorum

cauſæ

cauſæ & radices locum habent. Atqui defectuum illorum cauſæ aut radices non fuerunt in Chriſto. Oriuntur enim vel ex culpa ſeu vitio, aut ignorantia hominis, vel ex defectu & imbecillitate virtutis formatricis, quæ eſt in parentibus: nulla autem culpa in Chriſto fuit, aut eſſe potuit, nullum vitium, nulla ignorantia aut inconſideratio: neque virtus illa, qua eius corpus formatum fuit, imbecillis aut infirma fuit, cùm de Spiritu ſancto conceptus fuerit imò opera quæ miraculosè à Deo facta ſunt, ſemper fuerint perfectiſſima; proindeque, cùm Chriſti corpus fuerit miraculosè per Spiritus ſancti virtutem formatum, dicendum eſt illud fuiſſe perfectiſſimum, pulcherrimum, optimo temperamento præditum, & omnibus partibus ſuis abſolutiſſimum.

SECTIO VII.

An Chriſtum in anima ſua defectus aliquos habuerit.

1 DE quatuor præſertim defectibus difficultas aliqua eſſe poteſt; ſcilicet de peccato, de fomite peccati, de ignorantia, & de paſſionibus ſeu motibus appetitus inferioris; de quibus hìc ſigillatim, breuiter tamen, agendum nobis eſt.

Dicendum igitur 1. Chriſtum Dominum nullum vnquam contraxiſſe peccatum originale, nec vllum actuale, etiam leuiſſimum, commiſiſſe.

Probatur ex Scriptura. 1. S. Petri 2. vbi de Chriſto dicitur quòd *peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius.* Heb. 4. *Tentatus per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.* Et cap. 7. vocatur *Sanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus.* Eadem veritas definita eſt in Concilio Epheſino can. 10. & Lateranen. ſub Martino I. Conſult. 5. can. 5. & ab omnibus SS. Patribus vnanimiter, tanquam certiſſima ex fide aſſeritur.

Quæres, quo ſenſu debeant intelligi hæc verba Pſalm. 21. *Deus Deus meus, vt quid me dereliquiſti? longe à ſalute mea verba delictorum meorum*: quæ communiter à SS. Patribus Chriſto patienti adaptantur.

Omiſſa impia, & blaſphema cuiuſdam hæretici explicatione, qui (vt refert Cardinalis Hoſius lib. 1. de hæreſib. noſtri temporis) hæc verba Chriſti deſperantis eſſe aſſeruit; Reſpondetur duplicem illorum verborum à SS. Patribus expoſitionem afferri.

Prima eſt, Chriſtum ibi, non in ſua, ſed in membrorum ſuorum, hoc eſt, omnium hominum perſona, de illorum peccatis, non de ſuis loqui. Ita S. Leo Papa ſerm. 16. & 17. de paſſione

ſione, S.Greg.Nazian.orat.36.quæ eſt quarta de Theologia, S.Damaſc.lib.4.de fide c.19 & S.Th.q.15.art.1.ad 1.

Secunda expoſitio eſt, verba illa eſſe quidem Chriſti loquentis in ſua perſona, illumque delicta appellaſſe ſua, quæ noſtra erant, & à nobis commiſſa; eo quòd pro illis ſponſorem ſe præſtitiſſet, diuinæque iuſtitiæ ſatisfacere ad rigorem deberet. Ita S.Ambr. lib de Incarnationis dominicæ Sacramento, c.5. S. Hieron. in illum Pſalmum 21.S.Aug.in 2.enarratione eiuſdem Pſalmi.

2 Dicendum 2. Chriſtum Dominum non modò nullum peccatum commiſiſſe, ſed nec committere potuiſſe; ac proinde fuiſſe prorsùs impeccabilem.

Ita communiter SS. Patres S. Athanaſ. lib. de Incarnat. Chriſti poſt medium. *Verbi*, inquit, *Incarnatio ſecundùm naturam Dei facta, noſtrorum vitiorum ſuſceptibilis non fuit*. S.Cyrill. Alex. libro contra Antropomorphitas c.23. vocat illos *ſtolidos prorsùs ac dementes, qui Chriſtum neſcio quo pacto peccare poſſe affirmant*.

Ratio autem illius impeccabilitatis in Chriſto ex triplici potiſſimum capite deſumitur.

Primo ex vnione humanitatis eius cum diuinitate: quæ quidem diuinitas, cùm ſit infinita ſimpliciter in omni genere ſanctitatis, humanitatem Chriſti Domini ita ſanctificat (ſicut infrà dicetur) vt, quemadmodum ipſa diuinitate nulla maior aut altioris ordinis ſanctitas eſſe aut excogitari poteſt; ita humanitatis Chriſti ſanctificatione, nulla maior aut altioris ordinis eſſe aut excogitari queat: cum qua ſanctificatione proinde nullum peccatum ſtare poteſt, cùm illi abſolutè & omnimodè ſit oppoſitum. Vnde S.Greg.Nazian. citat. orat 36. de Chriſto Domino loquens, *Quia*, inquit, *illius voluntas tota deificata eſt, Deo procul dubio non aduerſatur*.

Secundò ex viſione beatifica eſſentiæ diuinæ, qua Chriſti anima à primo inſtanti ſuæ conceptionis incœpit, vt infra dicetur: hæc autem viſio ex ſe eſt cum omni peccato incompoſſibilis.

Tertiò denique ex gratia conſummata, quâ eius anima prædita eſt: quæ quidem cū longè maior extiterit, quàm in omnibus ſanctis & Angelis fuerit, aut futura ſit, eius voluntatem ita in bono ſtabilire potuit, vt vel ex hoc capite etiam impeccabilis dici potuerit.

Dicendum 3. in Chriſto peccati fomitem nullo modo fuiſſe. Ita S.Th.q.15. art.2.

Probatur ex eo quòd fomes peccati ex peccato originali prouenit: Atqui in Chriſto peccatum originale, nec fuit, nec eſſe potuit: Ergo nec fomes peccati: ſublatâ enim cauſa, tollitur effectus. Præterea eædem rationes quæ probant in Chriſto peccatum eſſe non potuiſſe, probant etiam in illo peccati fomitem non fuiſſe: cùm idem prorsùs ſit, habere in ſe fomitem peccati, ac habere in ſe inor-

dinatam

dinatam inclinationem ad peccatum, ac proinde eſſe peccabilem: quod tamen de Chriſto nullatenùs dici poſſe ſuprà probatum eſt.

Dicendum 4. in anima Chriſti nullam fuiſſe ignorantiam. Ita S. Thom. art. 3.

Probatur 1. ex Scriptura. S. Ioan. 1. dicitur Chriſtum Dominum fuiſſe *Plenum gratiæ & veritatis*: & c. 21. dixit illi S. Petrus: *Domine tu omnia noſti*. Et Coloſſ. 2. dicit Apoſtolus quòd *in illo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei*.

Probatur 2. ex 6. Synodo act. 13. vbi approbata eſt Epiſtola Sophronij, in qua damnatur hæreſis Agnoitarum, qui aſſerebant Chriſtum Dominum ignoraſſe diem iudicij extremi.

Obijcies in Euangelio dici, quod puer Ieſus proficiebat ætate & ſapientia: Ergo aliquid illius ſapientiæ deerat, ſi in ea proficiebat.

Reſpondetur cum S. Greg. Naz. in orat. in S. Baſilium, Ieſum dici profeciſſe ſapientia: *Non quod incrementum aliquod acceperit, cùm ab initio ſapientia plenus eſſet; ſed quòd ſapientiam ſuam hominibus paulatim magis ac magis detegeret*.

4 Dicendum 5. animam Chriſti Domini verè fuiſſe paſſibilem, id eſt, potuiſſe moueri affectibus illis, qui paſſiones dicuntur. Ita S. Th. a. 4. & ſeq.

Conſtat manifeſtè ex Scripturis, Chriſtum multos eiuſmodi affectus re ipſa habuiſſe; vt triſtitiam, S. Matt. 26. timorem ſeu pauorem. S. Mar. 14. iram, eiuſdem S. Mar. 3.

Hæ tamen paſſiones longè diuerſę fuerunt in Chriſto ab illis quę in nobis ſolent oriri: in illo ſiquidem (vt dicit S. Aug. lib. 14. de Ciu. c. 8) fuerunt ordinatiſſimæ. Quocirca S. Th. l. c. triplex diſcrimen aſſignat inter paſſiones quæ in Chriſto fuerunt, & illas quæ in nobis.

Primum ex parte principij: quia in Chriſto ſequebantur ſemper rationis deliberationem: in nobis illam ſæpè anteuertunt.

Secundum ex parte obiecti: quia Chriſti paſſiones habuerunt ſemper obiectum rectæ rationi conſentaneum: noſtræ verò ſæpiſſimè feruntur in obiectum ipſi rationi repugnans.

Tertium Denique ex parte effectus: in Chriſto enim ratio nullo modò ab eius paſſionibus impedita eſt: in nobis verò paſſiones ipſam rationem, vel impediunt, vel etiam aliquando prorsùs óbruunt.

Quibus de cauſis, aliquibus SS. Patribus viſum eſt huiuſmodi motus & affectus in Chriſto, non paſſiones, ſed propaſſiones dici debere.

Q Ç A-

ſione, S.Greg.Nazian.orat.36.quæ eſt quarta de Theologia, S. Damaſc.lib.4.de fide c.19 & S.Th.q.15.art.1.ad 1.

Secunda expoſitio eſt, verba illa eſſe quidem Chriſti loquentis in ſua perſona, illumque delicta appellaſſe ſua, quæ noſtra erant, & à nobis commiſſa; eo quòd pro illis ſponſorem ſe præſtitiſſet, diuinæque iuſtitiæ ſatisfacere ad rigorem deberet. Ita S.Ambr. lib de Incarnationis dominicæ Sacramento, c.5. S. Hieron. in illum Pſalmum 21.S.Aug.in 2.enarratione eiuſdem Pſalmi.

2 Dicendum 2. Chriſtum Dominum non modò nullum peccatum commiſiſſe, ſed nec committere potuiſſe; ac proinde fuiſſe prorsùs impeccabilem.

Ita communiter SS. Patres S. Athanaſ. lib. de Incarnat. Chriſti poſt medium. *Verbi*, inquit, *Incarnatio ſecundùm naturam Dei facta, noſtrorum vitiorum ſuſceptibilis non fuit.* S.Cyrill. Alex. libro contra Antropomorphitas c.23. vocat illos *ſtolidos prorsùs ac dementes, qui Chriſtum neſcio quo pacto peccare poſſe affirmant.*

Ratio autem illius impeccabilitatis in Chriſto ex triplici potiſſimum capite deſumitur.

Primo ex vnione humanitatis eius cum diuinitate: quæ quidem diuinitas, cùm ſit infinita ſimpliciter in omni genere ſanctitatis, humanitatem Chriſti Domini ita ſanctificat (ſicut infrà dicetur) vt, quemadmodum ipſa diuinitate nulla maior aut altioris ordinis ſanctitas eſſe aut excogitari poteſt; ita humanitatis Chriſti ſanctificatione, nulla maior aut altioris ordinis eſſe aut excogitari queat: cum qua ſanctificatione proinde nullum peccatum ſtare poteſt, cùm illi abſolutè & omnimodè ſit oppoſitum. Vnde S.Greg.Nazian. citat. orat 36. de Chriſto Domino loquens, *Quia*, inquit, *illius voluntas tota deificata eſt, Deo proculdubio non aduerſatur.*

Secundò ex viſione beatifica eſſentiæ diuinæ, qua Chriſti anima à primo inſtanti ſuæ conceptionis incœpit, vt infra dicetur: hæc autem viſio ex ſe eſt cum omni peccato incompoſſibilis.

Tertiò denique ex gratia conſummata, quâ eius anima prædita eſt: quæ quidem cû longè maior extiterit; quàm in omnibus ſanctis & Angelis fuerit, aut futura ſit, eius voluntatem ita in bono ſtabilire potuit, vt vel ex hoc capite etiam impeccabilis dici potuerit.

Dicendum 3. in Chriſto peccati fomitem nullo modo fuiſſe. Ita S.Th.q.15. art.2.

Probatur ex eo quòd fomes peccati ex peccato originali prouenit: Atqui in Chriſto peccatum originale, nec fuit, nec eſſe potuit: Ergo nec fomes peccati: ſublatâ enim cauſa, tollitur effectus. Prętereà eædem rationes quæ probant in Chriſto peccatum eſſe non potuiſſe, probant etiam in illo peccati fomitem non fuiſſe: cùm idem prorsùs ſit, habere in ſe fomitem peccati, ac habere in ſe inordinatam

diuatam inclinationem ad peccatum,ac proinde eſſe peccabilem:quod tamen de Chriſto nullatenùs dici poſſe ſuprà probatum eſt.

Dicendum 4. in anima Chriſti nullam fuiſſe ignorantiam. Ita S. Thom, art.3.

Probatur 1.ex Scriptura.S.Ioan.1. dicitur Chriſtum Dominum fuiſſe *Plenum gratiæ & veritatis*:& c.21.dixit illi S.Petrus:*Domine tu omnia noſti*.Et Coloſſ.2.dicit Apoſtolus quòd *in illo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei*.

Probatur 2.ex 6.Synodo act.13.vbi approbata eſt Epiſtola Sophronij,in qua damnatur hæreſis Agnoitarum, qui aſſerebant Chriſtum Dominum ignoraſſe diem iudicij extremi.

Obijcies in Euangelio dici, quod puer Ieſus proficiebat ætate & ſapientia:Ergo aliquid illius ſapientiæ deerat,ſi in ea proficiebat.

Reſpondetur cum S.Greg.Naz.in orat.in S. Baſilium, Ieſum dici profeciſſe ſapientia:*Non quod incrementum aliquod acceperit, cùm ab initio ſapientia plenus eſſet; ſed quòd ſapientiam ſuam hominibus paulatim magis ac magis detegeret*.

4 Dicendum 5.animam Chriſti Domini verè fuiſſe paſſibilem, id eſt, potuiſſe moueri affectibus illis,qui paſſiones dicuntur. Ita S.Th. a.4.& ſeq.

Conſtat manifeſtè ex Scripturis,Chriſtum multos eiuſmodi affectus re ipſa habuiſſe;vt triſtitiam,S.Matt.26.timorem ſeu pauorem. S.Mar.14. iram,eiuſdem S.Mar.3.

Hæ tamen paſſiones longè diuerſę fuerunt in Chriſto ab illis quę in nobis ſolent oriri:in illo ſiquidem(vt dicit S.Aug.lib.14.de Ciu. c.8)fuerunt ordinatiſſimæ, Quocirca S.Th.l.c.triplex diſcrimen aſſignat inter paſſiones quæ in Chriſto fuerunt,& illas quæ in nobis.

Primum ex parte principij: quia in Chriſto ſequebantur ſemper rationis deliberationem:in nobis illam ſæpè anteuertunt.

Secundum ex parte obiecti:quia Chriſti paſſiones habuerunt ſemper obiectum rectæ rationi conſentaneum:noſtræ verò ſæpiſſimè feruntur in obiectum ipſi rationi repugnans.

Tertium Denique ex parte effectus:in Chriſto enim ratio nullomodò ab eius paſſionibus impedita eſt:in nobis verò paſſiones ipſam rationem, vel impediunt, vel etiam aliquando prorsùs obruunt.

Quibus de cauſis,aliquibus SS.Patribus viſum eſt huiuſmodi motus & affectus in Chriſto,non paſſiones,ſed propaſſiones dici debere.

CAPVT III.

De modo quo de myſterio Incarnationis loquendum eſt.

PRÆCIPVÆ difficultates, quæ in modis loquendi de myſterio Incarnationis occurrere poſſunt, oriuntur præſertim ex ipſa communicatione idiomatum, ſeu proprietatum vtriuſque naturæ, diuinæ ſcilicet & humanæ, in vna Chriſti perſona: idcircò de illa idiomatum communicatione agendum nobis eſt.

SECTIO I.

An in Chriſto aliqua communicatio idiomatum admittenda ſit.

1 CVM per vnionem hypoſtaticam (vt ex ante dictis conſtat) duæ ſint naturę in perſona Verbi vnitæ, & in illa ſubſiſtentes, diuina ſcilicet, quæ ipſius Verbi propria eſt; & humana, quam aſſumpſit: hinc oritur duplex communicatio reſpectu illius diuinæ perſonæ. Vna ipſarum duarum naturarum. Altera proprietatum, ſeu attributorum cuiuſque naturæ. Prior in eo conſiſtit, quòd duæ naturæ prædicentur in concreto de perſona Verbi: Poſterior, quòd etiam attributa & proprietates vtriuſque naturæ in concreto de eadem perſona ſimiliter prædicentur. Iuxta priorem rectè dicimus (Filius Dei eſt Deus) vel (Filius Dei eſt homo.) Iuxta poſteriorem (Filius Dei eſt æternus, infinitus, impaſſibilis) vel (Filius Dei eſt temporalis, finitus, paſſibilis.) Quod ſic intelligendum eſt: eſt æternus ſecundùm diuinitatem, temporalis ſecundùm humanitatem, & ſic de aliis. Hac obſeruatione ſuppoſita,

2 Dicendum eſt aliquam idiomatum ſeu proprietatum communicationem, verè & propriè in Chriſto eſſe admittendam. Eſt de fide.

Probatur in primis ex ijs Scripturæ locis, in quibus ea Chriſto Domino tribuuntur, quæ naturæ tùm diuinæ tùm humanæ propria ſunt, vt S. Ioan. 3 *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo filius hominis qui eſt in cœlo.* S. Luc. 1. *Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.* S Ioan. 8. *Antequàm Abraham fieret ego ſum.*

Probatur 2. ex Concilio Epheſino in anathematiſmis S. Cyrilli, in

in quibus damnantur Neſtoriani, qui communicationem idiomatum negabant; aſſeriturque Chriſtum ſecundùm veritatem eſſe & dici verum Deum & verum hominem.

Probatur 3. ex S. Leone Papa Epiſt. ad Paleſtinos. *Non intereſt*, inquit, *ex qua ſubſtantia Chriſtus nominetur; cùm inſeparabiliter manente vnitate perſonæ, idem ſit, & totus hominis filius propter carnem, & totus Dei Filius propter vnam eum Patre Deitatem.* Et S. Damaſc. lib. 3. de fide cap. 3. *Verbum*, inquit, *ea, quæ humanitati conueniunt, ſibi vindicat; ac viciſſim carni, quæ ſua ſunt, impertit; communicationis videlicet ratione, ob mutuam partium inter ſe communicationem, ac perſonalem vnionem.*

Hinc intelligitur, quo ſenſu accipienda ſint ea, quæ ipſe Chriſtus de ſe aliquando dixit, in quibus aliqua contradictio eſſe videtur: vt cùm dixit: *Pater maior me eſt.* S. Ioan. 13. *Ego & Pater vnum ſumus.* S. Ioan. 10. Hæc enim, quamuis in ſpeciem ſibi contradicere videantur, ſunt tamen veriſſimè dicta: ſiquidem in priori loco Chriſtus de ſe ſecundùm humanam naturam loquitur; in poſteriori verò ſecundùm diuinam.

SECTIO II.

Traduntur quædam regulæ, in hac communicatione idiomatum enuncianda, obſeruandæ.

1 PRIMA eſt, de omnibus nominibus poſitis pro perſona Chriſti, ſeu pro ſuppoſito Verbi diuini, poſſunt in concreto prædicari nomina omnia, quæ naturam diuinam vel humanam, aut illorum proprietates ſeu attributa ſignificant. Ita Sanctus Thom. quæſt. 16. art. 4. Hæc etiam expreſſa eſt Doctrina S. Damaſceni lib. 3. de fide cap. 4. ſic loquentis: *Cùm de perſona Filij*, inquit, *verba facimus, ſiue ab vtraque natura ſimul, ſiue ab altera duntaxat eam appellamus, vtriuſque naturæ proprietates ipſi imponimus. Etenim Chriſtus (quæ vox vtrumque complectitur) Deus & homo dicitur: creatus & increatus, paſſibilis & impaſſibilis.*

Ratio huius regulæ eſt: quia, cùm nomina in concreto ſignificent id, quod habet formam per ipſa ſignificatam: ſenſus illarum propoſitionum erit, Verbum diuinum habere naturam diuinam aut humanam: vel proprietates diuinas, ratione naturæ diuinæ: aut humanas, ratione humanæ: quod quidem ſuppoſita veritate Incarnationis ipſius Verbi, veriſſimum eſt. Vnde quocumque nomine vocetur Chriſtus, ſiue dicatur Verbum, ſiue Dei Filius, ſiue Filius hominis (vt ſeipſum perſæpè vocat in Euangelijs) ſiue

alio quocumque vocabulo deſignetur : dummodò per illud perſona ipſius Chriſti, ſeu ſuppoſitū Verbi diuini ſignificetur, verè & propriè de illo natura diuina & humana, & vtriuſq; proprietates in concreto prædicari potuerunt. E.g. demonſtrato Chriſto, verum erit dicere, quod Apoſtolus Petrus dixit : *Hic eſt omnium Dominus*; verum etiam erit dicere quod idem dixit: *Hic paſſus eſt pro nobis, & peccata noſtra pertulit in corpore ſuo per lignum.*

Secunda regula de nominibus, quæ pro Chriſti perſona ponuntur, non poſſunt in abſtracto prædicari nomina pertinentia ad humanam eius naturam, dicendo v.g. (Verbum diuinum eſt humanitas) ac multò minùs illius naturæ proprietates. Neque etiam vlla nomina vnius naturæ poſſunt in abſtracto prædicari de nominibus alterius naturæ, dicendo v.g. (diuinitas eſt humanitas) aut diuinitas eſt mortua) Ita S. Th. ar. 1.

Cuius ratio hæc eſt : quia ſignificaretur tunc identitas perſonæ cum natura humana aut eius proprietatibus, aut identitas ipſius diuinitatis cum humanitate: quod eſſet prorsùs à veritate alienum.

Poſſunt tamen nomina diuinæ naturæ propria prædicari etiam in abſtracto de nominibus poſitis pro ipſa diuini Verbi perſona. Vnde Apoſtolus 1. Co. 1. vocat Chriſtum *Dei virtutem, & Dei ſapientiam.*

Ratio huius differentiæ eſt, quia proprietates diuinæ cum ipſa Verbi perſona identificantur, vnde fit vt de illa etiam in abſtracto prædicari poſſint, quod de humanæ naturæ proprietatibus dici non debet.

3 Tertia regula : nulla humanæ naturæ proprietas, etiam in concreto, poteſt de Chriſti perſona prædicari cum reduplicatione Deitatis; neque proprietas vlla naturæ diuinæ cum reduplicatione humanitatis. e.g. dici non debet quod Chriſtus quatenùs Deus, paſſus aut mortuus fuit, & è contra quod, quatenùs homo, ſit omnipotens, æternus, &c.

Ratio eſt quia inde ſequeretur, per vnionem hypoſtaticam confuſas eſſe in Chriſto naturas, aut illarum proprietates: quod eſt cōtra huius myſterij veritatem, vt ſupra demonſtratum eſt. Vnde quando in aliqua propoſitione affirmatur vel negatur aliquid de Chriſto cum reduplicatione alicuius naturæ videndum eſt vt hoc illi conueniat vel diſconueniat ſecundùm naturam illam: aliàs propoſitio falſa eſſet.

Quarta regula: nullum prædicatum, quod formaliter includit perſonam humanam; aut excludit diuinam, debet attribui Chriſto: e.g. dici non debet quod Chriſtus eſt purus homo, quod eſt alius a Deo.

Ratio eſt quia hæ & ſimiles propoſitiones, ſignificant, vel Chriſti perſonam non eſſe diuinam, vel duas eſſe in illo perſonas: quod à veritate prorsùs alienum eſt.

S E-

SECTIO III.

Obſeruationes aliquæ traduntur ſuper regulis ſuperiori ſectione propoſitis.

1 QVamuis regulæ ſuperius traditæ veriſſimæ ac certiſſimæ ſint, nihilominùs, vt in modis loquendi de myſterio Incarnationis nihil excidat, quod vel minimùm ab illius veritate diſcordet, aliqua hic obſeruanda ſuperſunt.

Primum eſt, cauendos eſſe certos loquendi modos, quibus quamuis ad rigorem ſecundùm ſupradictas regulas vti licitum ſit; quia tamen ab aliquibus hæreticis vſurpati ſunt, ad aliquos errores contra huius myſterij veritatem inuehendos: vel quia ipſis erroribus fauere aliquo pacto videntur, ideò ab illis abſtinere tutius eſt: vnde S.Th.a.8. rectè dici quod *nequidem nomina debemus habere cum hæreticis communia*.

Hanc ob cauſam, quamuis hæ propoſitiones (Chriſtus eſt creatura) vel (Chriſtus incœpit eſſe) in aliquo ſenſu verę ſint; & ita vſurpatæ reperiantur à quibuſdam ſanctis Patribus; quia tamen Arriani illis vſi ſunt, vt ipſius Filij Dei diuinitatem impugnarent; tutius eſt, vel abſolutè ab illis abſtinere, vt monet ibidem S. Doctor, vel nonniſi cum reduplicatione ipſius naturæ humanæ ijs vti.

Ob eandem rationem hæc alia propoſitio (Chriſtus eſt Dei ſeruus) communiter vſurpari non debet: quia ſcilicet tùm Arriani, tùm etiam Neſtoriani hoc loquendi modo vtebantur; illi, vt Chriſtum Deum eſſe negarent; iſti, vt perſonam huamnam in eo aſſererent. Vnde in Concilio Epheſino in Epiſt. ad Neſtorium hic loquendi modus reiectus eſt; ſicut & in Epiſt. Adriani 1. ad Epiſcopos Galatiæ & Hiſpaniæ: & in Concilio Francofordienſi aduerſus Elipandum Archiepiſcopum Toletanum, qui hac formula loquendi abutebatur.

Eadem ratione, Chriſtus Filius Dei adoptiuus dici non debet; vt obſeruat S.Th.q.2.ar.4. Siquidem nomine Filij adoptiui connotatur, ſeu ſignificatur ille, qui eſt extraneus, ac proinde qui non eſt Filius Dei naturalis. Vnde S. Hilarius libro 3. de Trinitate. *Hic eſt verus & proprius Filius origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione.*

Secundum eſt, quoties de hoc myſterio ad populum verba facienda ſunt, abſtinendum eſſe ab ijs omnibus loquendi modis, qui licet ſint veri, poſſunt tamen aliquo pacto eſſe piarum aurium offenſiui: omnia enim quæ dicuntur, ad ędificationem audientium dici debere monet Apoſtolus 1. Cor. 14. Vnde quoties de Chriſto Do-

mino loquendum eſt, videndum ne aliquid excidat, quod vel reuerentiæ ipſi debitæ, vel huius myſterij veritati quocumque modo repugnare videatur.

E. g. quamuis propoſitiones illæ quibus diceretur Chriſtus, minùs ſapiens, aut minùs potens quàm Pater, aut Angelis inferior, veræ ſint, ſi de illo præcisè ſecundùm naturam humanam intelligantur, cùm & ipſe Chriſtus eo ſenſu de ſe dixerit Patrem maiorem ſe eſſe; & Apoſtolus eundem dicat modico quàm Angeli minoratum; quia tamen hæ & ſimiles propoſitiones in animis audientium aliquam poſſunt ingenerare cogitationem huius myſterij veritati, aut reuerentiæ Chriſto debitæ parùm conſentaneam, ideò ab illis abſtinendum eſt.

3 Tertium eſt, ab omnibus quoque loquendi modis minùs aptis, de quibus aliqua inter ipſos Theologos controuerſia eſt, tutius eſſe omninò abſtinere, quàm ad oſtentationem ingenij vel doctrinæ ijs vti, aut eos (præſertim coram laicis) propugnare velle.

Talis eſt iſta propoſitio (Chriſtus eſt homo diuinus) quæ quamuis aliquo ſenſu poſſit ſuſtineri, cùm etiam Verbum ipſum dicatur Verbum diuinum: nihilominùs, cùm aliquam difficultatem hæc denominatio patiatur, videaturque ſignificare hominem illum, de quo prædicatur, non eſſe Deum, ſed accidentalem tantùm habere cum Deo coniunctionem; idcircò melius eſt ab illa abſtinere. Vnde S. Damaſc. lib. 3. de fide c. 12. ob eandem rationem negat Chriſtum dici debere hominem Deiferum.

Talis eſt etiam hæc alia propoſitio (homo factus eſt Deus) quæ licet aliquo ſenſu poſſit eſſe vera, nimirum, ſi per illam intelligatur factum eſſe vt homo ſit Deus, in ſenſu tamen proprio & genuino falſa eſt, vt docet S. Th. ſup. art. 7. ſignificat enim priùs hominem extitiſſe poſteà factum eſſe Deum, quod eſt prorsùs à veritate alienum.

Quartum denique & vltimum hìc obſeruandum eſt, SS. Patres non ſemper ſecundùm rigorem logicum, ſed interdum oratorio more de hoc myſterio locutos fuiſſe; proindeque à regulis præcedenti ſectione traditis aliquando receſſiſſe, & nomina abſtracta pro concretis, & concreta pro abſtractis quandoque vſurpaſſe. Vnde apud illos propoſitiones quædam reperiuntur, quæ non tam ſecundùm propriam verborum ſignificationem accipiendæ ſunt, quàm ſecundùm ſenſum ab illis intentum, qui ſemper verus & orthodoxus fuit.

Quare, cum e. g. legitur apud quoſdam, carnem Chriſti fuiſſe deificatam; ſenſus eſt quòd cum homo carne conſtans verè ſit Deus, eius caro etiam verè eſt caro Dei: & eo ſenſu dici poteſt caro Deificata. Cum autem dicunt Filium Dei aſſumpſiſſe hominem; ſenſus

ſus illorum eſt, Filium Dei humanam naturam, non verò humanam perſonam aſſumpſiſſe. Et ſic dicendum eſt de quibuſdam alijs propoſitionibus,quæ paſſim apud illos occurrere poſſunt.

CAPVT IV.

De gratia Chriſti.

SECTIO I.

Qualis fuerit gratia Chriſti.

NOMINE gratiæ hìc intelligimus in genere illud, per quod aliquis Deo gratus & dilectus efficitur, ac proinde iuſtus & ſanctus. Cum autem certum ſit, Chriſtum Dominum non ſolum ſecundùm diuinitatem, ſed etiam ſecundùm humanitatem fuiſſe Deo gratum ac dilectum (quod & teſtimonio cœlitus miſſo, tùm in eius baptiſmo; tùm in transfiguratione declaratum eſt, ac proinde iuſtum & ſanctum, vt ſæpè in Scripturis vocatur: quæſtio eſt; qua ratione fuerit (in quantùm homo) Deo gratus ac dilectus;ſeu per quid humanitas fuerit formaliter ſanctificata. Pro cuius reſolutione,

Dicendum 1. Chriſti humanitatem ſanctificatam fuiſſe per gratiam habitualem, eius animæ infuſam.

Probatur 1. ex capite 11. Iſa. vbi de Chriſto dicitur, quòd *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini:* quo loco, per Spiritum Domini, gratiam habitualem ſanctificantem intelligi docet Sanctus Thomas quæſt. 7. art. 1. Item ex capit. 1. S. Ioann. vbi Verbum incarnatum dicitur. *Plenum gratia & veritatis, & de plenitudine eius nos omnes accipimus.* Vnde ſic argumentari licet: Chriſtus plenus fuit illa gratia; quæ ex eo tanquam fonte in nos effluit, & per quam ſanctificamur. Atqui gratiam habitualem nos ex illo accipimus; & per illam ſanctificamur, vt ſupponimus ex tractatu de gratia. Ergo Chriſtus fuit prędítus, imò plenus gratia illa habituali ſanctificante.

Probatur 2. ex Sancto Athanaſio ſerm. 2. cont. Arrianos vbi de Chriſto ſic loquitur: *Quia ipſe vt homo gratiam accepit; inde etiam factum eſt vt nos etiam acceperimus.*

Probatur 3. ratione ducta ex his Apoſtoli verbis Rom. 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit fieri conformes imaginis filij ſui:* Vbi enim conformitas ſanctitatis, ibi eadem forma ſanctificans debet reperiri; vnde ſequitur quòd, cùm inter Chriſtum & alios iuſtos conformitas illa ſecundum Apoſtoli mentem reperiri debeat; ſicut iuſti per gratiam habitualem ſanctificantur, ſic etiam Chriſtus per eandem dici debeat ſanctificatus.

2 Dicendum 2. Chriſti humanitatem prætereà fuiſſe quoque ſanctificatam per ipſammet diuinitatem, cui vnita fuit in perſona Verbi.

Probatur 1. ex cap. 10. Act. vbi ſanctus Petrus dicit Chriſtum fuiſſe vnctum Spiritu ſancto: quo loco per vnctionem S. Auguſt. lib. 16. de Trinit. cap. 26. intelligit ſantificationem: quaſi dicat S. Petrus, Chriſtum ideò fuiſſe ſanctum, quia ipſamet diuinitate vnctus & ſanctificatus fuit.

Probatur 2. ex 6. Synodo generali act. 17. vbi dicitur, voluntatem Chriſti ideò nihil contrarium Deo velle, quia deificata eſt, id eſt, ſanctificata per diuinitatem, cui vnita eſt.

Probatur 3. ex S. Gregor. Nazianz. orat. 36. n. 93. & 94. vbi dicit Chriſtum vt hominem eſſe diuinitate ipſa vnctum, id eſt, ſanctificatum: nec illam vnctionem fieri per aliquam operationem, vt in alijs qui ſanctificantur; ſed totius diuinitatis vngentis præſentia. Et S. Damaſc. lib. 3. de fide cap. 3. vbi ſic loquitur, *Ipſe Chriſtus ſeipſum vnxit, vngens vt Deus; vnctus autem vt homo; vnctio autem humanitatis eſt diuinitas.*

Probatur 4. ex eo quòd actiones humanitatis Chriſti fuerint infiniti valoris, vt dicetur cap. 6. vnde ſequitur ipſius ſanctitatem fuiſſe infinitam; quia valor moralis & meritum actionum fundatur præſertim in ſanctitate perſonæ operantis; vt ſupponimus ex tractatu de Gratia: non poteſt autem intelligi quomodò Chriſtus ſecundùm humanitatem fuerit infinitè ſanctus, niſi in quantùm humanitas per ipſammet diuinitatem fuit ſanctificata.

3 Dicendum 3. humanitatem Chriſti a primo inſtanti ſuæ conceptionis fuiſſe duobus ſupradictis modis ſanctificatam.

Fuit autem à primo illo inſtanti Verbo diuino vnita, vt ex antedictis conſtat: vnionis autem illius excellentia hoc poſtulabat, vt anima Chriſti gratia illa & ſanctitate habituali donaretur, cum ratione illius vnionis à primo illo inſtanti digniſſima eſſet, cui gratia illi conferretur.

Quæres 1. an ſicut Chriſtus habuit gratiam habitualem ſanctificantem, ſic etiam gratiam actualem excitantem & adiuuantem acceperit, ad actus ſupernaturales eliciendos, ſicut & cæteri homines ex eius meritis eam accipiunt.

Re-

Reſpondetur negatiuè, ſicut enim beati in cœlo gratia illa excitante & adiuuante non indigent; quia clara Dei viſio, & eius perfectus ac beatificus amor illis ſufficiunt, ad actus virtutum ſupernaturalium eliciendos, qui eorum ſtatui conueniunt: ſic, cum anima Chriſti fuerit à primo inſtanti conceptionis excellentiſſimo lumine gloriæ prædita, proindeque clara eſſentiæ diuinæ viſione, eiuſdemque amore beatifico dotata; nulla actuali gratia indiguit ad quoſuis virtutum actus exercendos.

Quæres 2. an gratiæ illæ, quæ gratis datæ vocantur, Chriſto collatæ fuerint.

Reſpondetur affirmatiuè. Ratio eſt; quia hæ gratiæ maximè aptæ fuerunt ad ea opera exercenda, per quæ ipſe Chriſtus generis humani redemptionem perfecit, vnde conuenientiſſimum fuit, vt in gradu perfectiſſimo illi conferrentur.

Quæres 3. an gratia habitualis Chriſti aliquod incrementum acceperit.

Reſpondentur negatiuè. Ratio eſt; quia gratia collata fuit Chriſto à primo inſtanti conceptionis, intuitu vnionis hypoſtaticæ, vt ſuprà dictum eſt: illius autem vnionis dignitas & excellentia requirebat, vt in Chriſto talis gratiæ plenitudo ineſſet, quæ nullum poſteà incrementum acciperet. Id etiam prætereà conſtat ex eo quòd gratia non augetur in ſtatu viæ ſecundùm legem Dei ordinariam, niſi per merita; atqui Chriſtus nihil ſibi meruit quo ad animam & perfectiones illi inexiſtentes, vt infrà dicetur: vnde S. Greg. Nazianz. Epiſt. 1. ad Cledonium paulò poſt initium, exponens illi Fidem Catholicam, ſic loquitur: *Si quis Chriſtum ex operibus perfectum eſſe dixerit, anathema ſit*: ex quo loquendi modo patet, hanc veritatem, vt fide diuina credendam, ab illo propoſitam fuiſſe.

Nec his obſtat, quod S. Luc. c. 2. dicit puerum Ieſum profeciſſe gratia & ſapientia apud Deum & homines. Vt enim docet S. Thom. q. 7. a. 12. ad 3. particulis iſtis (*Sapientia & Gratia*) non intelliguntur habitus, ſed ipſa opera ſapientiæ & gratiæ; ſenſuſque eſt, Chriſtum, pro ætatis ſuæ progreſſu, perfectiora opera ſapientiæ & gratiæ exercuiſſe: ſolet enim Scriptura (vt monet S. Doctor) opera virtutum nuncupare ipſomet nomine virtutum.

SE-

SECTIO II.

An in Chriſto fuerint virtutes & dona Spiritus ſancti.

1 QVÆSTIO intelligenda eſt, non de virtutibus intellectualibus, vt ſapientia, ſcientia, de quibus poſteà; ſed de virtutibus propriè dictis, ſiue moralibus, ſiue Theologicis. Pro cuius reſolutione,

Dicendum 1. in Chriſto fuiſſe omnes virtutes, quæ nullam ſecum imperfectionem includunt eius beatitudini repugnantem.

Hoc conſtat ex eo quod (vt docet S. Thomas q. 7. a. 2. virtutes ab ipſa gratia tanquam à proprio fonte deriuantur: vnde, cùm in Chriſto fuerit gratia perfectiſſima, ſequitur quòd ex illa perfectiſſimæ etiam virtutes proceſſerint.

Diximus in aſſertione, virtutes illas in Chriſto fuiſſe, quæ nullam includunt imperfectionem eius beatitudini repugnantem: ſupponimus enim (ſicut ex dicendis in ſequenti capite conſtabit) animam Chriſti fuiſſe à primo inſtanti ſuæ creationis beatam, id eſt, clara & intuititiua Dei viſione præditam. Ex dictis,

Sequitur 1. Chriſto non fuiſſe fidem. Virtus enim illa nullo modo poteſt cum viſione beatifica conſiſtere, vt docet S. Th. a. 3.

Sequitur 2. in Chriſto non fuiſſe ſpem. Primarium enim illius virtutis objectum, eſt animæ beatitudo nondum obtenta, vt docet S. Thomas art. 4. At Chriſti anima (vt dictum eſt à primo inſtanti ſuæ conceptionis fuit beata.

Dices, videri Chriſtum vtramque virtutem habuiſſe: de illo enim dixit Iſaias cap. 11. *Erit fides cinctorium renum eius*: & in eiuſdem perſona Dauid dixit Pſalm. 5. *In te Domine ſperaui.*

Quod attinet ad fidem, reſpondetur Iſaiam Prophetam, fidei nomine intelligere fidelitatem in verbis & promiſſis, vt explicat Sanctus Hieronymus in eum locum.

Quod attinet ad ſpem, reſpondetur Chriſtum habuiſſe quidem actum ſpei, reſpectu gloriæ corporis, quæ eſt objectum ſpei ſecundarium; non tamen ipſam ſpei virtutem ſeu habitum, cùm nullum actum circa primarium eius objectum elicere potuerit. Vnde & probabiliter aliqui Theologi dicunt actum illum ſpei, reſpectu gloriæ corporis non proceſſiſſe ab vllo virtutis habitu; ſed fuiſſe actum ſimpliciter elicitum ab ipſa Chriſti voluntate in ſtatu beatitudinis iam poſita, taleinque actum nobiliorem fuiſſe, quàm ſi proceſſiſſet ab anima Chriſti, habitu ſpei prædita, ſed extra ſtatũ beatitudinis poſita.

Sequitur 3. in Chriſto non fuiſſe virtutem pœnitentiæ: ſi per illam intelligatur virtus illa ſpecialis, cuius proprius actus ſit, dolere

de peccato à ſe commiſſo, Deóque pro illo ſatisfacere: cùm (vt ex antè dictis conſtat) Chriſtus nullum vnquam peccatum commiſerit, vel committere potuerit. Si verò per pœnitentiam intelligatur virtus aliqua, cuius actus ſit, deteſtari peccatum à quocumque commiſſum ſit, velleque pro illo ſatisfacere, ac diuinam offenſam compenſare: certum eſt talem virtutem in Chriſto fuiſſe; cum pro peccatis omnium hominum diuinæ iuſtitiæ ſatisfecerit, illaque ſummo odio & horrore proſecutus fuerit.

3 Dicendum 2. in Chriſto fuiſſe dona Spiritus ſancti. Ita S. Thom. ſupra art. 5.

Probatur 1. ex Iſai. 11. vbi de Chriſto dicitur, quòd *requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, &c.*

Probatur 2. ex eo quòd vt (dicit S. Doctor) per dona Spiritus ſancti intelliguntur habitus quidam ſupernaturales diuinitùs infuſi, hominem ad hoc diſponentes, vt facillimè a Spiritu ſancto moueatur ad heroicas quaſdam ſeu præſtantiſſimas virtutum actiones: conſtat autem, quòd anima Chriſti facillimè ac perfectiſſimè à Spiritu ſancto ad quælibet excellentiſſima opera mouebatur, iuxta illud S. Luc. 4. *Ieſus autem plenus Spiritu ſancto, egreſſus eſt à Iordane, & agebatur à Spiritu in deſertum.*

Dices 1. hæc dona in beatis non ampliùs reperiri: neque enim in cœlo fortitudine opus eſt ad res arduas & difficiles, quæ illic nullæ ſunt; neque conſilio etiam opus eſt, nec timore. Ergo, cum Chriſtus à primo inſtanti conceptionis ſuæ beatus fuerit, ſequitur quòd dona illa non habuerit.

Reſpondetur 1. Chriſtum non ſolum beatum ac comprehenſorem fuiſſe, ſed etiam ſimul viatorem ac peregrinum, vt docet S. Thom. quæſtione 15. art. 10. ac proinde ſimul, ſecundùm partem ſuperiorem animæ, diuina viſione ac fruitione præditum fuiſſe, ſimul etiam, ſecundùm inferiorem eiuſdem animæ portionem, ijs omnibus difficultatibus ſiue externis ſiue internis (ſi peccatum, ignorantiam, & alios defectus, de quibus ſuprà dictum eſt, excipias) obnoxium fuiſſe; quibus alii homines viatores ſubiacent; proindeque dona illa Spiritus ſancti in eo non fuiſſe inutilia.

Reſpondetur 2. quamuis hæc dona non maneant in beatis, quoad paſſiones inferioris partis reprimendas vel dirigendas; manere tamen in illis quoad ornatum animæ ac rectitudinem voluntatis, quæ perfectam aptitudinem ac diſpoſitionem ſemper retinet ad hoc, vt facillimè à Spiritu ſancto moueri poſſit ad quidlibet illi placitum fuerit; ac proinde ea etiam ratione dona illa potuiſſe in Chriſto Domino reperiri.

4 Dices 2. Donum timoris verſari circa malum culpæ, vel pœnæ, propter admiſſá culpam: atqui Chriſtus nullo modo peccare potuit.

Reſ-

Reſpondetur cum S.Thom. quæſtione 7. art. 6. fuiſſe in Chriſto timorem Dei, non quidem ſeruilem, qui animam affligeret; ſed filialem, qui charitatem accenderet; iſque eſt, quem S. Auguſtinus lib.14. de Ciuit. cap.9. vocat timorem caſtum, quo quis peccatum horret, *non ſollicitudine neceſſitatis, ſed tranquillitate charitatis*; vnde (vt rectè explicat S Doctor) in Chriſto fuit timor Dei, non prout reſpicit malum ſeparationis à Deo per culpam, aut malum punitionis pro culpa; ſed ſecundùm quod reſpicit ipſam diuinæ maieſtatis eminentiam; prout ſcilicet anima Chriſti à Spiritu ſancto mouebatur in Deum affectu quodam ſingularis reuerentiæ: hunc enim affectum reuerentiæ ad Deum Chriſtus, quatenùs homo, præ cæteris habuit pleniorem: ideòque attribuit ei Scriptura Iſai.11. Plenitudinem timoris Domini.

CAPVT V.

De Scientia Chriſti.

SECTIO I.

Qualis fuerit Scientia Chriſti.

1 SVPPONIMVS tanquam certum Chriſtum Dominum præter ſcientiam increatam & diuinam, quæ illi competebat, in quantùm Deus, habuiſſe etiam ſcientiam creatam, in quantùm homo, cum habuerit animam potentia intellectiua præditam, ſicut cæteri homines.

Conſtat 1. ex Scriptura. Iſai. 11. *Requieſcet ſuper eum ſpiritus ſcientiæ & intellectus*, S.Ioan.17. *Sciens Ieſus, quia venit hora eius.*

Conſtat 2. ex eo quòd in 6. Synodo generali, definitum eſt aduerſus Monothelitas, omnia in Chriſto fuiſſe duplicia, & ſicut duas naturas, ſic etiam in eo cuiuſque naturæ operationes proprias fuiſſe. Et in concilio Lateranenſi ſub Martino I. can. 9. definitum eſt, Chriſtum aſſumpſiſſe animam rationalem cum omnibus proprietatibus, ac per omnia cæteris animabus hominum ſimilem, dempto peccato. Hoc præſuppoſito,

Dicendum eſt 1. in Chriſto fuiſſe ſcientiam beatificam; id eſt, Chriſti intellectum illuſtratum fuiſſe lumine gloriæ, ac per illud clarè diuinam eſſentiam, pluresque alias res cognouiſſe. Ita Sanctus Thomas quæſt.9.a.2.

Pro-

Probatur 1. ex Scriptura. S.Ioan. 1. Verbum incarnatum dicitur fuiſſe *Plenum gratia & veritatis*. Si enim Chriſtus habuit plenitudinem veritatis ſicut & gratiæ; ſequitur quòd, ſicut in gratia ſuper omnes Angelos beatos in hac vita excelluit, ſic etiam in cognitione & ſcientia; non excelluiſſet autem, ſi viſionem beatificam non habuiſſet. Item ex cap. 17. S.Ioan. *Volo vt vbi ſum ego & illi ſint mecum, vt videant claritatem meam:* quibus verbis Chriſtus Patrem ſuum pro diſcipulis ſuis orat poſtulatque, vt eiuſdem gloriæ, qua tunc fruebatur, illos participes reddat: alia autem gloria intelligi non poteſt, niſi ea, quæ in viſione clara diuinæ eſſentiæ conſiſtit, quam proinde tunc Chriſtus habuit.

Probatur 2. ex S.Damaſc. orat. de Transfiguratione, vbi dicit illam Chriſti Transfigurationem fuiſſe quandam manifeſtationem gloriæ, quæ in eius anima erat.

3 Probatur 3. hac ratione qua vtitur S.Thomas ſupra: Chriſtus, vt homo fuit author ſalutis ac beatitudinis aliorum (ſicut vocat eum Apoſtolus, ad Hebr. 2.) Ergo cùm cauſa effectus ſui perfectionem continere debeat, Chriſtus illam beatitudinem habere in ſe debuit.

Porrò ea quæ diximus ad probandum, Chriſtum in ſtatu viæ ſcientiam beatificam habuiſſe, probant etiam illam habuiſſe à primo inſtanti conceptionis; proindeque illum ab eo inſtanti fuiſſe beatum. Siquidem iam ab eo inſtanti, fuit plenus gratiæ & veritatis: fuit etiam author ſalutis cæterorum hominum; & ſicut ratione vnionis hypoſtaticæ, Patris æterni naturalis filius fuit: ſic etiam hæres vniuerſæ gloriæ illius (vt vocat eum Apoſtolus Hebr. 1.) ac proinde poſſeſſor.

Quamuis autem hæc veritas non ſit abſolutè de fide (vt rectè obſeruat Iſambertus ad q.9. diſp.2. a.6.) quia tamen pluribus Scripturæ locis communique Doctorum conſenſu innixa eſt, ideo ſententia oppoſita tanquam temeraria cenſenda eſt ac omninò repudianda.

Dicendum 2. præter ſcientiam beatificam, duplicem aliam prætereà fuiſſe in Chriſto ſcientiam, infuſam ſcilicet & acquiſitam. Ita S.Thom. ſup. a.3. & 4.

De ſcientia infuſa conſtat 1. ex Scriptura S.Ioan. 7. *Mirabantur Iudæi, dicentes: quomodo hic litteras ſcit, cum non didicerit?* Coloſſ. 2. *In quo* (Chriſto ſcilicet) *ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi*. Conſtat 2. ex eo quòd, ſi ſcientiam infuſam Chriſtus habuiſſet caruiſſet aliqua perfectione qua beati Angeli præditi ſunt: illi ſiquidem (vt docet S.Aug. l.11. de Ciuit. cap.7.) duplicem habent de rebus cognitionem, vnam quam vocat matutinam, id eſt beatificam: alteram, veſpertinam, id eſt, infuſam, & per proprias ſpecies. Ergo idem de Chriſto Domino dicendum eſt.

De ſcientia acquiſita conſtat 1. ex Scriptura Iſai. 7. *Antequam ſciat*

ſciat puer reprobare malum & eligere bonum; quod, tanquam de Chriſto prædictum, Patres omnes interpretantur. Heb. 5. *Cùm eſſet Dei Filius, didicit ex ijs quæ paſſus eſt, obedientiam*. Conſtat 2. hac ratione qua vtitur S. Thom. art. 4. nihil eorum, quæ naturæ noſtræ per ſe competunt, defuit humanitati à Verbo diuino aſſumptæ. Atqui naturæ humanæ per ſe competit in ipſa rationali anima intellectus agens, ſicut & patiens ſeu paſſibilis, vt communiter docent Philoſophi. Ergo Chriſtus aſſumpſit animam intellectu, tùm agente præditam. Atqui fruſtrà Chriſtus intellectum agentem aſſumpſiſſet, niſi per ipſum aliquid operatus fuiſſet: operatio autem propria intellectus agentis, eſt ſpecies à phantaſmatibus abſtrahere, & ſic cognitionem & ſcientiam per illas ſpecies ſic abſtractas comparare, quæ ſcientia dicitur acquiſita. Vnde ſequitur ſcientiam illam acquiſitam in Chriſto fuiſſe.

SECTIO II.

Ad quaſnam res Chriſti ſcientia ſe extenderit.

1 SENSVS quæſtionis eſt, quaſnam res Chriſtus Dominus in ſtatu viæ cognouerit per triplicem illam ſcientiam, quam diximus illum habuiſſe. Pro cuius reſolutione,

Dicendum eſt 1. Chriſtum Dominum per ſcientiam beatificam perfectiùs & clariùs vidiſſe diuinam eſſentiam, quàm quælibet alia creatura videre poſſit; atque adeò ſcientia illa cæteris omnibus beatis; ſiue Angelis, ſiue hominibus, longè præcelluiſſe; non tamen diuinam eſſentiam comprehendiſſe, nec comprehendere potuiſſe.

Prima huius aſſertionis pars conſtat ex eo quod dicit Apoſtolus Epheſ. 1. Chriſtum à Deo Patre conſtitutum *ad illius dexteram in cœleſtibus, ſuprà omnem Principatum & Poteſtatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen, quod nominatur, non ſolùm in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro*.

Secunda aſſertionis pars ex eo conſtat, quod vniuerſim SS. Patres aſſerunt, nullum intellectum creatum poſſe diuinam eſſentiam comprehendere; vt S. Baſil. lib. 1. contra Eunomium. Sanctus Auguſtinus Epiſt. 112 & plures alij: quod proinde intelligendũ eſt etiam de humano Chriſti intellectu. Cuius rei ratio eſt; quia nullus intellectus creatus cognoſcere poteſt omnes effectus poſſibiles diuinæ omnipotentiæ, cùm ſint infiniti, nullus etiam intellectus creatus cognoſcere poteſt ipſam diuinam eſſentiam eo perfectionis gradu, quo eſt à ſe ipſa cognoſcibilis.

2 Dicendum 2. Chriſtum Dominum per illam ſcientiam beatificam

tam cognouiſſe omnia, quæcumque Deus cognoſcit ſcientia (vt vocant) viſionis; hoc eſt, omnia quæcunque actu ſunt, fuerunt, vel futura ſunt; ac proinde omnes & ſingulos homines, ac ſingulas cuiuſque actiones, cogitationes, volitiones, cum omnibus circumſtantijs. Ita S. Thom. q. 10. a. 2.

Quod probat ex eò quòd vnuſquiſque beatus in eſſentia diuina clare viſa, cognoſcat omnia, quæ ad ipſum ſpectant: ad Chriſtum autem, & ad eius dignitatem quodammodò ſpectant omnia, in quantùm omnia ſunt ei ſubiecta: & prætereà, quia, in quantùm homo, conſtitutus eſt à Deo omnium iudex; eſt autem proprium iudicis ea cognoſcere de quibus ferre iudicium debet.

Objicies, Chriſtum diem extremi iudicij non cognouiſſe, vt ipſemet teſtatur S. Marc. 13.

Reſpondetur SS. Patres duplicem illius loci afferre explicationem. Quidam enim (vt S. Athanaſius orat. cont. Arrianos, Sanctus Gregor. Nazianz. orat. 4. de Theologia) explicant Chriſtum Dominum, quatenùs homo erat, naturali cognitione diem iudicij neſcijſſe. Alij (vt S. Baſilius libro 1. cont. Eunomium, Sanctus Ambr. lib. 5. ad Gratianum capite 8. S. Auguſt. lib. 1. de Trinit. capite 12. Sanctus Hieron. in cap. 24. Sancti Matt. & S. Greg. lib. 8. Regiſtri Epiſt. 42.) volunt Chriſtum dixiſſe, neſcire ſe illum diem: ſubintelligendo, vt Apoſtolis declararet.

3 Dicendum 3. Chriſtum Dominum per ſcientiam infuſam perfectè cognouiſſe omnia, ſiue naturalia, ſiue ſupernaturalia, quæ ab homine vel ab Angelo cognoſci poſſunt; ac proinde omnia myſteria, omnes ſcientias, tàm ſpeculatiuas, quàm morales, omnia denique naturaliter, vel ſupernaturaliter ſcibilia.

Hoc conſtat tùm ex verbis Apoſtoli dicentis in eo reconditos eſſe theſauros omnes ſapientiæ ac ſcientiæ, tùm etiam ex eo quod omnimoda illa ſcientia competebat Chriſto, in quantùm caput erat, tàm hominum, quàm Angelorum, vt infrà dicetur, in capite ſiquidem, præ cæteris membris, vigere debent omnes ſenſus.

Dicendum 4. Chriſtum Dominum per ſcientiam acquiſitam ea omnia cognouiſſe: quæ ab homine naturaliter per lumen intellectus agentis cognoſci poſſunt. Ita S. Thom. q. 12. a. 1.

Quod probatur ex eo quòd nihil imperfectum fuit in Chriſto quantùm ad animam, fuiſſet autem imperfecta hæc eius ſcientia, ſi ſecundùm eam non ſciuiſſet omnia quæ per illam ſciri poſſunt.

Obſeruandum eſt autem Chriſtum Dominum hanc ſcientiam acquiſitam non habuiſſe ab inſtanti conceptionis, vt docet S. Doctor art. 2. ſed illam acquiſiuiſſe breuiſſimo aliquo temporis ſpatio, idque ob admirabilem ingenij præſtantiam. Illum tamen (vt rectè monet idem S. Doctor art. 3.) nihil vnquam ab vllo, vel homine,

ſciat puer reprobare malum & eligere bonum; quod, tanquam de Chriſto prædictum, Patres omnes interpretantur. Heb. 5. *Cùm eſſet Dei Filius, didicit ex ijs quæ paſſus eſt, obedientiam*. Conſtat 2. hac ratione qua vtitur S. Thom. art. 4. nihil eorum, quæ naturæ noſtræ per ſe competunt, defuit humanitati à Verbo diu no aſſumptæ. Atqui naturæ humanæ per ſe competit in ipſa rationali anima intellectus agens, ſicut & patiens ſeu paſſibilis, vt communiter docent Philoſophi. Ergo Chriſtus aſſumpſit animam intellectu, tùm agente præditam. Atqui fruſtrà Chriſtus intellectum agentem aſſumpſiſſet, niſi per ipſum aliquid operatus fuiſſet: operatio autem propria intellectus agentis, eſt ſpecies à phantaſmatibus abſtrahere, & ſic cognitionem & ſcientiam per illas ſpecies ſic abſtractas comparare, quæ ſcientia dicitur acquiſita. Vnde ſequitur ſcientiam illam acquiſitam in Chriſto fuiſſe.

SECTIO II.

Ad quaſnam res Chriſti ſcientia ſe extenderit.

1 SENSVS quæſtionis eſt, quaſnam res Chriſtus Dominus in ſtatu viæ cognouerit per triplicem illam ſcientiam, quam diximus illum habuiſſe. Pro cuius reſolutione,

Dicendum eſt 1. Chriſtum Dominum per ſcientiam beatificam, perfectiùs & clariùs vidiſſe diuinam eſſentiam, quàm quælibet alia creatura videre poſſit; atque adeò ſcientia illa cæteris omnibus beatis; ſiue Angelis, ſiue hominibus, longè præcelluiſſe; non tamen diuinam eſſentiam comprehendiſſe, nec comprehendere potuiſſe.

Prima huius aſſertionis pars conſtat ex eo quod dicit Apoſtolus Epheſ. 1. Chriſtum à Deo Patre conſtitutum *ad illius dexteram in cæleſtibus, ſuprà omnem Principatum & Poteſtatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen, quod nominatur, non ſolùm in hoc ſaculo, ſed etiam in futuro*.

Secunda aſſertionis pars ex eo conſtat, quod vniuerſim SS. Patres aſſerunt, nullum intellectum creatum poſſe diuinam eſſentiam comprehendere; vt S. Baſil. lib. 1. contra Eunomium. Sanctus Auguſtinus Epiſt. 112 & plures alij: quod proinde intelligendũ eſt etiam de humano Chriſti intellectu. Cuius rei ratio eſt; quia nullus intellectus creatus cognoſcere poteſt omnes effectus poſſibiles diuinæ omnipotentiæ, cùm ſint infiniti, nullus etiam intellectus creatus cognoſcere poteſt ipſam diuinam eſſentiam eo perfectionis gradu, quo eſt à ſe ipſa cognoſcibilis.

2 Dicendum 2. Chriſtum Dominum per illam ſcientiam beatificam

tam cognouiſſe omnia, quæcumque Deus cognoſcit ſcientia (vt vocant) viſionis; hoc eſt, omnia quæcunque actu ſunt, fuerunt, vel futura ſunt; ac proinde omnes & ſingulos homines, ac ſingulas cuiuſque actiones, cogitationes, volitiones, cum omnibus circumſtantijs. Ita S. Thom. q. 10. a. 2.

Quod probat ex eò quòd vnuſquiſque beatus in eſſentia diuina clare viſa, cognoſcat omnia, quæ ad ipſum ſpectant: ad Chriſtum autem, & ad eius dignitatem quodammodò ſpectant omnia, in quantùm omnia ſunt ei ſubiecta: & prætereà, quia, in quantùm homo, conſtitutus eſt à Deo omnium iudex; eſt autem proprium iudicis ea cognoſcere de quibus ferre iudicium debet.

Objicies, Chriſtum diem extremi iudicij non cognouiſſe, vt ipſemet teſtatur S. Marc. 13.

Reſpondetur SS. Patres duplicem illius loci afferre explicationem. Quidam enim (vt S. Athanaſius orat. cont. Arrianos, Sanctus Gregor. Nazianz. orat. 4. de Theologia) explicant Chriſtum Dominum, quatenùs homo erat, naturali cognitione diem iudicij neſcijſſe. Alij (vt S. Baſilius libro 1. cont. Eunomium, Sanctus Ambr. lib. 5. ad Gratianum capite 8. S. Auguſt. lib. 1. de Trinit. capite 12. Sanctus Hieron. in cap. 24. Sancti Matt. & S. Greg. lib. 8. Regiſtri Epiſt. 42.) volunt Chriſtum dixiſſe, neſcire ſe illum diem: ſubintelligendo, vt Apoſtolis declararet.

3 Dicendum 3. Chriſtum Dominum per ſcientiam infuſam perfectè cognouiſſe omnia, ſiue naturalia, ſiue ſupernaturalia, quæ ab homine vel ab Angelo cognoſci poſſunt; ac proinde omnia myſteria, omnes ſcientias, tàm ſpeculatiuas, quàm morales, omnia denique naturaliter, vel ſupernaturaliter ſcibilia.

Hoc conſtat tùm ex verbis Apoſtoli dicentis in eo reconditos eſſe theſauros omnes ſapientiæ ac ſcientiæ, tùm etiam ex eo quod omnimoda illa ſcientia competebat Chriſto, in quantùm caput erat, tàm hominum, quàm Angelorum, vt infrà dicetur, in capite ſiquidem, præ cæteris membris, vigere debent omnes ſenſus.

Dicendum 4. Chriſtum Dominum per ſcientiam acquiſitam ea omnia cognouiſſe: quæ ab homine naturaliter per lumen intellectus agentis cognoſci poſſunt. Ita S. Thom. q. 12. a. 1.

Quod probatur ex eo quòd nihil imperfectum fuit in Chriſto quantùm ad animam, fuiſſet autem imperfecta hæc eius ſcientia, ſi ſecundùm eam non ſciuiſſet omnia quæ per illam ſciri poſſunt.

Obſeruandum eſt autem Chriſtum Dominum hanc ſcientiam acquiſitam non habuiſſe ab inſtanti conceptionis, vt docet S. Doctor art. 2. ſed illam acquiſiuiſſe breuiſſimo aliquo temporis ſpatio, idque ob admirabilem ingenij præſtantiam. Illum tamen (vt rectè monet idem S. Doctor art. 3.) nihil vnquam ab vllo, vel homine,

mine, vel Angelo didiciſſe, ſed per proprij ingenij virtutem, ſcientiam illam ex rebus ipſis hauſiſſe, cùm enim & hominum & Angelorum caput eſſet, eius dignitati non congruebat, vt quidquam ab illis addiſceret.

Objicies conſtare ex Euangelijs, quod Chriſtus Dominus homines aliquando interrogauit, & multa ab ijs quæſiuit.

Reſpondet S. Doctor art. 3. ad 1. Chriſtum Dominum homines aliquando interrogaſſe, non vt aliquid addiſceret, ſed vt interrogatos erudiret.

CAPVT VI.

De voluntate & merito Chriſti.

SECTIO I.

An Chriſti voluntas fuerit libera.

1 SVPPONIMVS in Chriſto Domino fuiſſe, non ſolum diuinam, ſed humanam voluntatem: ſiue nomen voluntatis ſumatur pro facultate volendi, ſiue pro ipſo actu volendi.

Primum enim conſtat ex eo quòd in Chriſto Domino fuit natura humana integra & perfecta: Eſt autem de integritate ac perfectione naturæ humanæ, cùm intellectualis ſit, vt volendi facultate prædita ſit.

Secundum etiam patet ex eo quòd de ratione ipſius facultatis volendi ſit, vt actus ſibi proprios & connaturales elicere queat.

Vtrumque autem tanquam fide certum definitum fuit contra Monothelitas, vnam tantùm in Chriſto voluntatem (diuinam ſcilicet) admittentes, & humanam negantes, in 6. Concilio generali, Act. 4. & 8. in Epiſt. Agathonis Papæ, ibidem lecta & recepta, & in Concilio Lateranenſi ſub Martino I. conſult. 5.

Hac igitur veritate ſuppoſita, quæritur, an voluntas humana Chriſti fuerit libera: de diuina enim iam egimus tractatu 2. cap. 4. ſect. 3. Pro cuius reſolutione,

Dicendum eſt Chriſti Domini voluntatem fuiſſe, verè ac perfectè liberam. Eſt de fide, & conſtat 1. ex Scripturis, Iſai. 7. prædicit Propheta de Chriſto quòd *ſciet reprobare malum & eligere bonum:* Atqui electio eſt actus proprius liberæ voluntatis, vt docet S. Thom. 3.

parte quæſt. 18. a. 4. vbi hunc locum Iſaiæ ad probationem huius veritatis ad hibet. Item capite 53. eiuſdem prophetæ dicitur de Chriſto, quod *oblatus eſt*, *quia ipſe voluit*. Et ipſe Chriſtus Dominus dicit Sanct. Ioan. 10. *Nemo tollit animam meam à me*, *ſed ego pono eam à me ipſo*, *& poteſtatem habeo ponendi eam*, *& poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.*

Probamus 2. hac ratione: Chriſtus Dominus præſertim per obedientiam ſuam perfecit opus noſtræ redemptionis, Rom. 5. vbi Apoſtolus dicit per Chriſti obedentiam homines eſſe iuſtificatos. Atqui perfecta obedentia ſine voluntatis libertate eſſe non poteſt, iuxta quod dicit S. Auguſt. Epiſt. 46. *Nullam poſſe ſine arbitrio libero eſſe obedentiam*. Vnde ſequitur Chriſti voluntatem fuiſſe perfectè liberam.

Objicies, Chriſtum Dominum, vt ſuprà diximus, non potuiſſe peccare: ex quo ſequitur illum in exequendis ijs, quæ ſibi à Patre imperata fuerunt, liberum non fuiſſe: ſi enim liber fuiſſet, potuiſſet illa non facere, ac non faciendo peccare. Hæc objectio grauem continet difficultatem, an ſcilicet, & qua ratione Chriſti libertas cum eius impeccabilitate conciliari poſſit.

3 Omiſſis autem varijs Theologorum ad hanc objectionem reſponſionibus, omnium probabiliſſimè loqui videntur illi, qui dicunt quòd quamuis Chriſtus Dominus, ratione ſuæ impeccabilitatis, liber non fuerit; ad obſeruanda, vel non obſeruanda in genere præcepta ſibi á Deo Patre impoſita: e. g. præceptum illud affirmatiuum quo ad genus humanum per mortem ſuam redimendum obligabatur: liber tamen fuit ad illud obſeruandum vel non obſeruandum in ſpecie, vel in indiuiduo: id eſt, quod, quamuis mandato illo diuinitùs accepto, liberum illi non fuerit in genere, mortem acceptare, vel non acceptare; liberum tamen illi fuit mortem acceptare tali hora vel momento temporis, ſerius vel citiùs: liberum itē ei fuit illam acceptare, cum tali charitatis ardore vel intentione, maiori vel minori: item ex motiuo talis virtutis, v. g. religionis, obedientiæ, patientię, fortitudinis, & ſimilium. Vnde ſequitur, illā mortis acceptationem Chriſto Domino fuiſſe ſimpliciter & abſolutè liberam, non ſolùm quoad eius circūſtantias, ſed etiam quoad ipſius actus ſubſtantiam, non modò numericam, ſed etiam ſpecificam. Non enim eſt idem numero, ſecundùm ſubſtantiam, voluntatis actus intenſus & remiſſus; multòque minus actus elicitus ex proprio motiuo alicuius virtutis, & ex proprio alterius diuerſæ ſpeciei; cùm vtriuſque actus entitas, ſeu ſubſtantia, non modo numericè, ſed etiam ſpecificè diuerſa ſit. Et quamuis externa mortis & tormentorum perpeſſio ſit eadem, ſecundùm Phyſicam ſuam entitatem quocunque ex actu voluntatis, ſiue intenſo, ſiue remiſſo,

& quocunque ex formali motiuo acceptetur; nihilominùs in genere moris diuerſa prorsùs eſt, pro diuerſitate actus voluntatis, per quam acceptatur; nec quidquam bonitatis moralis aut meriti habet; niſi dependenter ab interno voluntatis actu. Vnde ſequitur acceptationem ac perpeſſionem mortis in Chriſto fuiſſe illi omninò liberam: Quæ tamen libertas nullam cum eius impeccabilitate repugnantiam habuit. Et ſic dicendum eſt de aliis eius actibus.

SECTIO II.

Qua ratione Chriſti voluntas libera fuerit.

1 NON eſt opus hic ea repetere, quæ tractatu 2. cap. 4. ſect. 3. dicta ſunt; vbi obſeruauimus de triplici libertate apud ſanctos Patres fieri mentionem, nempè de libertate naturæ gratiæ, & gloriæ. Quæſtio autem propoſita intelligēda nō eſt de libertate gratiæ: conſtat enim ex ante dictis, Chriſtum Dominum à peccato fuiſſe perfectè liberum. Nec de libertate gloriæ; cùm à primo inſtanti conceptionis ipſam acceperit, quamuis illa quoad corpus & partem animæ inferiorem in hac vita fruitus non fuerit. Quærimus igitur hìc ſolùm de libertate naturæ, qua ratione Chriſti voluntas perfecta naturæ libertate prædita fuerit. Quod vt euidentius fiat,

Supponimus id, quod loco citato à nobis dictum eſt; libertatem ſcilicet naturæ in eo conſiſtere, quod voluntati, non ſolùm nulla coactio, ſed neque etiam vlla neceſſitas inferatur; ac ipſa voluntas libera prorſùs & indifferens relinquatur, tam quoad exercitium, quàm quoad ſpecificationem ſui actus. Quamuis autem hoc ibi à nobis authoritate SS. Amb. Hieronymi, Auguſtini & Bernardi obiter probatum ſit: quia tamen hæc veritas maximi momenti eſſe cenſetur, & ex illa tanquam ex certo principio, plurimę, aliæ Theologicæ concluſiones dependent: idcircò illam hìc denuò,

2 Probamus 1. authoritate Scripturæ. 1. Co. 7. vbi Apoſtolus loquens de ſeruanda virginitate; expreſſis verbis dicit; hominem *non habere neceſſitatem; ſed poteſtatem habere ſuæ voluntatis*: Vbi poteſtatem volendi opponit neceſſitati volendi; Eccleſiaſt. 15. vbi dicitur *Deum reliquiſſe hominem in manu conſilij ſui: appoſuiſſe illi ignem & aquam, vitam & mortem, bonum & malum, vt ad quòd voluerit porrigat manum ſuam; & quod placuerit ei detur illi*. Quem locum Patres Concilij Senonenſis, anno Domini 1528. aduerſus huius temporis hæreſes tunc exortas congregati; in decreto fidei de homine in ſtatu naturæ lapſæ; & per Chriſtum reparatæ: vbi expreſſè contra præfatos hæreticos definiunt; *Liberum in vtramuis partem eſſe hominis arbitrium*.

P. o-

Probamus 2. authoritate Concilij Tridentini ſeſſ. 6. cap. 5. vbi dicitur quòd tangente Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem, is, qui recipit inſpirationem, poſſit eam abijcere, ſi velit; & can. 4. definitur, hominem gratiæ poſſe diſſentire, ſi velit. Ex quibus Concilij verbis Guillelmus Eſtius in diſt. 24. paragr. 1. Gabriel Pennotus lib. 1. cap. 6. & alij Doctores efficaciter probant, non ſolùm coactionem, ſed etiam neceſſitatem libertati naturali hominis eſſe contrariam. Et certè quando idem Concilium can. 5. anathema dicit in eos qui aſſerunt per peccatum Adæ liberum hominis arbitrium fuiſſe amiſſum & extinctum, non alios haud dubiè intelligit quàm Lutherum, Caluinum, & eorum aſſeclas; in quos ille canon directus eſt, qui tamen non aliter liberum hominis arbitrium amiſſum & extinctum eſſe dicunt, niſi quia, cùm in creatione homo accepiſſet indifferentem ad vtrumlibet arbitrij facultatem, illam per peccatum amiſit: ita vt quamuis in hoc ſtatu in quo nunc eſt, non agat coactè, neceſſariò tamen agat.

Probamus 3. authoritate ſummorum Pontificum Pii V. & Gregorij XIII. qui in Bulla contra Michaelem Baium edita, has eius propoſitiones damnarunt (*quod voluntariè fit; etiam ſi neceſſariò fiat: libere tamen fit*) & (*Sola violentia repugnat libertati hominis naturali*) (*Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod neceſſariò facit*) Quæ quidem Bulla denuò Vrbani VIII. authoritate confirmata & publicata eſt.

Probamus 4. authoritate almæ facultatis Sorbonicæ, quæ in decreto ſuo anno Domini 1560. edito, has quæ ſequuntur propoſitiones tanquam falſas & hæreticas damnauit (*Liberum hominis arbitrium non habet poteſtatem ad oppoſita*) & (*libertas & neceſſitas eidem conueniunt reſpectu eiuſdem:*) item (*liberum arbitrium libere vult id, quod neceſſariò vult:*) & *homo neceſſariò peccat etiam damnabiliter in aliqua ſpecie peccati.*

Probamus 5. authoritate S. Th. in quæſtionibus diſputatis de Malo q. 6. a. 1. vbi ſic loquitur: *Dicendum quod quidam poſuerunt quòd voluntas hominis ex neceſſitate mouetur ad aliquid eligendum; nec tamen ponebant quod voluntas cogeretur; non enim omne neceſſarium eſt violentum, ſed ſolum, cuius principium eſt extra. Hæc autem opinio eſt hæretica: tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus.*

Ex quibus, cùm euidenter conſtet libertatem naturalem hominis requirere, non ſolùm exemptionem à coactione, ſed etiam à neceſſitate; in eoque conſiſtere, vt poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, homo ſemper maneat indifferens ad agendum vel non agendum, ad hoc vel illud agendum, conſequenter dicendum eſt. Cùm Chriſtus Dominus naturam humanam, omnibus ſuis facultatibus ac pro-

R 2 prie-

prietatibus inſtructam aſſumpſerit, proindeque voluntatem eiuſdem conditionis cum cæteris hominibus illius libertatem naturalem in eo ſitam fuiſſe, quod ab omni non ſolum coactione, ſed etiam neceſſitate fuerit exemptus; potueritque pro libito agere vel non agere, hoc vel illud agere. Quod tamen intelligendum eſt reſpectu actionum bonarum: libertas enim illa, quæ in nobis eſt ad faciendum malum, repudiato bono, in Chriſto non fuit propter eius impeccabilitatem: quod tamen non obſtat, quin verè & perfectè liber fuerit. Vt enim rectè dicit S. Thom. in quæſt. diſput. de veritate quæſt. 22. art. 6. *Velle malum, non eſt libertas, nec pars libertatis, quamuis ſit quoddam ſignum libertatis.*

SECTIO III.

An, & qua ratione Chriſti actiones fuerint meritoria.

1 DIcendum 1. Chriſti Domini actiones humanas, verè & propriè fuiſſe meritorias. Ita S. Th. q. 19. a. 3. eſt de fide.

Probatur 1. ex Scriptura, in qua dicitur, redemptionem noſtram, ac peccatorum noſtrorum remiſſionem ex Chriſti ſanguine, hoc eſt, ex paſſionis eius ac mortis merito procedere Ad Coloſſ. 1. *In quo habemus redemptionem, & remiſſionem peccatorum* Apoc. 5. *Redemiſti nos Deus in ſanguine tuo.*

Probatur 2. ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. vbi dicitur, *Noſtræ iuſtificationis cauſam meritoriam eſſe Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui cùm eſſemus inimici, propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, ſua ſanctiſſima paſſione in ligno crucis, nobis iuſtificationem meruit, & pro nobis Deo Patri ſatisfecit.*

Probatur 3. hac ratione: omnes conditiones ad meritum requiſitæ, in actionibus Chriſti Domini reperiuntur: ergo fuerunt meritoriæ. Probatur antecedens: quia conditiones ad meritum requiſitæ (vt ſupponimus ex tractatu de gratia) ſunt hæ quæ ſequuntur. Prima, vt actio ſit libera. Secunda, vt ſit honeſta, ſeu bona moraliter. Tertia, vt ſit à perſona grata Deo, & iuſta. Quarta, vt exerceatur in ſtatu viæ. Quinta denique, vt pactum intercedat ex parte Dei de prœmio reddendo pro tali actione. Atqui hæ conditiones in actionibus Chriſti reperiuntur: fuerunt enim liberæ, vt præcedenti ſectione probatum eſt: fuerunt honeſtæ & bonæ, quod Chriſtus ipſe declarauit S. Ioan. 8. *Ego quæ placita ſunt ei, facio ſemper*: fuerunt a perſona Deo grata, quod & ipſe Deus Pater in Baptiſmo & Transfiguratione Chriſti teſtatus eſt: fuerunt factæ in ſtatu viæ, cùm Chriſtus fuerit ſimul viator & comprehenſor: pactum denique interceſſit ex parte Dei Patris, iuxta illud Iſa. 53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur.*

2 Dicen-

2 Dicendum 2. Chriſti Domini actiones fuiſſe infiniti valoris ad merendum.

Probatur 1. ex dictis ſuprà c.1. ſect.6. vbi probauimus Chriſti Domini actiones fuiſſe valoris infiniti ad ſatisfaciendum: rationes enim quæ probant de vno, probant etiam de altero.

Probatur 2. authoritate Clementis VI. ſummi Pontificis in Extrauagante, quæ incipit (*Vnigenitus*) de pœnitentiis & remiſſionibus; vbi dicit *Chriſtum Dominum acquiſiuiſſe Eccleſiæ theſaurum infinitum, conſtantem ſuis meritis & operibus ſatisfactoriis, &c. & non eſſe aliquatenùs formidandum de corruptione ſeu imminutione huius theſauri, propter infinita eius merita.*

Quæres, quando meritum Chriſti Domini incœperit, quanto tempore durauerit, & quando deſierit.

Reſpondetur 1. Chriſti meritum incœpiſſe à primo inſtanti ſuæ conceptionis. Ita S.Thom. quæſt. 34.a.3.

Conſtat ex cap.10.ad Hebr. vbi refert Apoſtolus Chriſtum ingredientem in hunc mundum dixiſſe. *Ecce venio, vt faciam, Deus, voluntatem tuam:* & poſteà ſubiungit, *in qua voluntate ſanctificati ſumus.* Ex quo ſic poſſumus argumentari: ille actus Chriſti eſt meritorius, in quo ſumus ſanctificati: atqui in primo inſtanti conceptionis (tunc enim in hunc mundum ingreſſus eſt, vt explicat S. Thom. in illum locum Apoſtoli) actum ſubmiſſionis & obedientiæ erga Deum Patrem elicuit, in quo ſanctificati ſumus: Ergo à primo inſtanti conceptionis mereri incœpit.

Reſpondetur 2. Chriſtum Dominum, toto vitæ ſuæ tempore, continuò & ſine vlla intermiſſione, omnibus actionibus ſuis meruiſſe.

Conſtat ex ſuprà relatis Chriſti verbis, quibus dixit ſe, quæ placita erant Patri ſuo, feciſſe ſemper. Deinde ex eo quòd Chriſtus Dominus potuit quouis tempore, tàm ſomni, quàm vigiliæ, mereri, per actus internos elicitos independenter à ſenſibus, ratione ſcientiæ infuſæ: ſi autem potuit; cùm eius charitas eſſet perfectiſſima, non eſt dubitandum quin fecerit. Vnde SS. Patres illum etiam ipſius infantiæ tempore meruiſſe aſſerunt, vt S. Ambr. lib.2. in S.Luc. *Me, inquit, illius infantiæ vagientis abluunt fletus, mea lacrymæ illæ delicta lauerunt.*

Reſpondetur 3. Chriſtum Dominum à momento ſuæ mortis mereri deſijſſe. Ita S.Thom. q.19.art.3. ad 1. vbi dicit, ex quo Chriſtus viator eſſe deſijt, illum non ampliùs fuiſſe in ſtatu merendi.

Ratio eſt, quia Chriſtus per paſſionem in cruce, merita ſua omnia conſummauit, vt ipſemet teſtatus eſt: cùm, antequam vltimum ſpiritum emitteret, dixit: *Conſummatum eſt.*

3 Obijcies 1. fruſtrà fieri per plura, quod poteſt per pauciora: Atqui

Chriſtus per vnicam actionem potuit nobis peccatorum remiſſionem & ſalutem promereri: Ergo fruſtrà videntur tot eius merita fuiſſe multiplicata.

Reſpondetur veriſſimum eſſe, vnicam Chriſti actionem ad vniuerſum genus humanum redimendum fuiſſe ſufficientiſſimam, cùm fuerit infiniti valoris ac meriti: illum tamen non fruſtrà pro nobis tot & tanta facere ac pati voluiſſe; tum vt exceſſum infinitum ſuæ erga nos charitatis oſtenderet; tum vt magis ac magis Patrem ſuum meritis ſuis glorificaret, tum vt præceptum ſibi à Patre de redimendis hominibus impoſitum quam perfectiſſimè adimpleret.

4 Obſeruandum tamen eſt, quod, quamuis Chriſtus quacumque actione ſua nobis verè ac de facto meruerit omnia & ſingula gratiæ & gloriæ dona; nihilominus non meruiſſe niſi reſpectiuè ad mortem crucis, ita vt ſingula eius merita per mortem compleri & conſummari deberent: non ſanè quòd aliter fieri non poſſet, cum vel minima Chriſti actio, propter infinitam diuini ſuppoſiti dignitatem, per ſe ad redimendos mille mundos pluſquam ſufficeret: ſed quia ab æterno definitum fuerat, vt redemptio noſtra non aliter compleretur, quàm per Chriſti mortem ac paſſionem. Vnde Iſaias capite 53. de illo prædixerat: *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum.* Et ipſe Chriſtus ſæpè in Euangelio de paſſione ſua, tanquàm de re prædefinita diuinitus ad generis humani redemptionem locutus eſt; vt Marc. 8. *cæpit docere eos, quoniam oportet filium hominis pati multa & occidi*. Et S. Ioan. 12. de paſſione ac morte ſua loquens (vt explicat S. Auguſt. tract. 51. in S. Ioan.) *niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert.*

Obijcies 2. Chriſtum Dominum per vulnus illud, quod poſt mortem accepit, meruiſſe: cùm plures ſancti Patres doceant ex ipſius latere Sacramenta Eccleſiæ fluxiſſe.

Reſpondetur vulnus illud fuiſſe meritorium, non pro illo inſtanti, quo inflictum eſt, ſed ratione temporis præcedentis, quo Chriſtus adhuc viuens illud præuiderat, & vltrò ac ſponte acceptauerat, imò etiam Deo Patri pro noſtra ſalute obtulerat.

SECTIO IV.

Quid Chriſtus Dominus ſibi, & quid pro nobis meruerit.

1 DICENDVM 1. Chriſtum Dominum ſibi gloriam corporis, & nominis exaltationem promeruiſſe. Ita S. Thomas qu. 9. art. 3.

Conſtat

Conſtat ex Scriptura. S.Luc.24. *Oportebat Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam.* Phil.2. *Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, &c. propter quod & Deus exaltauit illum.* In quem locum S. Chryſoſt. *Extremam*, inquit, *Chriſtus præſtitit obedientiam, & propterea accepit ſupremum honorem.* Et S. Auguſt. tract. 10. in S Ioan. *Humilitas claritatis eſt meritum; & claritas humilitatis eſt præmium.*

Dicendum 2. Chriſtum Dominum, nec gratiam, nec viſionem beatificam, nec vnionem hypoſtaticam ſibi meruiſſe. Ita S. Thom. loco citato.

Quod probat ex eo quòd meritum non ſit, niſi eius, quod nondum habetur: vnde, ſi Chriſtus iſta meruiſſet, ſequeretur quod aliquando ijs caruiſſet; quod tamen falſum eſt, vt ex antedictis conſtat.

Dicendùm 3. Chriſtum nobis meruiſſe ſalutem æternam, per media conuenientia conſequendam; & omnia illa media quæ ad illam conſequendam aut neceſſaria ſunt, aut vtilia.

Probatur vniuerſim ex his Apoſtoli verbis ad Epheſ. 1. vbi dicit quòd *Deus benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus, in Chriſto.*

In particulari autem Chriſtum nobis meruiſſe vitam æternam, conſtat Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Et S.Ioan.3. dicitur, Deum dediſſe Filium ſuum: *vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.*

2 Quod autem ſpectat ad media, cùm illa plura & diuerſa ſint, ex ordine per ſingula diſcurremus.

In primis Chriſtus nobis meruit gratias omnes actuales, quæ peccatorum remiſſionem antecedunt, & per quas ad illam diſponimur, vt conſtat ex Concilio Trident. ſeſſ. 6. c. 5. vbi declarat, *Iuſtificationis exordium in adultis à Dei per Ieſum Chriſtum gratia ſumendum eſſe: hoc eſt ab eius vocatione, qua, nullis eorum exiſtentibus meritis, vocantur.*

Præterea Chriſtus meruit nobis remiſſionem omnium & quorumcumque peccatorum, tam actualium, mortalium & venialium, quàm originalis. Hoc conſtat ex Scriptura: 1. S. Ioan. 1. *Sanguis Ieſu Chriſti emundat nos ab omni peccato.* Et ex Concil. Trident. ſuprà c. 7. vbi dicitur neminem iuſtificari poſſe, niſi per merita paſſionis Chriſti Domini. Vbi obſeruandum eſt (quod Concilium fusè explicat) Chriſtum Dominum eatenùs nobis remiſſionem peccatorum meruiſſe, quatenùs Sacramenta & alia media, quibus illam remiſſionem conſequimur, nobis promeritus eſt.

Eodem etiam ſenſu dicere debemus Chriſtum Dominum remiſſionem pœnarum omnium, noſtris peccatis debitarum, nobis promeruiſ-

meruiſſe, quatenùs nobis media omnia promeruit, per quæ pœnarum illarum indulgentiam ac remiſſionem accipimus, aut pro illis ſatiſfacimus. Vnde Concilium Trid. ſeſſ. 14. cap. 8. dicit, *Omnem noſtram ſufficientiam ad ſatisfaciendum, eſſe à Chriſto; nos in illo ſatisfacere, & facere fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent.*

3 Ipſam prætereà animæ ſanctitatem, quæ formaliter conſiſtit in gratia habituali nobis inhærente, ac eius quodcunque augmentum; vim etiam illam & virtutem merendi, quæ per illam gratiam operibus noſtris ineſt, dona item Spiritus ſancti, virtutes infuſas, & omnia alia quæcunque gratiarum genera, & diuinæ largitatis munera tam interna, quàm externa quæ ad æternam ſalutem conducunt; finalem denique perſeuerantiam, Chriſti Domini meritis aſcribere debemus. Hoc conſtat ex Scriptura, Rom. 8. vbi dicitur, Deum nobis omnia in Chriſto donaſſe. Huc etiam pertinet id, quod Chriſtus dixit S. Ioan. 15. *Ego ſum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum; quia ſine me nihil poteſtis facere.* Quæ verba expendens Concilium Trident. ſeſſ. 6. cap. 16. dicit, *Chriſtum Dominum, tanquam caput in membra, & tanquam vitem in palmites, in ipſos iuſtificatos iugiter virtutem influere, quæ virtus bona illorum opera ſemper antecedit: & comitatur, & ſubſequitur.*

Denique Chriſtus Dominus ipſam nobis prædeſtinationem promeruit, vt conſtat ex eo quod dicit Apoſtolus Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti.* & eodem capite: *Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum.* Et certè, cùm Chriſtus prædeſtinatis meruerit omnia dona ſupernaturalia à prima vocationis gratia vſque ad vltimam gloriæ conſummationem, vt ſuprà dictum eſt; Deuſque dona illa omnia, nonniſi intuitu meritorum ipſius Chriſti, ab æterno illis præparauerit: ex conſequenti dici debet prædeſtinationem ipſam ex eius meritis eſſe; cùm iuxta S. Auguſtinum lib de bono perſ. 1. c. 14. prædeſtinatio nihil ſit aliud, quàm *Præſcientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur.*

4 Quæres an Chriſtus etiam Angelis gratiæ ac gloriæ dona promeritus ſit?

Reſpondetur affirmatiuè: Quamuis enim id aliqui Doctores negent; probabilius tamen eſt, quòd meritorum Chriſti virtus & efficacia etiam ad beatos illos ſpiritus ſe extendat. Et hoc conſtare videtur ex Apoſtolo ad Epheſ. 1 vbi dicit, Chriſtum Dominum eſſe caput ſuprà omnem Principatum & Poteſtatem, & Virtutem, & Dominationem, & adimplere omnia in omnibus: vnde ſequitur omnes gratias & omnia dona ſupernaturalia ab ipſo, tanquam à capite,

non

non ſolùm in vniuerſam hominum Eccleſiam, ſed etiam in omnes beatorum illorum ſpirituũ Hierarchias deriuari. Accedit authoritas S. Bernardi ſer. 22. in cant. vbi dicit, quòd ille (Chriſtus ſcilicet) qui hominem lapſum erexit, Angelo ſtanti, ne laberetur, dedit; ſic illum ex captiuitate eruens, ſicut hunc à captiuitate defendens: & hac ratione fuit vtrique redemptor, ſoluens illum, & ſeruans illum.

SECTIO V.

An, & qua ratione Christi merita omnibus hominibus applicentur.

1 NOTANDVM eſt 1. meritum Chriſti & eius applicationem diſtingui inter ſe, vt rectè obſeruat Iſambertus ad q. 1. diſp. 6. ar. vlt. ſicut pretium depoſitum eſt ad emendam domum ſufficiens, & eius emptio ſeu illius pretij ſolutio. Meritum enim Chriſti ſe habet, vt pretium ſufficiens ad homines redimendos; applicatio verò, vt illius pretij ſolutio.

Notandum 2. applicationem meritorum Chriſti duplici modo poſſe conſiderari, actiuè ſcilicet, & paſſiuè, ſeu provt ſe tenet ex parte ipſius Chriſti; in quantum ipſe, per aliquos actus ſuæ voluntatis, merita ſua ordinauit & applicauit ad ſalutem hominum procurandam, vel provt ſe tenet ex parte ipſorum hominum, quatenùs merita Chriſti de facto ipſis communicantur & eorum effectus ab ipſis reipſa percipiuntur. His prænotatis pro quæſtionis propoſitæ reſolutione.

Dicendum 1. Chriſti Domini merita, non tantùm ex ſe ſufficientia & condigna fuiſſe ad totius generis humani redemptionem, ſed ab ipſo ad hunc finem fuiſſe Deo Patri oblata: ſicque Chriſtum Dominum verè pro omnibus hominibus redimendis mortuum eſſe, ac verè ipſis, quantùm ex ſe fuit, merita paſſionis ac mortis ſuæ applicaſſe.

Probatur 1. ex Scriptura 1. ad Timoth. 2. *Vnus mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus.* Et cap. 4. *Speramus in Deum viuum, qui eſt ſaluator omnium hominum, maximè fidelium.* 2. Cor. 5. *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt.* Epheſ. 5. *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis, oblationem & hoſtiam Deo.* 1. Ioan. 2. *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris tantùm, ſed etiam pro totius mundi.*

Probatur 2. ex Concilio Arelatenſi, in quo approbata eſt Epiſtola Fauſti adhuc nomen catholicum profitentis, vbi anathema

profertur in eum, qui dixerit quòd Chriſtus non ſit mortuus pro omnibus. Et ex Conc. Trident. ſeſſ. 6. cap. 3. vbi Concilium expreſſis verbis dicit, Chriſtum Dominum pro omnibus mortuum quàmuis non omnes beneficium mortis eius accipiant.

2 Probatur 3. ex SS. Patribus, qui idipsũ vnanimi conſenſu aſſerunt, S. Baſil. in Pſ. 48. *Inuentum eſt vnum pro omnibus ſimul hominibus dignum pretium, nempè Sanctus, & omni pretio ſuperior pretioſus ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti, quem pro nobis omnibus effudit.* S. Greg. Naz. orat. 2. in Paſcha, vocat Chriſti Domini paſſionem & mortem, *Non exiguæ cuiuſdam partis orbis terrarum, ſed totius mundi expiationem nunquam inter morituram.* S. Chryſ. hom. 7. in 1. Epiſt. ad Timoth. explicans hæc Apoſtoli verba ſuprà citata (*qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus:*) *Quid ergo*, inquit, *& pro gentilibus? ita; Chriſtus etiam pro gentilibus mortuus eſt. Et quo pacto, inquies? illi non crediderunt, quia noluerunt; quod erat partiũ ipſius impletum eſt.* S. Cyrill. lib. 4. in S. Ioan. explicans illa Chriſti verba (*panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita:*) *Crucifixus eſt*, inquit, *Chriſtus pro omnibus & propter omnes, vt vno pro omnibus mortuo, omnes in ipſo viuamus.* S. Amb. in Pſalm. 118. explicans hunc verſiculum (*Miſericordia Domini plena eſt terra: Sol*, inquit, *iuſtitiæ omnibus ortus eſt, omnibus venit; omnibus paſſus eſt, omnibus reſurrexit: ſi quis autem non credit in Chriſtum, generali beneficio ipſe ſe fraudat; vt ſi quis clauſis feneſtris radios ſolis excludat; non enim ideò ſol non eſt ortus omnibus, quia calore eius ſe fraudauit.* S. Hier. Ep. 38. ad Oceanum, *Mentitur*, inquit, *Ioannes Baptiſta digito Chriſtum & voce demonſtrans ac dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, ſi ſunt adhuc in ſæculo, quorum peccata Chriſtus non tulerit.* S Aug. in Pſ. 56. *Vendere ſe potuerunt homines, ſed redimere non potuerunt: venit Redemptor, & dedit pretium; fudit ſanguinem ſuum, & emit orbem terrarum. Quæritis quid emerit? videte quid dederit; & inuenietis quid emerit. Sanguis Chriſti pretium eſt: tanti quid valet? quid niſi totus orbis? quid, niſi omnes gentes?* S. Leo Papa ſer. 1 de Natiu. *Chriſtus, ſicut nullum à reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit.* S. Bern. in Pſ. (*Qui habitat*) *ſicut poſſunt omnia dicere Chriſto: Creator meus es tu: ſic poſſunt omnes homines eidem dicere; Redemptor meus es tu.* His addimus beatæ memoriæ Franciſcum Saleſium Geneuenſem Epiſcopum, in tractatu de amore diuino lib. 5. c. 5. vbi fusè eandem veritatem docet & probat.

Obſeruandum eſt autem, in ijs Scripturæ & SS. Patrum teſtimonijs duo præſertim dici. Primum eſt, Chriſtum Dominum ſemetipſum dediſſe, tradidiſſe, obtuliſſe, &c. quæ verba ſignificant actum voluntatis, quo Chriſtus Dominus, quantùm ex ipſo fuit, paſ-

ſionis ac mortis ſuæ merita applicauit. Secundum eſt hanc traditionem & oblationem, factam fuiſſe pro omnibus hominibus, pro peccatis totius mundi, quod nihil aliud ſignificat, quàm Chriſtum Dominum meritorum ſuorum valorem, quantùm in ipſo fuit, applicaſſe, non ſolùm prædeſtinatis, ſed generatim omnibus omninò hominibus, ſiue prædeſtinatis, ſiue reprobis, ſine vlla exceptione.

3 Probatur 4. hac ratione: pro ijs omnibus mortuus eſt Chriſtus, qui per Adami peccatum perierunt & mortui ſunt. Atqui omnes homines per Adami peccatum mortui ſunt: ergo pro omnibus hominibus mortuus eſt Chriſtus. Minor certa eſt, maior probatur ex eo quod dicit Apoſtolus 2. Cor. 5. *Si vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt.* Vbi infert omnes per Adæ peccatum mortuos eſſe, ac perijſſe, quia Chriſtus pro omnibus mortuus eſt. Quo etiam argumento vtitur S. Aug. lib. 6. contra Iulianum, c. 11. vbi probat omnes etiam paruulos per peccatum originale mortuos eſſe, ex eo quòd Chriſtus pro omnibus mortuus eſt. Quod argumentum nullum foret, ſi exiſterent, pro quibus Chriſtus mortuus non eſſet.

Neque dicas S. Auguſtinum & alios ſanctos Patres, eatenùs ſolùm velle Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe, quatenùs mortis ac paſſionis eius meritum ad omnes redimendos ſufficiens fuit.

Reſpondetur 1. quòd manifeſtè patet hanc explicationem nullo modo congruere cum verbis ſanctorum Patrum ſupra relatis.

Reſpondetur 2. quod ſi hoc eſſet, inde conſequens foret; quod etiam pro dæmonibus Chriſtus mortuus eſſet; quodque dæmonum, æquè ac hominum, ſaluator dici poſſet & deberet; cùm ad dæmones ſaluandos meritum eius ſufficiens fuerit: quod non ſolùm à mente S. Auguſtini & aliorum SS. Patrum, ſed etiam a veritate catholica prorsùs alienum eſt.

4 Dicendum 2. quamuis Chriſtus verè pro omnibus mortuus ſit, mortiſq; ac paſſionis ſuæ merita Deo Patri pro omnibus hominibus obtulerit; non omnes tamen meritorum eius fructum ac mortis beneficium recipere. Ita Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 3.

Certum eſt enim, e. g. plurimos Iudæorum olim fuiſſe, qui & exterius per Euangelij prędicationem, & interiùs per gratiæ motionem ad veritatem amplectendam excitati, illam repulerunt, de quibus conqueritur Deus, vt Apoſtolus teſtatur Rom. 10. his verbis, per Iſaiam Prophetam capite 65. olim prænunciatis. *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem:* quibus item exprobrabat Apoſtolus Act. 13. *Vobis oportebat primùm loqui Verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud, &c.* Certum eſt etiam plurimos homines gratiam Dei (vt ait Apoſtolus 2. Cor. 6.) in

vacuum

vacuum recipere: id eſt varijs inſpirationibus & motionibus Spiritus ſancti præueniri & excitari, quibus tamen conſentire nolunt, vt ſupponimus ex tractatu de Gratia. Atqui Chriſtus mortis & paſſionis ſuæ merita Deo Patri pro illis omnibus obtulit, & ex virtute illius oblationis proceſſerunt haud dubiè gratiæ illæ, quibus præuenti & excitati ſunt; cum nulla gratia, niſi ex meritis Chriſti hominibus conferatur. Quia tamen illas ex voluntatis prauitate abiecerunt; ideo nullus ad eos ex Chriſti morte fructus deriuatus eſt; non defectu applicationis ex parte ipſius Chriſti; ſed defectu conſenſus & cooperationis ex parte illorum.

Dices, inde ſequi Chriſti Domini voluntatem humanam, non fuiſſe ſemper diuinæ conformem; ſciebat enim, v.g. Iudæos à Deo Patre ob præuiſam eorum incredulitatem eſſe reprobatos; & tamen ad promerendam illis gratiam & gloriam merita mortis ſuæ applicauit.

Reſpondetur Chriſti Domini voluntatem fuiſſe ſemper diuinæ Patris voluntati perfectiſſimè conformem; nec in applicatione meritorum ſuorum vllatenùs ab illa receſſiſſe.

Quod vt melius intelligatur, varios actus in Chriſti Domini voluntate diſtinguere poſſumus.

Primus eſt, illum voluntate quadam generali & antecedente voluiſſe, vt omnes homines, qui per peccatum Adæ perierant, per media quædam conuenientia ſalutem æternam conſequerentur, ſicut & ſciebat Deum Patrem eo modo velle *omnes homines ſaluos fieri & ad agnitionem veritatis venire*. vt habetur 1. Tim. 2.

Secundus eſt, illum voluiſſe pro omnibus mori, ac mortis & paſſionis ſuæ merita Deo Patri offerre, vt omnibus media illa ad ſalutem conſequendam neceſſaria, & gratias ad id ſufficientes obtineret, ſicut & Patrem etiam velle ſciebat.

Tertius denique, cùm prænidiſſet, quod aliqui gratias illas oblatas abijcerent, alij verò eas acceptarent, iiſque conſenſum præberent: tùm illos in peccato ſuo iuſtiſſimè dereliquiſſe, vt ipſemet declarauit. S. Ioan. 8. *Ego vado: & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini*. Illis autem iuſtificationem: &, ſi in accepta iuſtitia fideles eſſent, finalem in ea perſeuerantiam, ac demùm æternam ſalutem voluiſſe; & ad id obtinendum, paſſionis ac mortis ſuæ merita efficaciter applicaſſe, & Deo Patri obtuliſſe: quod & voluntati eius conforme eſſe certò ſciebat. Et ſic in omnibus perfectam cum illa conformitatem ſemper ſeruaſſe.

Dicendum 3 Chriſtum Dominum non tantùm in generali omnibus hominibus, ſed etiam in particulari cuilibet illorum merita ſua applicaſſe; vt ſpecialia gratiæ dona ſecundùm cuiuſque ſtatum & exigentiam obtineret.

Con-

Conſtat tùm ex illis Chriſti verbis S.Matt.18.*Nō eſt voluntas ante Patrem veſtrum, vt pereat vnus ex his puſillis*, tùm ex parabola boni paſtoris, ouem erranteni requirentis, & inuentam in humeros reportantis: & etiam ex eo quod dicit S.Ioan.11. bonum paſtorem vocare oues nominatim. Conſtat etiam ex illis Apoſtoli verbis Epheſ.4. *Vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti.* Ex quibus colligitur, omnes & ſingulas gratias, quæ vnicuiq; conferuntur, ab illa ſpeciali applicatione meritorum Chriſti prouenire. Quod & docuit, cum maximo pietatis ſenſu explicauit præfatus Epiſcopus Geuenenſis introductionis ſuæ parte 5. c. 13. Adeò vt, ſicut olim ſummus Sacerdos ſuper pectus in rationali ſuo filiorum Iſrael nomina deſcripta gerebat: ita Chriſtus Dominus (vt veritas figuræ reſponderet) omnes homines verè in corde ſuo habuerit, & ſic omnibus & ſingulis meritorum ſuorum fructus diſtribuerit.

Dicendum 4. & vltimò, merita Chriſti Domini non æqualiter omnibus ab ipſo fuiſſe applicata.

Conſtat manifeſtè ex Scriptura.S.Matt.25. *Vni dedit quinque talenta, alij duo, alij vnum* Et 1.Cor.7.*Vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo, vnus quidem ſic, alius verò ſic.* Hæc autem diuerſitas & inæqualitas gratiarum ab ipſius Chriſti voluntate procedit, qui diuidit ſingulis provt vult. In qua gratiarum diuiſione tamen nihil aliud facit, quàm quod diuinæ Patris voluntati gratum & acceptum eſſe cognoſcit.

Supereſt adhuc vna difficultas, nimirum, quomodo fieri potuerunt vt omnia gratiæ beneficia, antiquis Patribus collata, ex meritorum ipſius Chriſti aplicatione proceſſerint, cùm nulla tunc adhuc eſſent Chriſti merita.

Reſpondetur gratias illas antiquis Patribus à Deo collatas fuiſſe propter Chriſti merita, non quidem adhuc exiſtentia, ſed futura, & intuitu applicationis per ipſum Chriſtum faciendæ. Nihil enim repugnat, vt aliqua res nondum exiſtens, ſed tantùm futura, ſit cauſa motiua, & excitans ad aliquid faciendum. Quamuis etiam dici poſſit, merita illa Chriſti Domini, ſicut & alia omnia quæcunque futura, fuiſſe tunc æternitati Dei præſentia; ac proinde Deum intuitu illorum æquè operari potuiſſe in diſtributione donorum ſuorum: ac ſi iam de facto extitiſſent.

Quæres quomodò intelligi poſſit, Chriſtum merita paſſionis ſuæ obtuliſſe pro ſalute illorum qui ante eius aduentum non ſolum mortui, ſed & ob peccata ſua in quibus deceſſerant, iam damnati erant. Reſpondetur, quatenùs intelligi Chriſtum merita paſſionis ſuę obtuliſſe pro illis, eatenùs approbauit, & veluti ratam habuit conceſſionem gratiarum ad ſalutem ſufficientiū, ipſis à Patre cœleſti factam, intuitu

intuitu futurorum meritorum ſuorum: quæ quidem eodem modo ipſis applicauit, quo à Patre ſuo iam applicata fuerant, quod non impediuit quin ſimul etiam ratam haberet illorum reprobationem, ob abuſum gratiarum, & finalem impœnitentiam.

SECTIO VI.

Quando Chriſtus Deum Patrem orauerit.

1 QVONIAM oratio genus quoddam actionis eſt ſummoperè meritoriæ, ideò locus hic poſtulare videtur, vt de Chriſti Domini oratione breuiter aliquid dicamus.

Certum eſt 1. Chriſtum Dominum, quatenùs hominem, dum in ſtatu viæ eſſet, verè orauiſſe.

Conſtat ex varijs Euangelij locis, S. Luc. 6. *Erat pernoctans in oratione Dei.* S. Marc. 1. *Diluculò valdè ſurgens, abijt in deſertum locum, ibique orabat.*

Quamuis autem Chriſtus oratione pro ſe non indiguerit, ſicut nos indigemus, maximè tamen conueniens fuit, vt oraret; tum quia actus orandi ex ſe eſt excellentiſſimus, cùm ſit actus religionis, tum etiam quia Chriſtus orando, ſubmiſſionis ac fiduciæ erga Deum nobis exemplum præbuit.

Certum eſt 2. Chriſtum Dominum, quatenus hominem, etiam nunc in ſtatu gloriæ Deum Patrem pro nobis orare; vel expreſsè, petendo à Deo, vt ea quæ nobis ſalutaria ſunt, conferat; vel ſaltem tacitè, humanitatem ſuam, tanquam hoſtiam olim in cruce oblatam, illi exhibendo, vt in eam Deus intuens, nobis benè faciat. Et de hac aſſertione ſic disiunctiuè poſita dubitari non debet.

Conſtat enim ex varijs Scripturæ locis, vt Ro. 8. *Chriſtus Dominus qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* 1. S. Io. 2. *Aduocatum habemus apud Patrem Chriſtum Ieſum iuſtum.*

An autem nunc tantum oret modo illo tacito, an verò etiam per expreſſam petitionem, non eſt ſatis compertum. Quidam enim negant Chriſtum nunc expreſsè aliquid pro nobis petere; vt Rupertus lib. 9. de diu. Officijs c. 3. & Alenſis p. 4. q. 91. memb. 1. Alij verò affirmant; vt S. Th. in Epiſt. ad Rom. 8. lect. 7. & ad Heb. c. 7. ſect. 4. & S. Bonauent. Opuſc. 39. c. 38. Et hæc ſententia propter illorum ſanctorum authoritatem videtur probabilior. Neque hinc ſequitur orationem illam Chriſti eſſe nunc meritoriam, cùm non ſit ampliùs in ſtatu merendi: nec etiam impetratoriam propriè loquendo, ſed ſolùm quatenùs nunc à Deo Patre pro nobis exigit, quod præteritis paſſionis ac mortis ſuæ meritis debetur, quodque iam per merita illa pro nobis impetrauit.

Porrò

Porrò rectè obſeruat S.Th.in ſuppl.3.p.q.72.ar.2. ad 3. Eccleſiam non ſolere, nec nos etiam debere abſolutè petere à Chriſto Domino, vt oret pro nobis, ſed tantùm, vt exaudiat nos, vel vt noſtri miſereatur. Ne ſcilicet Arrianis aut Neſtorianis aſſentiri videamur, qui ipſam Chriſti perſonam, ad quam dirigitur oratio, ſentiebant eſſe creatam, & diuina inferiorem.

2. Quæres an omnis Chriſti oratio fuerit ſemper exaudita.

Reſpondetur 1. orationem omnem Chriſti propriè dictam, quæ ex abſoluta & efficaci voluntate proficiſcebatur, fuiſſe ſemper exauditam. Ita S.Th.q.21.a.4. Ratio eſt, quia Chriſtus voluntate abſoluta nihil vnquam voluit aut orauit, niſi quod Deum Patrem abſolutè velle ſciebat.

Reſpondetur 2. quod, ſi quæſtio ſit de oratione impropriè dicta, per quam deſideria inferioris appetitus explicabat, certum eſt, non fuiſſe ſemper exauditam: cùm & ipſe Chriſtus voluntate abſoluta & efficaci eam exaudiri noluerit: qualis fuit illa Matt.26. *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte; verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Quamuis autem hæc oratio non fuerit exaudita, non fuit tamen inutilis, imò ſumma cum ratione Chriſtus Dominus illam exprimere voluit: tum vt per illam indicaret ſe eſſe verum hominem, qui inſtar aliorum naturaliter mortem exhorreſceret: tum etiam vt patientiæ ac ſubmiſſionis perfectæ erga diuinam voluntatem nobis præberet exemplum, vt docet S.Aug.Epiſt.121. ad Probam, capite 14.

CAPVT VII.

De vitæ ac mortis Chriſti Domini myſterijs.

QVAMVIS ea, quæ pertinent ad myſteria vitæ, ac mortis Chriſti Domini, ex antè dictis ſatis intelligi poſſint: cùm omnia, quę de myſterio Incarnationis dicuntur: non alio fine dicantur, niſi vt quæ Chriſtus Dominus in aſſumpta carne geſſit, aut paſſus eſt, rectè & ſanè intelligantur. Quia tamen præter illa, quæ dicta ſunt, quædam adhuc occurrere poſſunt, in quibus aliqua luce opus eſt, vt quæ certa ſunt ab incertis, aut etiam falſis & erroneis diſcernantur; ideò breuiter in hoc capite myſteria illa tranſcurremus, eaque adnotabimus, quæ ad finem nobis propoſitum neceſſaria videbuntur. Quod vt faciliùs exequamur

rationalis. Vnde S. Thom. cit. q 53. art. docet contra fidem eſſe, ſi quis dicat, quod caro Chriſti fuit priùs concepta, & poſtmodum à Verbo aſſumpta.

* Obſeruandum 3. ex eodem S. Doctore q. 34. art. 2. & 3 Chriſtum à primo inſtanti conceptionis perfectum rationis ac liberi arbitrij vſum habuiſſe, actuſq; virtutum ſanctiſſimos ac perfectiſſimos iam tum exercuiſſe, & proinde per illos iam ab illo primo inſtanti mereri incæpiſſe, vt iam alio in loco dictum eſt.

Quod autem ad Chriſti natiuitatem attinet,

Notandum eſt 1. Chriſtum Dominum ex ſanctiſſima Virgine Matre Maria ita eſſe natum, vt neque conceptione ſua, neque natiuitate, vllum eius Virginitati perpetuæ intulerit detrimentum; ita vt ante partum, & in partu, & poſt partum inuiolata & illibata ſemper Virgo permanſerit.

3 Huic veritati quæ de fide eſt, oppoſitus olim fuit error Heluidij hæretici, qui (vt refert S. Aug. lib. de hær. cap. 84.) ore blaſphemo aſſerere auſus eſt, ſanctiſſimam Virginem poſt partum fuiſſe corruptam, quod antè illum docuerat Iouinianus eodem Sancto Aug. teſte cap 82.

Refellitur hic error, & noſtræ fidei veritas probatur 1. ex Scriptura. Iſai. 7. *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Quem locum, pro aſſerenda Matris Dei Virginitate communiter SS. Patres vrgent, ac præ cæteris S. Baſilius orat. in ſanctam Chriſti natiuitatem, ſanctus Hieronymus in illum Prophetæ locum.

Probatur 2. ex Symbolo Apoſtolorum, vbi Chriſtus dicitur conceptus de Spiritu ſancto, natus ex Maria Virgine; cuius Symboli Apoſtolici authoritate perpetuam beatæ Mariæ virginitatem aſtruit Sanct. Ambr. Epiſt. 81. ad Siricium.

Probatur 3. ex S. Leone Papa ſer. 2. de Natiuit. Dom. *Humanо,* inquit, *vſu & conſuetudine, quod credimus caret, ſed diuina poteſtate ſubnixum eſt, quòd Virgo conceperit, Virgo pepererit, & Virgo permanſerit,* Et S. Aug. Epiſt. 3. ad Voluſianum: *Ipſa virtus diuina per inuiolata Matris virginea viſcera, membra infantis eduxit; qua poſteà per clauſa oſtia membra iuuenis introduxit.*

Notandum eſt 2. ſanctiſſimam Virginem omnis prorsùs doloris in partu expertem fuiſſe.

Ita Patres 6. Synodi generalis c. 79. *Abſque vllo dolore, Virginis partum eſſe confitemur.* Et S. Aug. ſerm. de Aſſumpt. B Virginis: *Illa enim* inquit, *qua ſine peccati corruptione, & ſine virilis admixtionis detrimento Chriſtum ſuſcepit, ſine dolore peperit.* S. Hier. deniq; lib. cont. Heluidium c. 4. id probat, ex eo quòd in Euangelio dicitur, Beatam Virginem puerum Ieſum recens natum ſuis manibus

S pan-

pannis inuoluiſſe, & in præſepio reclinaſſe, nec vlla obſtetrice opus habuiſſe.

* Notandum 3. ex S. Doctore q. 35. ar. 7. & 8. inter alia plurima diſcrimina, quæ inter natiuitatem Chriſti & aliorum infantium reperiuntur, illud conſideratione dignum eſſe, quod alij infantes naſcuntur ſubiecti neceſſitati temporis: Chriſtus verò tanquam Dominus & conditor omnium temporum, elegit ſibi tempus in quo naſceretur, & nec citiùs, nec tardiùs vel vnico momento natus eſt quàm ipſe naſci voluit. Vnde Apoſtolus vocat tempus natiuitatis Chriſti *plenitudinem temporis* ad Galat. 4. nec ſolummodo tempus, ſed & locum natiuitatis ſuæ Chriſtus ſibi delegit, ciuitatem ſcilicet Bethleem; tum vt Prophetiæ quæ de ipſo erant, implerentur; tum vt agnoſceretur eſſe de domo & familia Dauid, qui ex Bethleem ortus erat, & inde ad regni Iudaici ſolium aſſumptus, & cui promiſſum fuerat, quod ex eius ſtirpe Chriſtus naſceretur; vt ex ipſo loco natiuitatis Chriſti promiſſio ei facta impleta oſtenderetur.

SECTIO II.

* *De Circumciſione & impoſitione nominis Ieſu.*

DOCET S. Thomas 3. p. q. 37. a. 1. pluribus de cauſis Chriſtum debuiſſe circumcidi, vt carnis humanæ, quam aſſumpſerat, veritatem oſtenderet contra Manichæum, qui eum dixit habuiſſe corpus phantaſticum: & contra Apollinarium, qui dixit corpus Chriſti eſſe diuinitati conſubſtantiale: & contra Valentinum, qui dixit Chriſtum de cœlo corpus attuliſſe. 2. vt ritum Circumciſionis olim à Deo inſtitutum ſe approbare demonſtraret. 3. vt teſtaretur ſe eſſe filium Abrahæ, qui circumciſionis mandatum in ſignum fidei acceperat. 4. vt tolleret Iudæis omnem excuſationem & prætextum, quo vti potuiſſent ad eum non recipiendum ſi fuiſſet incircumciſus. 5. vt obedientiæ virtutem ſuo nobis commendaret exemplo. 6. vt quia in ſimilitudinem carnis peccati aduenerat, remedium, quo caro peccati mundari conſueuerat, non reſpueret. Septimò denique vt legis onus in ſe ſuſtinens alios à legis onere liberaret: iuxta illud Apoſtoli ad Galat. 4. *Miſit Deus filium ſuum factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, redimeret.*

Quod ſpectat ad impoſitionem nominis Ieſu, obſeruat Sanctus Doctor ſup. a. 2. ad 3. conſuetum fuiſſe apud Iudæos ipſo circumciſionis die imponere nomina pueris, quaſi antequam circumciſionem acciperent, perfectum eſſe habere non cenſerentur, & ideò Chriſtus Dominus, vt per omnia, quantum eius infinita ſanctitas fieri permittebat, alijs aſſimilaretur, nomen Ieſu in circumciſione accepit.

Di-

Dignitas verò & excellentia illius nominis ex duobus præſertim capitibus deſumitur. 1. ex illius authore qui non alius fuit quam ipſe Deus, cuius ſpeciali mandato Angelus Gabriel tum ſanctiſſimæ Virgini Mariæ etiam antequam ex Spiritu ſancto in eius vtero conciperetur: tum etiam S. Ioſepho eius ſponſo, antequam diuinus ille infans naſceretur, ſignificauit illum vocandum eſſe Ieſum. Et in eo impletum fuit quòd à Propheta fuerat longe ante prædictum. Iſai. 62. *Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit.*

2 Eiuſdem nominis dignitas & excellentia deſumitur ex illius ſignificatione, vt enim rectè obſeruat S. Doctor ſup. a. 2. nomina debent proprietatibus rerum reſpondere, vnde & communiter nomina imponi ſolebant pueris apud Iudæos ab aliqua proprietate ſeu qualitate aut diſpoſitione illius cui nomen imponebatur, quod varijs exemplis ex Scriptura confirmat. Quia igitur excellentiſſima hæc proprietas, ſeu potius dignitas Chriſto Domino ſingulariter competebat, vt ſalutem humano generi tribueret, ipſique hoc munus gratiæ prorſus ſingularis collatum erat, vt per ipſum omnes homines quantum ex ipſo erat, ſaluarentur, ideo conuenienter vocatum eſt nomen eius (*Ieſus*) id eſt (Saluator.)

Porrò Ieſus dictus eſt Chriſtus, id eſt (vnctus) quia ſcilicet non modò omni gratiarum genere, ſed & ipſamet diuinitate vnctus eſt, & veluti conſecratus, vtpote qui futurus erat Sacerdos æternus ſecundùm ordinem Melchiſedec, & Rex ſuper Sion montem ſanctum, cuius regnum nuſquam deſiturum eſſet.

Appoſitè ad vtrumque nomen S. Auguſtinus tract. 1. in Epiſt. 1. Ioan. *Aliam* (inquit) *ſignificationem habet* (*Ieſus*) *aliam habet* (*Chriſtus*) *cum ſit vnus Ieſus Chriſtus Saluator noſter:* (*Ieſus*) *tamen proprium eſt nomen illi quomodo Moyſes proprio nomine appellatus eſt, quomodo Elias, quomodo Abraham, ſic tanquam proprium nomen habet Dominus noſter* (*Ieſus*) *Chriſtus autem Sacramenti nomen eſt, quomodo ſi dicatur Propheta, quomodo ſi dicatur Sacerdos: ſic Chriſtus cōmendetur vnus in quo eſſet redemptio totius populi Iſrael.*

SECTIO III.

De progreſſu vitæ Chriſti Domini in hoc mundo.

1 TRia hìc præſertim occurrunt obſeruanda.

Obſeruandum eſt 1. conueniens fuiſſe vt Chriſtus Dominus a S. Ioanne baptizaretur, tùm vt ſuo baptiſmare mundaret ac ſanctificaret aquas, vimque regenerandi illis conferret, vt docet S. Ambr. lib. 2. in S. Lucam: tùm etiam vt inſigne humilitatis exem-

plum nobis exhiberet, & priùs ipſe exequeretur id, ad quod alios adhortari volebat, vt idem S. Amb. declarat loc. cit. & S. Auguſt. ſer. 63. de verbis Dom.

Eſt autem hìc obiter notandum, baptiſmum illum quem S. Ioannes conferebat, non fuiſſe ſacramentum, nec habuiſſe vllam vim ex opere operato: ſed fuiſſe quendam ritum externum, diuinitus ipſi S. Ioanni inſpiratum, quo homines excitabantur ad pœnitentiam agendam de peccatis (vnde appellatur *baptiſmus pœnitentiæ*, S. Luc. 3. & Act. 13.) & ſic diſponebantur ad gratiam per baptiſmum Chriſti recipiendam. Ita S. Th. q. 38. art. 2.

Obſeruandum eſt 2. conueniens quoque fuiſſe Chriſtum Dominum à dæmone tentari ob varias rationes, quas S. Doctor explicat q. 41. art. 1.

Vbi tamen notandum eſt hanc Chriſti Domini tentationem fuiſſe tantùm exterius factam, apparente ſcilicet ei dæmone ſub ſpecie aliqua humana, vt probabiliſſimè conijci poteſt, & externa voce illum alloquente: non verò per internam ſuggeſtionem. Quia, cum omnes motus animæ Chriſti eſſent perfectè rationi ſubiecti, nulla illicita cogitatio, nullus illicitus affectus à dæmone poterat in eo excitari. Ita docet S. Greg. ho. 6. in Euang. & Sanctus Damaſc. lib. 3. capite 20.

Obſeruandum eſt 3. conueniens etiam fuiſſe, vt Chriſtus Dominus doctrinam ſuam varijs miraculis confirmaret, ob eas rationes, quas explicat S. Doctor q. 43 a. 3. Porrò circa hæc Chriſti miracula, tres præſertim difficultates hìc ſoluendæ occurrunt.

Prima eſt, an Chriſtus Dominus, non ſolùm vt Deus, ſed etiam vt homo, poteſtatem habuerit faciendi miracula.

Reſpondetur affirmatiuè. Quod probatur ex eo quòd in Euangelijs paſſim Chriſtus Dominus multas curationes miraculoſas ſolo tactu perfecerit: & S. Luc. c. 6. dicitur quod *Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.* Vnde S. Cyrill. lib. de recta fide ad reginas titulo (quod Chriſtus ſit vita) dicit, Chriſti corpus fuiſſe viuificum, id eſt, vitam alijs tribuens. Et S. Damaſc. lib. 3. de fide cap. 5. dicit, *Idem corpus fuiſſe inſtrumentum ac veluti organum diuinitatis, ad operationes diuinas efficiendas.* Et S. Hilar. can. 9. in S. Matth. *Poteſtas*, inquit, *intra corpus Chriſti manens rebus ipſis caducis efficientiam addebat ſanitatis.* Ex quibus, & alijs ſimilibus SS. Patrum dictis, ſequitur, probabiliſſimum eſſe quod plures Theologi docent, Chriſti humanitatem fuiſſe illorum miraculorum cauſam inſtrumentalem, non tantùm moralem, ſed etiam phyſicam & effectiuam; id eſt, Chriſtum Dominum, quatenùs hominem, non ſolùm orando, & per modum cauſæ moralis & meritoriæ; ſed etiam phyſice ſimul cum diuina virtute miracula illa eſſe

opera-

operatum. Quod confirmari poteſt ex eo quòd Chriſtus Dominus plurima ex illis miraculis fecit, non deprecando, ſed imperando: vt S. Matth. 8. vbi dicitur quod *imperauit ventis & mari; & facta eſt trãquillitas magna.* Et S. Luc. 4. vbi de ſocru Simonis febricitante dicitur, quod *ſtans ſuper illam, imperauit febri, & dimiſit illam.*

3 Secunda difficultas eſt, an miracula, quæ Chriſtus fecit, fuerint ad eius diuinitatem probandam ſufficientia.

Reſpondet S. Doctor q. 43. a. 4. affirmatiuè; idque probat 1. ex eo quòd illa miracula tranſcendebant omnem creatæ virtutis poteſtatem; ideòque nonniſi diuina virtute fieri poterant, & propterea cæcus illuminatus rectè dicebat S. Ioan. 9. *A ſæculo non eſt auditum, quod aperuerit quis oculos cæci nati.* Probat 2. ex modo, quo faciebat miracula: Non enim (vt dictum eſt) orando, vt cæteri Prophetæ & ſancti; ſed imperando, & tanquam poteſtatem habens, illa perficiebat; vnde colligi poterat illum cum Deo Patre æqualem habere virtutem. Probat 3. ex ipſa eius doctrina, qua ſe Deum dicebat, quæ, ſi vera non fuiſſet, miraculis diuina virtute factis, confirmata non fuiſſet.

Tertia difficultas eſt, an per illa miracula dæmones Chriſti diuinitatem certò cognoſcere potuerint.

4 Reſpondetur quod (ſicut rectè dicit S. Aug. lib. 9. de Ciu. c. 21.) Chriſtus Dominus tantùm innotuit dæmonibus, quantum voluit, tantum autem voluit, quantum oportuit. Quare, cùm ex vna parte non eſſet expediens, vt dæmones Chriſti diuinitatem apertè cognoſcerent; ex altera verò requireretur, vt aliquid de illa ſuſpicarentur: ideò ſpeciali quadam Dei prouidentia factum eſt, vt dæmones ſimul aliquo pacto cognoſcerent, & etiam dubitarent. Ita S. Th. q. 45. a. 1. ad 2. vbi etiam id confirmat authoritate S. Ambroſij, S. Chryſoſtomi, & aliorum Patrum.

Quamuis autem Dæmones Chriſti diuinitatem, quandiù mortalis inter homines vixit, certò cognoſcere non potuerunt; eſt tamen verum, ipſis illam poſt eius mortem certò innotuiſſe, illoſq; vel inuitos Chriſtum Dominum eſſe verum & naturalem Dei Filium credidiſſe: vnde dixit S. Iacobus in Ep. canon. cap. 2. *Dæmones credunt, & contremiſcunt.* Et S. Paulus ad Philipp. 2. *vt in nomine Ieſu omne genuflectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Et ratio eſt, quia tunc euidentiſſima ſigna diuinitatis ipſius experti ſunt, cùm viderunt eum ad inferos deſcendentem, & inde ſumma cum poteſtate iuſtorum animas eripientem.

SECTIO IV.

De egreſſu Chriſti Domini ex hoc mundô.

1 CIRCA egreſſum Chriſti, tria quæri poſſunt.

Quæres 1. quid nobis Chriſti paſſio & mors contulerit, & qua ratione nobis proficua fuerit.

Reſqondet S. Doctor q. 48. quinque præſertim modis paſſionem ac mortem Chriſti ad ſalutem noſtram contuliſſe, nobiſque proficuam fuiſſe.

Primò, per modum meriti: quia Chriſtus quatenus caput omnium hominum, per illam nobis, vt membris ſuis de condigno meruit ipſam æternam ſalutem, & omnia etiam media ad illam conſequendam aut neceſſaria, aut vtilia, vt ſupra dictum eſt.

5 Secundò, per modum ſatisfactionis pro totius mundi peccatis: quæ quidem ſatisfactio à Chriſto Domino in paſſione ac morte Deo Patri, pro nobis exhibita, non ſolùm ſufficiens, ſed & ſuperabundans fuit, non tantùm propter dignitatem perſonæ ſatisfacientis aut rei oblatæ, vt c. 1. diximus, ſed præterea propter nimiam charitatem ex qua patiebatur, & atrocitatem tormentorum quæ patiebatur: vt enim obſeruat S. Doctor quæſt. 46. art. 1. paſſus eſt in omnibus in quibus pati potuit, & ab omnibus, à quibus pati potuit.

Tertiò per modum ſacrificij: Chriſti enim paſſio & mors fuit verum & proprium, & verè propitiatorium ſacrificium, vt vocatur à Conc. Trident. ſeſſ. 22. c. 2. quod quidem ex quacumque parte conſideretur, infiniti valoris fuit, vt ex antedictis conſtat.

Quartò per modum redemptionis: paſſio ſiquidem & mors Chriſti fuit quædam ſolutio, per quam homines à ſeruitute, tum peccati, tùm dæmonis, redempti ſunt ſicut captiui ac ſerui pretio redimi ſolent. Vnde Princeps Apoſtolorū Ep. 1. c. 1: *Non corruptibilibus*, inquit, *aurò vel argentò redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione, ſed pretioſò ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti*. Et hinc verè ac propriè Chriſtus Dominus hominum redemptor dicitur, vt fuſiùs explicabitur infrà ſect. 12.

Quintò denique & vltimò, per modum efficientiæ; hoc eſt, quod paſſio & mors Chriſti Domini ſalutem noſtram, ac media omnia ad illam, operata eſt per modum cauſæ efficientis inſtrumentalis: Cùm enim humanitas Chriſti Domini fuerit inſtrumentum diuinitatis (vt ſupra dictum eſt) ideò ex conſequenti omnes actiones paſſionis Chriſti inſtrumentaliter operatæ ſunt ad ſalutem humanam in virtute diuinitatis; & ſecundùm hoc paſſio & mors Chriſti ſalutem humanam efficienter cauſare dicitur.

Obſer-

Obſeruat autem S. Doctor ſup. art. 6. Act. 3. inter iſtos quinque modos hanc eſſe differentiam: quòd paſſio Chriſti Domini in quantùm comparatur ad eius diuinitatem, agit per modum efficientiæ: in quantùm verò refertur ad eius voluntatem humanam, agit per modum meriti: ſecundùm verò quòd conſideratur in ipſa carne Chriſti Domini, agit per modum ſatisfactionis, redemptionis & ſacrificij.

2 Quæres an in Chriſti Domini morte humanitas eius fuerit à diuinitate ſeparata.

Reſpondetur humanitatem Chriſti Domini, etiam in eius mortis triduo, manſiſſe inſeparabiliter diuinitati vnitam, ipſamque diuinitatem eius corpori in ſepulchro & animæ in inferno coniunctam ſemper extitiſſe.

Ita S. Damaſcen. lib. 3. de fide ca. 27. S. Fulgent. lib. ad Traſimundum cap. 23. & vnanimiter omnes alij SS. Patres. Eſtque de fide, vt ex ante dictis, conſtat. Probatque S. Doctor quæſt. 50. art. 2. ex eo quod in ſymbolo de Filio Dei dicitur quod fuerit crucifixus, mortuus & ſepultus, quod eius corpori mortuo tantùm conuenit: item quod deſcendit ad inferos, quod ſolam eius animam ſpectat, quæ vera non eſſent, niſi ratione vnionis hypoſtaticæ, per quam vtraque pars diuinitati ſemper coniuncta remanſit.

Quæres 3. an corpus Chriſti Domini poſt mortem corruptum fuerit.

Reſpondet S. Doctor quæſt. 51. art. 3. negatiuè. Quod vt meliùs intelligatur, notandum eſt ex S. Damaſcen. lib. 3. de fide cap. 18. duplicem eſſe corporis humani corruptionem. Vnam, quæ fit per ſeparationem animæ ab illo: & hoc modo tam certum eſt, Chriſti Domini corpus fuiſſe corruptum, quàm ipſum Chriſtum fuiſſe mortuum. Alia corruptio eſt illa, quæ fit per reſolutionem corporis in vermes, cineres, aut aliquid ſimile, & hoc modo conſtat ex fide Chriſti Domini corpus non fuiſſe corruptum, iuxta illud Pſalmi 15. *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem*: hunc enim locum S. Petrus Act. 2. & Paulus cap. 13. de Chriſti corpore mortuo exponunt. Additque S. Doctor ſuprà, non decuiſſe Chriſtum pati corruptionem in corpore, ne mors eius potiùs neceſſitati quàm voluntati aſcriberetur.

SECTIO V.

De Chriſti Domini deſcenſu ad Inferos.

1 CERTVM eſt ex fide, Chriſtum Dominum, ſecundùm animam, verè & propriè deſcendiſſe ad inferos; non verò metaphoricè tantùm vt falsò hunc Symboli articulum hæretici interpretantur. Quorum aliqui dicunt deſcendere ad inferos idem eſſe ac interire. Alij idem eſſe ac ſepulturæ tradi. Alij denique omnium impijſſimè, per deſcenſum Chriſti ad inferos; ſignificari aſſerunt Chriſti animam dolores ac deſperationem animarum damnatarum pertuliſſe. Ita Caluinus lib. 2. de Inſtit. c. 16. § 8 & ſeq.

Refellitur hæc blaſphemia, & noſtræ fidei veritas probatur 1. ex Scriptura S. Matth. 12. *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, &c. ſic erit Filius hominis in corde terræ, &c.* Vbi per cor terræ S. Hieron. in ca. 2. Ionæ, infernum intelligit. Et ad Epheſ. 4. *Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primum in inferiores partes terræ?* Quem locum de Chriſti Domini deſcenſu ad inferos exponunt S. Chryſ. & S. Hieron. commentarijs in illam Apoſtoli Epiſtolam & S. Iren. lib. 5. c. 31.

Probatur 2. ex Symbolo Apoſtolorum, & Symbolo S. Athanaſij; in quibus hæc veritas expreſſis verbis continetur.

Probatur 3. ex SS. Patribus; qui vnanimiter huic veritati ſubſcribunt; vt S. Leo Papa ſer. 1. de Reſurr. *Reſurrectio Saluatoris, nec animam in inferno, nec carnem diu morari paſſa eſt in ſepulchro.* S. Amb. lib. de myſterio Paſchæ cap. 4. S. Greg. Papa lib. 13. mor. cap. 20. & plures alij, qui citantur à Bellarmino lib. 4. de Chriſto, cap. 14.

Cùm igitur hoc certum ſit, quædam dubia circa hunc Chriſti ad inferos deſcenſum ſoluenda ſuperſunt.

2 Primum dubium eſt, ad quæ inferorum loca Chriſtus deſcenderit.

Ad huius dubij ſolutionem obſeruandum eſt ex S. Doct. in 4. diſt. 45. a. 3. inferorum nomine quatuor loca intelligi. Primus eſt ille, in quo damnatorum animæ cum dæmonibus torquentur. Secundus eſt Limbus puerorum, cum ſolo peccato originali ex hac vita decedentium. Tertius eſt locus ignis Purgatorij, in quo animæ iuſtorum à peccatorum reliquijs expiantur. Quartus denique eſt Lymbus Sanctorum Patrum, in quo ante Chriſti aduentum ſanctorum animę recipiebantur, ibiq; abſq; vllo doloris ſenſu beata redemptionis ſpe ſuſtentati, placida quiete fruebantur: qui locus paſſim in ſacris litteris Abrahæ ſinus nuncupatur. Hac obſeruatione præmiſſa,

Di-

Dicendum eſt cum S. Doctore quæſt. 52. art. 1. Chriſti Domini animam verè quidem, & ſecundùm ſubſtantialem præſentiam, deſcendiſſe ad Limbum SS. Patrum; ibique cum illis manſiſſe per triduum illud, quo à corpore fuit ſeparata: ad alia verò loca inferorum non deſcendiſſe, niſi ſecundùm aliquem ſpecialem ſuæ virtutis effectum.

Prima pars aſſertionis, qua diximus Chriſtum in Limbum ſanctorum Patrum deſcendiſſe, patet ex eo quod communiter SS. Patres dicunt, ideò Chriſtum Dominum deſcendiſſe ad inferos, vt inde ſanctorum animas educeret; ac ſecum in cœlum eueheret, vt S. Ignat. in Epiſt. ad Trallianos, & S. Hieron. in cap. 4. ad Epheſ. Quod autem ibi triduum remanſerit, præter authoritatem S. Doctoris, id aſſertum habetur apud Irenæum lib. 5. cap. vlt. & Tertul. in lib. de anima cap. 13.

Altera vero aſſertionis pars, qua diximus Chriſtum Dominum non deſcendiſſe ſecundùm realem præſentiam ad alia inferorum loca, probatur à S. Doctore, ex eo quod

In primis Chriſtus Dominus nullam habuit cauſam ad infernum damnatorum deſcendendi; cùm neque locus eſſet ipſi congruus & decens; neque ad hoc vt damnatos ac dæmones ſibi genuflectere compelleret, neceſſarium fuit vt eorum teterrimum ac fœdiſſimum carcerem adiret. Idem de Limbo puerorum dici debet; tùm quia locus ille minimè Chriſto Domino congruebat; tùm etiam quia non ſatis conſtat, an Chriſtus Dominus ſe illis manifeſtauerit.

Similiter, videtur non fuiſſe conueniens, vt locum Purgatorij Chriſtus adiret, ac præſentia ſua illuſtraret, cùm locus ille ſit tantùm pœnis deſtinatus.

3 Secundum dubium eſt, quid Chriſtus Dominus ad inferos deſcendens, animabus iuſtis contulerit.

Reſpondetur Chriſtum Dominum illis tria contuliſſe.

In primis enim Gloriæ lumen illis indidit, atque adeò illas beatas effecit, vt docet S. Th. q. 52. a. 4. ad 1. Hoc colligitur ex illis Domini ad latronem crucifixum verbis, S. Luc. 23. *Hodie mecum eris in Paradiſo*, hoc eſt in loco, vbi mecum & cum alijs eris beatus. Poſtea illuceſcente tertia die, beatas illas animas inde ſecum eduxit: quo pertinet illud Zachar. 9. *Tu vero in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos de lacu.*

Denique quadrageſima poſt reſurrectionem die; ſanctas illlas animas ſecum in cœlum inuexit; quandò ipſe (vt dicitur Pſal. 67.) *Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem.*

SECTIO VI.

De Chriſti Domini reſurrectione.

1 FIDES Catholica docet, Chriſtum Dominum tertia poſt mortem die ſurrexiſſe à mortuis; animamque eius proprio corpori iterùm fuiſſe vnitam. Circa hanc verò Chriſti reſurrectionem quædam hìc obſeruanda occurrunt.

Primum eſt, Chriſtum Dominum non aliena, ſed propria ſua virtute à mortuis ſurrexiſſe, iuxta quod ipſe dixerat S. Ioan. 10. *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterùm ſumendi eam.*

Secundum eſt, Chriſtum Dominũ poſt reſurrectionem, in corpore ſuo glorioſo vulnerum cicatrices retinuiſſe; idque *non ex impotentia curandi,* (vt ait Beda in cap. vlt. S. Luc.) *ſed vt perpetuum victoriæ ſuæ circumferret triumphum.* Quod & de ſanctis Martyribus dicit S. Auguſt. lib. 22. de Ciuit. cap. 10. his: *Fortaſſis in illo regno in corporibus martyrum videbimus cicatrices vulnerum, quæ pro Chriſti nomine pertulerunt; nõn enim deformitas in eis, ſed dignitas erit, & quædam, quamuis in corpore non corporis, ſed virtutis pulchritudo fulgebit.*

Tertium eſt, Chriſti Domini corpus glorioſum reſurgendo clauſum ſepulchrum penetraſſe; *Neque enim exiſtimare debemus* (vt ait S. Hieronym. Epiſt. ad Hedibiam q. 6.) *Angelum idcircò veniſſe, vt aperiret Domino reſurgenti, & reuolueret lapidem; ſed poſtquàm Dominus reſurrexit, indicaſſe quid factum eſt; & ſepulchrum vacuum reuolutione lapidis oſtendiſſe.* Hoc enim corporis ſui glorioſi proprium fuiſſe ipſemet poſteà oſtendit; cùm ad diſcipulos in cœnaculo congregatos, ianuis clauſis, ingreſſus eſt, vt habetur S. Ioan. 20.

2 Quartum eſt, Chriſti Domini reſurrectionem verè dici ac eſſe cauſam reſurrectionis noſtræ futuræ (vt docet Sanctus Thomas quæſtione 56. a. 1. & 2.) non quidem meritoriam, cùm poſt mortem nihil ampliùs meruerit; ſed efficientem, in quantùm humanitas Chriſti eſt inſtrumentum diuinitatis: & ſicut per illam plurima miracula, & etiam mortuorum aliquorum reſurrectionem aliàs fecit; ſic & vniuerſalem omnium reſurrectionem faciet. Quo ſenſu Chriſtus Dominus S. Ioan. 5. dixit, *Venit hora, quandò omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filij Dei, & procedent, qui bona egerunt, in reſurrectionem vitæ, &c.* Quæ Chriſti verba S. Doctor in ſuppl. q. 76. art. 2. litteraliter intelligit de ſenſibili voce Chriſti, per quam imperabit reſurrectionem, & ſimul illam operabitur. De qua etiam voce Caſſiodorus interpretatur illud Pſalm. 67. Ec-

67. *Ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis*, ad ſuſcitandum ſcilicet, mortuos.

Dici etiam poteſt Chriſti Domini reſurrectionem eſſe cauſam, non ſolùm efficientē ſed etiam exemplarem reſurrectionis noſtræ futuræ; in quantùm ſcilicet (vt dicit Apoſtolus Philipp. 3) *Reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ*. Et eodem ſenſu reſurrectio Chriſti Domini dici etiam poteſt cauſa exemplaris reſurrectionis ſpiritualis animarum noſtrarum; *vt ſicut Chriſtus reſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus*, vt habetur Rom. 6.

SECTIO VII.

De Chriſti Domini in cœlos aſcenſione, & ad dexteram Patris ſeſſione.

1 SICVT de reſurrectione, ſic etiam de aſcenſione dicendum eſt, Chriſtum Dominum, non aliena ope, ſed propria virtute tùm diuinitatis, tùm etiam humanitatis glorificatæ ad cœlos aſcendiſſe Ita S. Doctor q. 57. a. 3.

Sicut autem certiſſimum eſt Chriſtum Dominum ad cœlos aſcendiſſe, ſic etiam conuenientiſſimum fuit; vt idem S. Doctor dicit art. 6. Cùm enim locus debeat eſſe locato proportionatus, hinc ſequitur corpori Chriſti glorioſo & incorruptibili, locum gloriæ & incorruptionis debitum fuiſſe.

Quæres quò Chriſtus aſcenderit; ſeu quiſnam fuerit terminus aſcenſionis eius?

Reſpondet S. Doctor quæſt. 57. art. 4. Chriſti Domini humanitatem fuiſſe ſuprà omnes cœlos eleuatam, iuxta quod dixit Apoſtolus Epheſ. 1. quod Deus Pater *conſtituit illu in cœleſtibus, ad dexteram ſuam, ſuprà omnem Principatum, & Poteſtatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen quod nominatur, non ſolùm in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro: & omnia ſubiecit ſub pedibus eius.*

Cæterùm quomodo & quo ſitu, & in qua cœli parte ſit corpus Chriſti Domini, ſuperuacaneum eſt quærere, vt ait S. Aug. lib. de fide & Symb. cap. 6. tantummodo in cœlo eſſe credendum eſt. Non enim eſt fragilitatis noſtræ cœlorum ſecreta diſcutere, ſed eſt noſtræ fidei, de Dominici corporis dignitate ſublimia & honeſta ſapere, vt ibidem dicit.

2 Quod ſpectat ad ſeſſionem ipſius Chriſti Domini, quæ dicitur eſſe ad dexteram Patris, obſeruandum eſt ex S. Doctore q. 58. figuratam eſſe iſtam locutionem. Proindeque non corporalem aliquam ſeſſionem, ſed tranquillitatem ac firmitatem ſtatus gloriæ

Chri-

Chriſti Domini debere intelligi, vel etiam regiam ac iudiciariam eius poteſtatem Sicut & nomine dexteræ Patris, non ſignificatur pars illa corporis humani, quæ appellatur dextera (cum enim Deus ſit puriſſimus ſpiritus, nihil in eo corporeum cogitari fas eſt) ſed ipſius diuina beatitudo & gloria, quæ dexteræ nomine quandoque in Scripturis deſignatur, vt Pſalm. 15. *Delectationes in dextera tua vſque in finem*: vel potiùs ſupremæ poteſtatis eius participatio. Et ſic Chriſtus Dominus dicitur ſedere ad dexteram Patris, 1. in quantùm Dei Filius, ipſi Patri conſubſtantialis, ac proinde paternæ poteſtatis & gloriæ cõſors & particeps 2. in quantùm homo ad eiuſdẽ gloriæ ac poteſtatis conſortium & participationem, ratione vnionis hypoſtaticæ, admiſſus, & à Deo Patre ſupremus omnium Rex ac Iudex conſtitutus, vt ex infra dicendis conſtabit; & eo ſenſu docet S. Thom. a. 4. ſolius Chriſti proprium eſſe ſedere ad dexteram Patris, nec vlli Angelo, vel homini poſſe conuenire.

SECTIO VIII.

De Regia poteſtate, quæ Chriſto Domino competit.

1 CERTVM eſt 1. Chriſtum Dominum non modo vt Deum, ſed etiam vt hominem, regiam poteſtatem & ſummam authoritatem habuiſſe circa omnia ſpiritualia; ita vt potuerit arbitratu ſuo inſtituere, præcipere, & immutare quæcunque ad Eccleſiæ Hierarchiam, eiuſque ſtatum ſpiritualem pertinent.

Hæc veritas, quæ de fide eſt, conſtat ex eo quod in Euangeliis dicitur, Chriſtum Dominum abſolutè & ſine vlla limitatione, poteſtate illa ſpirituali vſum fuiſſe, illiuſque virtute legem veterem abrogaſſe, nouam condidiſſe, Sacramenta inſtituiſſe, peccata remiſiſſe: & alia eiuſmodi feciſſe, quæ nonniſi ab habente ſummam in Eccleſiæ regimine authoritatem fieri potuerunt. Huc pertinet illud Pſal. 2. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius.*

Certum eſt 2. Chriſtum Dominum non habuiſſe tale dominium in res omnes temporales, quo ipſe ſolus eſſet quarumcunque rerum temporalium dominus; ita vt nullus præter ipſum cuiuſcunque rei dominus aut proprietarius eſſet, cum nec ipſe Deus tale dominium ſibi vindicare voluerit; ſed retento abſoluto quodam & ſupremo in res omnes dominio, proprietatem illarum hominibus benignè conceſſerit; ita vt dependenter ab illo ſupremo dominio, verè ſint ac dicantur rerum ſuarum proprietarij & domini. Vnde refellitur quorundam error, qui aſſerunt omnes principes ac dominos terræ à Chriſti Domini conceptione fuiſſe ſuis dominiis priuatos. Cuius prætereà falſitas euidenter conuincitur, vel ex ipſius Chriſti teſtimonio dicentis S. Matth 22. *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.*

Cùm hæc duo certa ſint, vnum eſt dubium; an ſcilicet Chriſtus

Dominus,quatenùs homo,habuerit ſupremum quoddam dominium directum & abſolutum in res omnes temporales, & in omnia regna mūdi ſita vt poſſet quoſcunq; Reges & Principes priuare ſuis regnis & dominiis,ſi voluiſſet.Pro cuius reſolutione duo breuiter dicēda ſūt.

2 Primum eſt, Chriſtum Dominum, etiam vt hominem, verè & propriè dominium illud in res omnes habuiſſe, ac proinde fuiſſe verū & ſupremū Regem ac Monarcam rerum omnium temporaliū.

Probatur 1. ex Scriptura Pſal. 2. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*. S.Matth.8. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra*. Apoc.19. *Habet in veſtimento ſuo & in femore ſuo ſcriptum: Rex Regum & Dominus Dominantium*. Quæ Scripturæ teſtimonia de Chriſto Domino, vt homine, communiter à SS.Patribus intelliguntur.

Probatur 2. ex S.Aug. tract.115.in S.Ioan.ſuper hæc Chriſti verba, *Regnum meum non eſt de hoc mundo:* Vbi rectè obſeruat Chriſtum Dominum non dixiſſe (*Regnum meum non eſt in hoc mundo*) cum verè haberet Regnum etiam in terra; ſed ſolùm dixiſſe (non eſt de hoc mundo) id eſt non acceptum ab hominibus, nec humana authoritate, aut humano iure deuolutum. Et S.Bern.li.3.de conſid. ad Eugenium Papam, vbi de Chriſto ſic loquitur: *Hic eſt de quo Propheta ait (& erit omnis terra poſſeſſio eius) Chriſtus hic eſt, qui poſſeſſionē ſibi vindicat & iure creationis, & merito redemptionis, & donò Patris: cui enim alteri dictum eſt; Poſtula à me, & dabo tibi gentes?*

Probatur denique ex eo quòd Chriſti Domini, etiam in quantùm hominis, dignitas & excellentia ratione vnionis hypoſtaticæ talis ac tanta fuit, vt nullus honoris, prærogatiuæ, aut poteſtatis titulus eſſe potuerit, qui non illi meritò deberetur.

Secundum eſt Chriſtum Dominū poteſtate illa & dominio quandiù mortalis inter homines vixit, nunquam vti voluiſſe, ſed ſpontè ac voluntariè illius vſu ſeipſum abdicaſſe, ac paupertatē perfectiſſimā amplexum fuiſſe, vt ſic non ſolùm merito ſuo, ſed etiam exemplo nō efficaciùs iuuaret. Vnde Apoſt. de illo dicit 2.Cor.8. quòd *cū eſſet diues, propter nos egenus factus eſt*. Et ipſe Chriſtus Dominus eo ſēſu de ſe locutus eſt, cū dixit S.Matth.8. *Vulpes foueas habent; & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.*

SECTIO IX.

De iudiciaria Chriſti Domini poteſtate.

1 CVM (vt ait S.Doctor.q.59.) regiam dignitatem poteſtas iudiciaria conſequatur; de illa prout Chriſto Domino competit, nobis agendum eſt, ac:

Dicendum imprimis, iudiciariam illam poteſtatem Chriſto Domino competere, non modo quatenus Deus eſt, ſed etiam quatenùs homo: cum hac tamen differentia, quòd quatenùs Deus eſt, illam

illam ex ſe habeat;quatenus autem homo,non ex ſe, ſed authoritate ſibi diuinitùs commiſſa & delegata.

Hoc conſtat ex Scriptura. Act, 10. *Hic eſt qui conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum & mortuorum.* Et S.Ioan.5. *Poteſtatem dedit ei iudicium facere,quia filius hominis eſt.*

2 Dicendum 2. ad iudiciariam Chriſti poteſtatem pertinere, non ſolùm vltimum illud & generale iudicium, de quo ſæpiùs in Euangeliis mentio fit,vt S.Matth.16.24.& 25. & 2. Cor.5.ſed etiam particulare iudicium in morte cuiuſque ab illo faciendum. Tale enim iudicium in morte cuiuſque faciendum eſſe.

Conſtat 1. ex Scriptura. Eccl.11. *Facile eſt coram Deo in die obitus, retribuere vnicuique ſecundùm vias ſuas,* Et Hebr.9 *Statutum eſt hominibus ſemel mori: poſt hoc autem iudicium.*

Conſtat 2.ex S.Aug.l.2.de anima, vbi hanc veritatem aſſerit. S. Hieron.in cap.2. Ioel. vbi per diem Domini, diem iudicij intelligendum eſſe dicit, ſiue diem exitus vniuſcuiuſque de corpore: *Quod enim,*inquit,*in die iudicij futurum eſt omnibus, hoc in ſingulis in die mortis impletur.* Et S.Chryſoſt. hom.14. in Sanct. Matth. *omnes,* inquit, *animæ, cùm hinc emigrauerint, varijs peccatorum catenis implicitæ, ad terribile illud tribunal ducentur.*

Tertiò id conſtat ex eo quòd fide certum eſt, atque in Concilio Florentino definitum in decreto vnionis, animas poſt mortem ſine mora recipi in cœlum, ſi ſint omninò expiatæ; vel amandari in infernum, ſi peccato mortali obſtrictæ ex hac vita deceſſerint. Atqui dici non debet hoc ita fieri ſine ſpeciali iudicij diuini decreto.

Quod verò iudicium illud particulare, æquè ac vltimum generale, à Chriſto Domino quatenus homine exerceatur, conſtat ex eo quod dicitur S.Ioan.5.quod *Pater non iudicat quemquam;ſed omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filium.*

Porrò ad hoc iudicium particulare ſubeundum, neceſſe non eſt animas realiter in cœlum deferri, aut Chriſtum ad illas è cœlo delabi:ſed ſufficit quod illæ in ipſo mortis inſtanti intellectualiter eleuentur ad audiendam ſententiam iudicis; ita vt in eodem inſtanti cognoſcant ſeſe iudicari, & pro ratione eorum quæ in vita geſſerunt, & boni vel mali ſtatus in quo deceſſerunt, vel ſaluari, vel damnari, imperio & authoritate non ſolùm Dei, ſed etiam hominis Chriſti; ac eodem momento per inſtantaneam loci mutationem conſtituantur in loco illo, in quo ex vi iudicij & imperij Chriſti Domini futuræ ſunt, ſiue in Paradiſo, ſiue in Purgatorio, ſiue in inferno.

3 Dicendum 3. ad eandem quoque iudiciariam Chriſti poteſtatem pertinere alia omnia iudicia, quæ erga homines, etiam dùm in hac vita mortali degunt, diuinitùs exercentur: erga bonos quidem cum

pro eorum meritis & recto gratiarum vſu gratiæ ipſis augentur, & copioſiora auxilia ſubminiſtrantur: erga malos verò, cum pro eorum demeritis abundantiora gratiæ auxilia ipſis ſubtrahuntur, permittunturque excæcari & indurari. Quod enim hæc, non tantùm æterno ac ſupremo Dei iudicio, ſed etiam Chriſti Domini, quatenus homo eſt, imperio peragantur, conſtat ex eo quòd (vt ſuprà ex Act. 10. retulimus) non ſolùm mortuorum, ſed etiam viuorum iudex à Deo ſit conſtitutus.

Quæres an etiam ad Angelos extendat ſe iudiciaria illa Chriſti Domini poteſtas.

Reſpondetur affirmatiuè cùm S. Doctore, q. 59. vbi dicit Angelos omnes ſiue bonos ſiue malos iudiciariæ poteſtati Chriſti Domini, etiam quatenùs hominis, ſubeſſe; idque ratione eorum quæ circà homines operantur. Cùm enim tam boni quàm mali Angeli aliquid ad ſalutem vel damnationem hominum cooperentur: ideò Chriſti ſupremi iudicis ſententiam, quoad præmium vel ſupplicium accidentale, ſunt ſubituri: quo ſenſu, ipſe Chriſtus Dominus dicit S. Luc. 15. quod *Gaudium erit Angelis Dei ſuper vno peccatore pænitentiam agente:* & è contra dæmones dicunt c. 8 S. Matth. & c. 1. S. Mar. *Quid nobis & tibi, Ieſu Fili Dei? veniſti huc ante tempus torquere & perdere nos?*

SECTIO X.

De dignitate capitis quæ Chriſto Domino competit, reſpectu tam Angelorum, quàm hominum.

1 OBSERVANDVM eſt hìc ex S. Thom. q. 8. rationem capitis myſtici deſumi ex proportione ad caput naturale: in quo cũ tria cõſiderari poſſint, ordo, perfectio, & virtus: ordo quidẽ, quia eſt prima pars hominis; perfectio verò, quia in eo vigent omnes ſenſus interiores, & exteriores cũ in cæteris membris ſit ſolùm tactus; virtus deniq; quia motus omnis cæterorum membrorum ab illo deriuatur: ſic etiam tria de capite myſtico intelligi debent, ita vt, cum quæritur an Chriſtus Dominus ſit caput hominum vel Angelorum, idem eſt ac ſi quæratur, an reſpectu illorum hæ tres prærogatiuæ Chriſto Domino competant. Hac obſeruatione ſuppoſita,

Dicedum 1. Chriſtum Dominum, etiam quatenùs hominem, eſſe caput totius Eccleſiæ.

Conſtat in primis ex Apoſt. Epheſ. 1. vbi dicitur quod Deus Pater Chriſtum Dominum *dedit caput ſupra omnem Eccleſiam*. Et Coloſſ. 1. *Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ.*

Conſtat præterea ex eo quòd à Chriſto Domino, etiam quatenùs

homini, tres ſuprà dictæ capitis prærogatiuæ competunt. Eſt enim primus in ordine prædeſtinationis diuinæ, vnde vocatur ab Apoſtolo Rom. 8. *Primogenitus in multis fratribus*. Deinde cæteros omnes fideles omni virtutum & gratiarum genere antecedit; vt ex antè dictis patet. Tertiò denique virtutem habet influendi gratiam in omnia membra Eccleſiæ: vnde S. Ioan. 1. dicitur quod *De plenitudine eius nos omnes accepimus*: Et ipſe Chriſtus Dominus cap. 15. ſeipſum viti comparat, & fideles palmitibus; qua comparatione influxum ſuum in illos ſatis declarat.

2 Dicendum 2. Chriſtum Dominum, quatenùs hominem, eſſe caput omnium prorsùs hominum. Ita S. Thom. art. 3.

Probari poteſt enumeratione facta per diuerſos gradus hominum, quibus omnibus certum eſt illum & ordine & perfectione antecellere, & in eos omnes influxum aliquem habere. Et primò quidem de beatis conſtat; cum ſint membra Eccleſiæ triumphantis ipſi Chriſto perfectiſſimè vnita. De iuſtis item, tùm in Purgatorio, tùm in hac vita exiſtentibus, cùm ab ipſo influxum gratię & charitatis recipiant. De fidelibus etiam, qui in peccato mortali ſunt, cùm adhuc per fidem, licet velut membra mortua, illi coniungantur; atque adeò ipſe in eos fidem illam, ſiue habitualem, ſiue actualem; & alias omnes gratias actuales, quibus ad pœnitentiam excitantur, influat. De infidelibus quoque idem dici debet; cùm (vt ſupra probatum eſt) pro illis etiam Chriſtus Dominus mortuus ſit; & ex conſequenti (vt ſupponimus ex tractatu de Gratia) illis, ſicut & aliis, omnibus, & etiam paruulis ſine baptiſmi ſuſceptione decedentibus, gratias ad ſalutem ſufficientes promeruerit.

Porrò licet hoc ſenſu infideles dicantur membra Chriſti, non tamen propterea dici poſſunt membra Eccleſiæ. Ad hoc enim non ſufficit, vt quis à Chriſto Domino influxum aliquem recipiat; aut recipere poſſit; ſed prætereà neceſſarius eſt aliquis alius gratiæ effectus, nempè vt fiat fidelis, & ſaltem in voto Baptiſmi ſacramentum recipiat.

Ex dictis autem intelligi poteſt, Chriſtum Dominum nullo modo eſſe aut dici poſſe caput damnatorum. Cùm ex lege Dei ordinaria non ſint ampliùs in potentia ad vllam cum Chriſto vnionem; aut ad vllum gratiæ influxum ab ipſo recipiendum: qui proinde neque ſunt, neque dici debent membra Chriſti.

3 Dicendum 3. Chriſtum Dominum etiam quatenùs hominem, eſſe caput Angelorum. Ita S. Thom. a. 4.

Conſtat ex Scriptura Coloſſ. 2. Chriſtus vocatur ab Apoſtolo, *Caput omnis Principatus & poteſtatis*. Et Epheſ. 1. idem Apoſtolus dicit, Chriſtum Dominum à Deo Patre *conſtitutum eſſe ad dexteram ſuam in cœleſtibus ſupra omnem Principatum & Poteſtatem, & Vir-*

& Virtutem, & Dominationem, & ipſum dediſſe caput ſuprà omnem Eccleſiam. Et Epiſt. 1. S. Petri 3. Chriſtus Dominus dicitur, *profectus in cœlum ſubiectis ſibi Angelis*. Ex quibus Scripturæ verbis conſtat Chriſtum Dominum, ſaltem quoad ordinem & perfectionem Angelis præeminere; & ſic illorum eſſe caput.

Quod verò ſit etiam illorum caput quoad influxum, conſtat ex ijs, quæ præcedenti capite diximus: vbi probauimus Angelos gratiæ ac gloriæ dona, ex Chriſti meritis accepiſſe.

5 Dicendum 4. quod licet ſolius Chriſti proprium ſit eſſe caput totius Eccleſiæ, quatenus eſt fons & origo gratiarum omnium: hoc tamen non obſtat (vt rectè docet S. Thomas art. 6.) quominùs alia ſint ipſi ſubordinata Eccleſiæ capita. Itaque, quoniam ſub Chriſto Romanus Pontifex totam viſibiliter gubernat Eccleſiam, in illamque influit, docendo, præcipiendo, paſcendo, leges ferendo, varia gratiarum dona conferendo; ideò verè ac propriè caput viſibile totius Eccleſiæ dicitur: imò & vnuſquiſq; Epiſcopus in Eccleſia ſua quandam habere capitis dignitatem verè dici poteſt.

Neque id abſurdum videri debet, quod in myſtico Eccleſiæ corpore plura ſint capita ſub vno primario & præcipuo capite: ſicut nec abſurdum eſt ſub vno ſummo Paſtore Chriſto plures eſſe, & dici in Eccleſia Paſtores, Ep. 1. S. Petr. cap. 5. & præter fundamentum primarium & præcipuum (quod eſt Chriſtus) alia etiam eſſe & dici eiuſdem Eccleſiæ fundamenta; Apoc. 21. ſicut in quolibet regno præter regem, qui (vt dicitur 1. Reg. 15.) totius regni caput eſt, ſunt etiam alij duces & optimates ab eo dependentes, qui etiam dicuntur *capita populorum*. Amos 6.

SECTIO XI.

* *De Sacerdotio Chriſti*.

SACERDOTII nomine intelligitur munus illud, quo quis conſtituitur, vt res ſacras & diuinas tanquam Dei miniſter hominibus communicet, & viciſſim etiam pro hominibus offerat Deo, dona preces, & ſacrificia; vt colligitur ex varijs ſcripturæ locis, ac præſertim Malachiæ cap. 2. & Epiſt. ad Hebræos cap. 5. & plenius explicat D. Thomas 3. p. q. 22. art. 1.

Hac obſeruatione ſuppoſita dicendum 1. Chriſtum Dominum, verum ac propriè dictum Sacerdotem extitiſſe, & munere Sacerdotij verè ac propriè functum fuiſſe. Id manifeſtè conſtat ex his verbis Pſalmi 109. *Tu es Sacerdos in æternum, &c.* & ex c. 4. & 5. Epiſtolæ ad Hebræos, vbi Apoſtolus de Chriſti Sacerdotio agit, & plenius adhuc conſtabit ex aſſertionibus ſequentibus.

Dicendum 2. Chriſtum Dominum Sacerdotij ſui munus exercuiſſe in cœna vltima, cum ſub ſpeciebus panis & vini, incruento & admirabili modo, ſemetipſum Patri ſuo in Sacrificium obtulit. Ita expreſſe definitum eſt in Concilio Tridentino ſeſſ.22. cap.1. ita etiam docuerunt ſancti Patres, S. Cyprianus lib.2. Epiſt. 3. ad Cecilium, vbi ſic loquitur, *Ieſus Chriſtus Dominus & Deus noſter, ipſe eſt ſummus Sacerdos Dei Patris, & Sacrificium Deo Patri ſeipſum primus obtulit, & hoc fieri in ſui commemorationem præcepit*. Et S. Gregorius Niſſenus orat.1. de ſancto Feſto Paſchæ, *pro ineffabili* (inquit) *arcanoque ſacrificij modo, ſua diſpoſitione & adminiſtratione præoccupat impetum violentum; ac ſeſe oblationem & victimam offert pro nobis Sacerdos ſimul, & agnus Dei qui tollit peccata mundi, quando hoc accidit? cum ſuum corpus ad comedendum, & ſanguinem ſuum familiaribus exhibuit ad bibendum*. Qua autem ratione actio illa, quam Chriſtus Dominus in cœna exercuit, verum & propriè dictum ſit ſacrificium, plenius explicabitur in 2. parte huius operis tract. 1. capite 4. ſect. 11.

Dicendum 3. Chriſtum Dominum Sacerdotij quoque ſui munere functum fuiſſe in cruce, ibiq; ſeipſum Deo Patri in ſacrificium obtuliſſe. Id conſtat manifeſtè ex ſcripturis, ac præſertim c. 5. Ep. ad Epheſios, vbi Apoſtolus dicit quod *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo*. D. Thomas de eadem veritate pluribus agit, 3. p. q. 22. a. 2. & q. 48. a. 3.

Verùm difficultas eſt quomodo Chriſtus Dominus dici poſſit ſacrificium in cruce Deo Patri obtuliſſe; nam ille propriè ſacrificare dicitur, qui ad honorem Dei rem aliquam ita offert, vt ad eum finem eam conſumat & deſtruat; at Chriſtus Dominus non obtulit ſeipſum eo modo in cruce, non enim ſeipſum in cruce interfecit, ſed ab alijs interfectus eſt.

Ad hanc difficultatem varijs modis Theologi reſpondent: quidam enim dicunt Chriſtum Dominum ſacrificium ſui ipſius obtuliſſe, in quantum ad mortem propriam eſt aliquo modo cooperatus, eam ſcilicet non impediendo, cum potuiſſet impedire virtute beatitudinis animæ, qua à primo inſtanti conceptionis fruebatur. Vnde ipſe dixit Ioann. 10. *Nemo tollit animam meam à me*, (inuito ſcilicet) *ſed ego poteſtatem habeo ponendi eam*. Alij dicunt Chriſtum cooperatum eſſe actionem illam, qua mors ipſi illata eſt, non quidem in quantum erat homo, ſed in quantum erat Deus, ſine cuius vt cauſæ primæ concurſu actio illa fieri non potuiſſet. Melius tamen & verius iuxta D. Thomæ doctrinam reſpondet Greg. à Valentia diſp. 1. de incarn. q. 22. punct. 4 ad rationem ſacrificij non eſſe determinatè neceſſarium, vt ille qui rem offert eam etiam ipſemet conficiat & deſtruat, ſed ſufficere vt ab ipſo offeratur, &

eo conſentiente & volente conficiatur & deſtruatur; quod quidem perfectiſſimè à Chriſto Domino in cruce peractum eſt, cum mortem ſibi illatam volens acceptauit, & ſeipſum morientem tanquam hoſtiam in ſacrificium Deo Patri obtulit.

Dicendum 4. Chriſtum Dominum eiuſdem Sacerdotij ſui munere, quotidie adhuc fungi per miniſtros ſuos Sacerdotes in Miſſæ ſacrificio, ita expreſsè habetur in Concilio Tridentino ſeſſ. 22. cap. 2. vbi dicitur quod *in diuino ſacrificio quod in Miſſa peragitur, idem ille Chriſtus continetur, & incruente immolatur, qui in ara crucis ſemel ſeipſum cruentè obtulit, &c. Idem etiam offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in cruce obtulit, ſola offerendi ratione diuerſa.* Huius verò aſſertionis veritas fuſiùs explicabitur, & pleniùs conſtabit ex ijs, quæ dicentur in 2. huius operis parte loco ſuprà citato.

SECTIO XII.

** De eximio & honorifico Redemptoris & Mediatoris titulo; qui in Scripturis Chriſto Domino tribuitur.*

VARIA ſunt ſacræ Scripturæ loca, in quibus tùm Redemptoris, tùm Mediatoris titulus in vtroque teſtamento ſiue à Prophetis, ſiue ab Apoſtolis Chriſto Domino tribuitur. Ac in primis vocatur Redemptor, Iob. 19. Iſa. 41. 44. 47. 49. 59. Actor. 7. & Rom. 3. dicit Apoſtolus nos eſſe iuſtificatos per Redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, & Coloſſ. 1. idem dicit nos habere Redemptionem in Chriſto per ſanguinem eius: & 1. Timoth. 2. dicit ipſum Chriſtum dediſſe ſemetipſum redemptionem pro omnibus. Additque ibidem, vnum eſſe Mediatorem Dei & hominum, Chriſtum Ieſum, & paſſim in Epiſtola ad Hebræos vocat illum Mediatorem noui Teſtamenti.

Iam quod ſpectat ad titulũ Redemptoris, error fuit Petri Abaillardi negãtis Chriſtũ redemiſſe genus humanum à ſeruitute diaboli, quia, vt aiebat, diabolus nullum ius acquiſierat in homines per peccata illorum. Contra quem errorem S. Bernardus fusè agit Epiſtola 191. ad Innocentium Papam, vbi pluribus Scripturæ teſtimonijs, veritatem oppoſitam probat, oſtenditque Chriſtum Dominum verè genus humanum redemiſſe, ac verè dici hominum Redemptorem.

Porrò ad maiorem veritatis illius elucidationem, obſeruandum eſt ex S. Doctore 3. p. q. 4. art. 4. hominem per peccatum duplicem contraxiſſe ſeruitutem: primò ratione culpæ, per quam Deo ita iuſtè permittente redactus erat in poteſtatem diaboli, & eius ſeruus ef-

fectus, *à quo enim qui ſuperatus eſt*, inquit Apoſtolorum Princeps.2.Pet.2.)*huius & ſeruus efficitur*. Erat autem homo peccator in diaboli poteſtatem redactus, in quantùm peccando amiſerat iuſtitiæ libertatem,& dignus effectus erat, qui in æternum priuaretur omni gratia,ſine cuius auxilio neque à peccato commiſſo reſurgere,neque alia omnia peccata in futurum ſaltem toto vitæ tempore vitare poterat,& ſic vnuſquiſque hominum in illo miſerando ſtatu verè ſibi applicare poterat illud Aug.confeſſ.lib.8.c.5.*Suſpirabam ligatus non ferro alieno,ſed ferrea mea voluntate;velle meum tenebat inimicus,& inde catenam fecerat, & conſtrinxerat me.*Et hoc etiam ſenſu peccatores ab Apoſtolo 2.ad Tim. 2. dicuntur eſſe *in laqueis diaboli,& ab eo captiuos teneri ad ipſius voluntatem*.

Secunda obligatio ſeu ſeruitus, quam contraxit homo per peccatum, eſt quantùm ad reatum pœnæ, quam pati debebat, & ad quam aſtrictus erat ſecundùm ordinem diuinæ iuſtitiæ. *Ad ſeruitutem enim pertinet* (vt ait S.Doctor) *quod aliquis patiatur id quod non vult,liberi ſiquidem hominis eſt,vti ſeipſo;prout vult*,& in iure illi qui ad aliquam pœnam damnati ſunt,dicuntur *Serui pœnæ*:& ea ratione S.Aug.tract.52. in Ioan.dicit quod *Diabolus poſſidebat genus humanum , & homines reos ſuppliciorum tenebat chirographo peccatorum*.

Quia igitur (vt loquitur S. Thom.ſup.) *Paſſio Chriſti Domini fuit ſufficiens & ſuperabundans ſatisfactio pro peccatis hominum, tam quoad reatum culpæ,quàm quoad reatum pœnæ, idcircò eius paſſio fuit quaſi quoddam pretium,quo redempti ſumus,& liberati ab vtraque obligatione & ſeruitute : nam ipſa ſatisfactio, qua quis ſatisfacit ſiue pro ſe, ſiue pro alio,pretium quoddam dicitur, quo ſe vel alium redimit à peccato , & à pœna; iuxta illud Danielis 4. Peccata tua eleemoſynis redime. Chriſtus autem ſatisfecit non quidem pecunias dando , aut aliquid ſimile , ſed dando id quod fuit maximum ſcilicet ſeipſum pro nobis . Vnde Apoſtolus : Non corruptibilibus* (inquit) *auro vel argento redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione , &c. ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati & incontaminati Chriſti* .

Ex quo intelligitur qua ratione Paſſio Chriſti Domini fuit vera redemptio, & ipſe Chriſtus verus hominum redemptor dictus eſt : & ſimul refellitur error Abaillardi, quamuis enim verum ſit,diabolum in homines nullum ius acquiſiuiſſe per peccata illorum , hominesque quantumcumque peccatores ſemper diuinæ poteſtati ſubiectos remanere, hoc tamen non obſtat quin ſit etiam verum, peccatores dæmonum tentationibus & ſuggeſtionibus in malum conſentientes eorumdem ſeruituti diuina id exigente iuſtitia,ſub-

di ; ſicut illi,qui ad metalla aut ad remos damnati ſunt , humanæ iuſtitiæ executoribus , qui eiuſmodi operibus præſunt,ſubduntur:æquum eſt enim vt ij qui optimo Patri obedire,eiuſque onus leue & iugum ſuauæ ferre noluerunt,in pœnam inobedientiæ,ſæuiſſimi tyranni ſeruituti mancipentur, coganturque vel inuiti eius duriſſimum iugum portare.

Vnde ſoluitur alia obiectio eiuſdem Abaillardi dicentis , pretium redemptionis hominum non fuiſſe perſolutum diabolo , quod tamen fieri debuiſſe videtur , vt ab eius ſeruitute redimerentur . Reſpondetur enim quod cum diabolus ius nullum haberet in peccatores , ſed tantummodò ſe haberet vt executor diuinæ iuſtitiæ in illos, nihil pro redemptione illorum ei ſolui debebat, ſed ipſi iuſtitiæ diuinæ , cui debitores erant , & cui proinde tam pro culpa quàm pro pœna ſatisfacere debebant.

Quæres qua ratione dici poſſint redempti illi , qui à Deo ſunt reprobati, cùm diaboli ſeruituti ſint in æternum mancipati ? Reſpondetur illos verè fuiſſe redemptos, quantùm ex parte Chriſti Domini requiſitum fuit, hoc eſt pretium ab eo pro ipſorum liberatione fuiſſe perſolutum , gratiaſque ſufficientes ad ſalutem acquiſitas virtute meritorum eius , ipſiſque oblatas , vt ſupponimus ex dicendis in tractatu ſequenti : quia verò gratijs illis cooperari noluerunt , nec redemptione oblata vti, idcirco in æternam illam ſeruitutem deuoluti ſunt, non defectu Redemptoris, ſed vitio prauæ voluntatis , quæ redemptionis gratiam aut repudiauit , aut neglexit.

Quæres iterùm quibus præſertim actibus Chriſtus Dominus redemptionem hominum perfecit ? Reſpondetur Chriſtum Dominum Redemptoris officio functum fuiſſe, omnibus humanis ac liberis actibus ſuis,idque ab ipſo Incarnationis momento vſque ad mortem , ita tamen vt quamuis ſinguli illi actus ex ſe ſufficientiſſimi fuerint ad redemptionem illam perficiendam, ea nihilominùs Dei voluntas fuit , vt nonniſi per Chriſti paſſionem & mortem in cruce redemptio illa perficeretur. Et quidem quod Chriſtus , per totam vitam huic Redemptionis operi incubuerit , vel ex illo eius dicto Ioan.17.ſatis intelligi poteſt: *Opus conſummaui,quod dediſti mihi vt faciam*,vbi dicit ſe conſummaſſe;id eſt,iam iam,cum morti vicinus eſſet, conſummaturum eſſe opus redemptionis,quod ſcilicet iam antè inchoauerat. Quod autem non niſi per paſſionem eius & mortem in cruce , opus illud redemptionis conſummatum reipſa fuerit, patet ex ijs Scripturæ locis, quibus illud quaſi pactum dicitur, vt per eius paſſionem & mortem in cruce, perficeretur noſtra redemptio . Vt Iſa.53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam*,

videbit ſemen longæuum. Et Ioann. 12. *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. Et Lucæ 24. *nonne oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam.*

Iam quod ſpectat ad titulum Mediatoris, dicendum eſt illum Chriſto Domino ita conuenire vt ſolius Chriſti proprium ſit eſſe mediatorem inter Deum Patrem & homines, mediatione ſcilicet redemptionis in quantùm (vt loquitur S. Doctor 3.p.q.26.a.1.) homines Deo reconciliauit, ipſum placando, & pro peccatis eorum ipſi ſatisfaciendo. Quod docuit Apoſtolus 1. Tim. c. 2. cùm dixit, *Vnus eſt mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus*. Quibus verbis apertè declarauit, Chriſtum Dominum eatenùs fuiſſe mediatorem, quatenus nos redemit; ac proinde ea ratione, quæ illius ſolius propria eſt, fuiſſe vnicum & ſingularem mediatorem.

Quod tamen non obſtat quin alij etiam dicantur mediatores aliquo modo, & ſecundùm quid, in quantùm ſcilicet (vt dicit idem S. Doctor ſuprà) cooperantur ad vnionem hominum cum Deo diſpoſitiuè & miniſterialiter v.g. ſancti in cœlo in quantum intercesſionibus ſuis varias nobis gratias obtinent, quibus ad illam cùm Deo vnionem iuuamur: & Sacerdotes in terra dicuntur etiam mediatores, in quantum ſcilicet miniſtri ſunt ipſius Chriſti veri mediatoris, & vice illius, ſacramenta & alia ſanctificationis media nobis exhibent: ex quo duplex differentia innoteſcit inter mediationem Chriſti & aliorum: nam Chriſtus eſt mediator per Redemptionem, alij per interceſſionem aut miniſterium aliquod: Chriſtus eſt mediator per ſeipſum, & ex proprijs meritis, ſancti verò nonniſi per ipſum Chriſtum, & eius merita, ſine quibus nihil poſſunt apud Deum.

CA-

CAPVT VIII.

De adoratione Chriſtò Domino debita.

Nec non

De veneratione ſanctiſſimæ Matri eius, cæteriſque Sanctis, ac eorum reliquijs & imaginibus exhibenda.

SECTIO I.

Quænam adoratio humanitati Chriſti Domini debeatur.

1 AD clariorem eorum quę dicenda ſunt, intelligentiam, notandum 1. eſt ex S. Doctore 2. 2. q. 84. 91. & 103. inter laudem, & honorem adorationem, hoc eſſe diſcrimınis: Quod laus ſit quædam excellentiæ teſtificatio, quæ in verbis conſiſtit: honor etiam in factis & alijs ſignis externis. Adoratio verò, præter illam teſtificationem excellentiæ, includit eſſentialiter ſubmiſſionem aliquam erga id quod adoratur. In quo differt à laude & honore: ſiquidem laudamus & honoramus etiam æquales, vel inferiores, non adoramus verò niſi ſuperiores. Vnde adoratio definitur à S. Damaſc. orat. 3. cap. 4. *Animi cedentis, demiſſi & humilis ſignificatio.*

Notandum 2. ad completum actum adorationis tria ex parte hominis requiri. 1. vt intellectus agnoſcat excellentiam eius qui adoratur. 2. vt voluntas internum erga eundem affectum concipiat. 3. denique vt aliquo exteriori actu ſubmiſſionem aliquam erga eum proteſtetur.

Notandum 3. duplicem in vniuerſum eſſe adorationem, ſicut duplex excellentia eſt, ratione cuius poteſt aliquis nobis eſſe ſuperior; vna increata, altera creata.

Adoratio illa, quæ ratione increatæ excellentiæ defertur, vſu iam Eccleſia communiter recepto, Latria vocatur: quo vocabulo ſignificatur cultus religioſus, qui ſoli Deo habetur, in ſignum & proteſtationem ſupremi dominij, quod in res omnes creatas obtinet: ſicque ſumitur in Scriptura, in qua falſorum Deorum cultus nomine idololatriæ exprimitur (Act. 17. *Videns idololatriæ deditã ciuitatem:*) & falſorum Deorum cultores, idololatræ vocantur 1. Cor. 10. *Neque idololatræ efficiamini:* ideò quòd cultum illum latriæ qui ſo-

Probatur 2. ex S. Ambr. lib. 3. de Spiritu ſancto cap. 12. vbi explicans illa verba Pſalm. 98. (*adorate ſcabellum pedum eius*) *Per ſcabellum*, inquit, *terra intelligitur, per terram autem caro Chriſti, quam hodie quoque in myſterijs adoramus & quam Apoſtoli in Domino Ieſu adorauerunt: neque enim diuiſus eſt Chriſtus*. Et S. Auguſt. ratione in eundem Pſalm. *Exponens*; inquit, *Scriptura, quid ſit ſcabellum pedum eius; dicit terra autem ſcabellum pedum meorum: anceps factus ſum timeo adorare terram, ne damnet me, qui fecit cœlum & terram, &c. fluctuans conuerto me ad Chriſtum, & inuenio quomodo ſine impietate adoretur terra: ſuſcepit enim terram de terra; quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit: & quia in ipſa carne hic ambulauit, ipſamque carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit; nemo autem illam carnem manducat: niſi prius adorauerit; inuentum eſt quomodo adoretur ſcabellum pedum Domini: & non ſolùm non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando*.

Obijcies ſoli Deo deberi adorationem & latriæ cultum, humanitatem autem Chriſti, quantumuis vnitam hypoſtaticè Deo, Deum tamen non eſſe.

Reſpondetur duplicem eſſe adorationem: vnam abſolutam, quæ fit propter excellentiam inexiſtentem illi qui adoratur, ſeu, quando aliquid adoratur propter ſe: alteram verò reſpectiuam, quando aliquid adoratur propter aliud, ſeu propter excellentiam inexiſtentem alteri, ad quod habet ſpecialem ordinem & habitudinem. Et primò quidem genere adorationis adorari debere Chriſti diuinitatem, imò ipſum Chriſtum: cùm per hoc nomen connotetur diuinum ſuppoſitum, quod propter ſe, & ratione propriæ increatæ excellentiæ adorari debet. Secundo verò adorationis genere humanitatem eius adorandam eſſe, hoc eſt non propter ſe, ſed propter Verbum diuinum, cui coniuncta eſt, non accidentaliter, ſed vera, ſubſtantiali, & hypoſtatica vnione: ſicque humanitatem Chriſti honore diuino affici debere affirmant SS. Patres, vt S. Athanaſ. lib. de Incarnatione Chriſti pag. 6. vbi de corpore Chriſti loquens ait, *Illud diuina adoratione coli, quia increati corpus factum eſt*. Et S. Auguſt. ſerm. 58. de Verbis Dom. *Ego*, inquit *Dominicam carnem, imò perfectam in Chriſto humanitatem propterea adoro, quod à diuinitate ſuſcepta, atque Deitati vnita eſt*.

4 Quæres vtrùm humanitas Chriſti Domini per ſe præcisè ſumpta, & conſiderata ſolùm ſecundùm excellentiam aliquam creatam quæ ipſi ineſt, puta ratione gratiæ ſanctificantis, aut virtutum debeat cultu latriæ, an aliquo alio adorari?

Reſpondetur ex S. Th. qu. 15. art. 2. ad 1. humanitati Chriſti Domini, vt ſic, non deberi latriæ cultum, ſed tantùm hyperduliæ

quia

quia in illa hypotheſi nihil in ea conſideratur, niſi creatum, quod proinde latriæ cultu adorari non debet.

Quamuis autem ſpeculatiuè hoc verum ſit, ſapienter tamen monet Philippus Gammachæus ad præfatam quæſt. 25. moraliter & practicè loquendo iſtas præciſiones & abſtractiones non eſſe admittendas, ſed Chriſtum perpetuò adorandum ſupremo latriæ cultu; cum vere & à parte rei, ſit ſemper homo Deus; iſtamque quæſtionem non metaphyſicè, ſed moraliter, ac theologicè eſſe tractandam, nec ludendum in rebus tanti momenti; ne fortè occaſio, vel ſcandali, vel erroris aliquibus præbeatur. Adde quod Eccleſia nuſquam ſolet humanitatem Chriſti hoc modo ſpectatam venerari, ſed ſemper tanquam coniunctam & vnitam Verbo diuino adorare: vnde S. Athanaſius orat. cont. Arrianos: *Adoraturi*, inquit, *non ſeponimus verbum à carne.*

SECTIO II.

Quomodò ſancti à nobis colendi ſunt.

1 CVM (vt ait S. Hieron. Epiſt. 53. ad Riparium) *Honor ſeruorum redundet ad Dominum*; & ad gloriam Chriſti, ſummi totius Eccleſiæ capitis, pertineat veneratio membris eius nobilioribus exhibita, ideò poſt explicationem eorum quæ ad humanitatis ipſius adorationem pertinet, agendum eſt de cultu ipſius Sanctis debito.

Dicendum igitur 1. ſanctis tam Angelis, quàm hominibus, æterna gloria in cœlo perfruentibus, cultum aliquem ſacrum & religioſum eſſe reddendum: longè quidem minorem eo qui Deo debetur; ſed tamen maiorem cultu illo ciuili & politico, qui hominibus quantæcumque dignitatis in hac vita defertur.

Probatur 1. ex Scriptura. Gen. 18. & 19. vbi Abraham & Loth dicuntur Angelis ſibi apparentibus honorem aliquem ſingularem & religioſum detuliſſe: Idem dicitur de Ioſue cap. 5. & de patre ac matre Samſonis Iudic. 13.

Probatur 2. ex SS. Patribus, qui id vnanimiter docent: vt Greg. Nyſſen. orat. in S. Theodorum martyrem: *Cui regum*, inquit, *talis honor habetur? quis ex iis, qui ſupra modum inter homines excellere viſi ſunt; tali memoria celebratur? quis Imperatorum adeò honoratus vt hic miles pauper? &c.* Et S. Damaſc. lib. 4. de fide cap. 16. *An non honorandi, qui totius humani generis patronos ſe profitentur, ac Deo noſtri cauſa ſupplicant? honorandi certe, & quidem ita, vt in eorum nomine templa Deo extruamus.*

Probatur 3. ex eo ritu qui in vniuerſa Eccleſia ſemper viguit, templa

pla & baſilicas in honorem ſanctorum ædificandi, illorumque feſtâ celebrandi. Cuius rei fidem faciunt omnes fere SS. Patres, & Eccleſiaſtici ſcriptores, qui videri poſſunt apud Iudocum Coccium 3 tom. 1. lib. de Sanctis Eccleſiæ a. 13. & 14. Et cetè vel ipſa antiquiſſima baſilicarum & ſacrorum ædificiorum monumenta in honorem Sanctorum Deo conſecrata, quæ vbique terrarum viſuntur; ſatis apertè teſtântur Sanctis ab vniuerſa Eccleſia cultum religioſum ſemper fuiſſe delatum; minorem quidem illo; qui Deo debetur; ſed longè maiorem quouis honore politico & ciuili, qui Principibus & Regibus in terra defertur.

2 Dicendum 2. Sanctos gloria cœleſti perfruentes à nobis eſſe inuocandos, & hanc inuocationem ad cultum ipſis debitum pertinere.

Probatur 1. ex Scriptura. Gen. 48. vbi Iacob benedicens filijs Ioſeph, Angelum ſuum cuſtodem inuocat, vt ipſe illis benedicat. Exod. 32. Moyſes ſic orat. *Recordare, Domine, Abraham, Iſaac & Iacob, ſeruorum tuorum.*

Probatur 2. ex Concilio Calcedonenſi act. 11. vbi Patres Concilij ſic loquuntur: *Flauianus poſt mortem viuit, martyr pro nobis oret.* Et in 7. Synodo generali act. 6. hæc verba habentur *Cum timore omnia agamus poſtulantes interceſſione incontaminatæ Deiparæ, & Sanctorum Angelorum, omniumque Sanctorum.*

Probatur 3. ex antiquo vſu Litaniarum, quæ in honorem Sanctorum indicebantur. De quo ritu mentio fit in varijs Concilijs: vt in Conc. Aurelianenſi 1. c. 29. Tolet. 5. c. 1. Bracarenſi 2 c. 9. Moguntino ſub Carolo magno cap. 33. Quæ quidem Concilia ante mille annos ſunt celebrata.

Probatur 4. ex SS. Patribus, qui & ipſi Sanctos inuocauerunt: vt S. Athanaſius ſerm. in Euang. de ſanctiſſima Deipara, ſeu de Annunciatione; in eius fine ipſam ſanctam Deiparam inuocat. S. Gregor. Nyſſen. orat. in S. Theodorum, ipſum etiam ſanctum inuocat. Idem facit S. Gregor. Nazianz. orat. in S. Athanaſium; quem in fine inuocat. Et S. Hieron. in Epitaphio S. Paulæ eam ſimiliter inuocat.

Dicendum 3. Sanctos in cœlo pro nobis orare, & orando patrocinari ac ſubuenire.

Probatur 1. ex Scriptura 2. Machab. 15. *Hic eſt Ieremias Propheta Dei, qui multum orat pro populo, & pro vniuerſa ſancta ciuitate.* Et S. Petr. Epiſt. 2. c. 1. *Dabo,* inquit, *operam frequenter vos habere poſt obitum meum, horum vt memoriam faciatis.*

Probatur 2. ex S. Baſil. Epiſt. ad Iulianum Apoſtatam: *Suſcipio,* inquit, *ſanctos Apoſtolos, Prophetas, Martyres, qui pro me apud Deum ſupplicant, qua per illorum mediationem propitius mihi ſit Deus.* Et S. Greg. Nazianz. orat. 20. in laudem ipſius S. Baſilij: *Ac nunc*

nunc ille quidem in cœlo eſt, pro populo preces fundens: neque enim ita nos reliquit, vt prorſus reliquerit. Eandem veritatem fusè probat S. Hieron. in toto lib. cont. Vigilantium hæreticum, qui ſanctos ex hac vita functos pro nobis orare negabat.

Porrò circa illam ſanctorum interceſſionem, & (vt loquitur S. Baſilius) mediationem, obſeruandum eſt, illam nullo modò derogare qualitati mediatoris, quæ Chriſto Domino competit, quamque illi Apoſtolus tribuit 1. Timoth. 2. *Vnus eſt mediator Dei & hominum, Chriſtus Ieſus*. Tum quia loquitur ibi Apoſtolus de meditatione redemptionis, quod ex verbis immediatè ſequentibus patet: *Qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus*: qua ratione ſolus & vnicus mediator eſt Chriſtus. Tùm quia, quocunque modo dicatur mediator, ſemper illi hæc dignitas ſalua & integra manet; cùm ſanctorum interceſſiones & interuentiones nonniſi ex ipſius Chriſti meritis, & ex vnione ſanctorum cum illo vt capite, valorem hauriant: vnde quantumcumque Eccleſia ſuffragia ſanctorum apud Deum impendat, ſemper tamen orationes ac petitiones ſuas concludit his verbis; *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.* Ex quibus euidens eſt, ſanctorum mediationem & interceſſionem Chriſti Domini honori ac dignitati nullatenùs officere, imò vim omnem ſuam ab eius mediatione accipere.

4 Quæres quomodò Sancti in cœlo audiant & cognoſcant preces, & ſupplicationes, quæ ad ipſos à nobis diriguntur?

Variæ ſunt ſuper hac re ſanctorum Patrum & Doctorum ſententiæ, quas refert Bellarminus lib. 1. de ſanctorum beatit. cap. 20.

1 Quidam enim exiſtimant id fieri per relationem Angelorum, qui nunc à cœlis ad nos deſcendunt, nunc à nobis ad cœlos aſcendunt, & hunc modum attingit S. Auguſt. lib. de cura pro mort. cap. 15.

2 Alij dicunt ſanctorum animas, ſicut etiam Angelos mira quadam celeritate naturæ quodammodo vbique adeſſe, & ſic per ſe preces ſupplicantium poſſe audire, quem modum videtur innuere S. Hieron. libro cont. Vigilant.

Alij denique probabiliùs aſſerunt, ſanctos vel in eſſentia diuina clarè viſa preces illas cognoſcere, vel per ſpeciales reuelationes ſibi à Deo factas, eaſdem preces percipere. Ita S. Greg. liu. 12. mor. cap. 13. S. Thom. 2. q. 83. art. 4. & 3. p. quæſt. 10. art. 10. Et S. Auguſt. ſup. cap. 15.

SECTIO III.

Qualis cultus ſanctiſſimæ Virgini Deiparæ Mariæ debeatur.

1 CVM (vt ex antedictis conſtat) honoris ac cultus, qui ſanctis deferendus eſt, menſura & modus ex magnitudine ſanctitatis, virtutum ac meritorum accipienda ſit: hinc colligi poteſt qualis honor & cultus ſanctiſſimæ Virgini debeatur: cùm eius ſanctitas, virtus, ac meritum ſuprà omnes alios ſanctos longè ſupereminеat. Vt tamen certiùs & euidentiùs iſtud innoteſcat, aliquot ſpeciales ſanctitatis & excellentiæ titulos in illa ſanctiſſima Virgine hìc adnotabimus, ex quibus inferre quiuis poterit, quo religionis cultu proſequenda ſit: *Neque enim* (vt rectè dixit Sanctus Bernardus Epiſt. 174.) *Virgo regia falſo aut fucato eget honore, cùm veris honorum titulis, & infuſis dignitatum decorata ſit.*

Primus igitur excellentiæ titulus ducitur ex ſingulari eius innocentia: quæ conſiſtit in eo quod ſanctiſſima Virgo priuilegio ſpeciali, nec vlli alteri ſanctorum vnquàm conceſſo, ab omni peccati, ſiue originalis, ſiue actualis labe prorsùs immunis extitit.

Quod nullum vnquam peccatum actuale, nequidem veniale, commiſerit; docet S.Thom. 3.p. quæſt. 27. art. 4. Eſtque communis totius Eccleſiæ ſenſus, vt habetur in Concilio Trident. ſeſſ. 6. c. 23. Huic etiam veritati ſuffragatur S Aug. lib. de natura & grat. cap. 36. vbi dicit de ſanctiſſima Virgine Maria loquens, *De qua propter honorem Domini nullam prorsùs, cùm de peccatis agitur, habere volo mentionem.* Et S.Bernard. Epiſt. 174. *Decuit reginam Virginum ſingulari priuilegio ſanctitatis abſque omni peccato ducere vitam.*

2 Quod autem etiam originalis peccati maculam nunquam contraxerit,

Probari poteſt ex iјs omnibus Scripturæ locis, in quibus illius ſingularis & omnimoda puritas & innocentia ſignificatur, vt Cantic. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te:* atqui tota pulchra non eſſet, nec maculæ omnis expers, ſi originali peccato fœdata fuiſſet. Ibidem vocatur *hortus concluſus, fons ſignatus.* Et capite 6. *Vna eſt, columba mea, perfecta mea.* Item ex illis ad eandem ſanctiſſimam Virginem Angeli verbis S.Luc. 1. *Aue gratia plena, Dominus tecum: Quibus* (vt dicit S. Auguſt. ſerm. 11. in natali Dom.) *oſtendit ex integro iram primæ ſententiæ excluſam, & plenam benedictionis gratiam reſtitutam.*

Probari etiam poteſt ex eo quòd idem S. Aug. l. 5. cont. Iulianum c. 9. dicit illum, qui in ætate adulta peccatum nullum commiſit, nullum

nullum etiam in infantili contraxiſſe. Vnde ſequitur, cùm ex eodem S. Auguſtino ſupra beatiſſima Virgo nullum in vita ſua peccatum commiſerit, nullum etiam in origine ſua contraxiſſe. Et S. Anſelm. libro de conceptu Virginali c. 18. *Decens*, inquit, *erat vt ſanctiſſima Virgo ea puritate niteret, qua maior ſub Deo nequit intelligi*. Et in cap. 12. ad Cor. *Omnes mortui ſunt in peccatis ſiue originalibus, ſiue voluntate additis: nemine prorſus excepto, dempta matre Dei*. Et Petrus Damianus ſerm. de aſſumptione, *Caro Virginis*, inquit, *ex Adam aſſumpta, maculas Adæ non admiſit*.

Accedit authoritas Sixti IV. ſummi Pontificis in extrauagante (*cum praexcelſa*) de reliquiis & veneratione ſanctorum, vbi fideles ad celebrationem immaculatæ Conceptionis ſanctiſſimæ Virginis, ſic enim loquitur, etiam indulgentiarum largitione inuitat.

Et quamuis nihil adhuc ab Eccleſia ſuper hac re definitum fuerit, nec proinde cenſendus eſſet hæreticus, qui oppoſitum teneret, vt expreſsè declarauit idem Sixtus IV. in extrauagante, *graue nimis*, quam renouauit Concilium Tridentr. ſeſſ. 5. *ſententia tamen illa, quæ aſſerit ſanctiſſimæ Virginis ab omni originali peccato exemptionem, adeò vera eſt*, vt Paulus V. oppoſitum aſſerere in concionibus, lectionibus, aut aliis actibus publicis prohibuerit: quam prohibitionem Gregorius XV. eius ſucceſſor, etiam ad priuata colloquia & ſcripta extendit.

3 Dices hinc ſequi beatiſſimam Virginem à Chriſto Domino non fuiſſe redemptam: cùm enim nullum vnquam peccatum actuale aut originale incurrerit, videtur quod Chriſti Domini redemptione non indiguerit.

Reſpondetur illam indiguiſſe Chriſti Domini redemptione, non quidem vt à peccato liberaretur, ſed vt à peccato præſeruaretur: ac proinde illam excellentiori modo, præ omnibus Adæ poſteris à Chriſto Domino fuiſſe redemptam, cùm enim ex modo conceptionis ſuæ, vtpotè vera Adami filia, & ex eo via generationis ordinaria ortum ducens peccatum originale contrahere deberet, quod illud non contraxit, Chriſto redemptori debitrix fuit, cùm propter præuiſa eius merita ab illo peccato penitùs præſeruata fuerit.

Secundus excellentiæ titulus ducitur ex perfectiſſima gratiarum omnium plenitudine & eminentiſſima ſanctitate, qua beata Virgo cæteros omnes Sanctos tam Angelos quam homines longè ſuperauit.

Conſtat 1. ex illis verbis, quibus ab Angelo dicta eſt, *Gratia plena*; & à beata Eliſabeth, benedicta inter mulieres: item ex iis quæ de ſeipſa ſanctiſſima Virgo dixit; *Beatam me dicent omnes*

gene-

generationes : quia fecit mihi magna , qui potens eſt.

Conſtat 2. ex eo quòd vniuerſa Eccleſia profeſſa eſt in 7. Synodo generali Act. 5. his verbis : *Si quis non confitetur ſanctam ſemper Virginem Mariam, propriè ac verè Dei genitricem, ſublimiorem eſſe omni viſibili & inuiſibili creatura , anathema ſit.*

4 Accedent plurima eximia & præclara ſanctiſſimæ Virginis elogia, à ſanctis Patribus prolata , quibus , illius ſuprà omnes ſanctos eminentiam ſingularem apertè teſtantur : aliquot illuſtriora hìc proferemus. S. Epiphan. ſerm. de laudibus Deiparæ, ipſam alloquens , *Quid dicam* , inquit , *aut quid proloquar , & quo pacto beatam prædicabo gloriæ radicem ? ſolo enim Deo excepto ; cunctis alijs ſuperior exiſtit.* S. Ephrem. orat. de laudibus eiuſdem , illam vocat, *Optimam, præcellentiſſimam , ſublimiorem cælitibus , honoratiorem Cherubim, Seraphim ſanctiorem , & incomparabiliter cunctis alijs ſupernis exercitibus ſuperiorem .* S. Greg. Neocæſar: hom. in Annunciat beatæ Virginis , *Maria ſic gratia plena dicitur ; quòd in illa totius gratiæ theſaurus reconderetur* , S. Ambr. in cap. 2. S. Luc. *Bene gratia plena dicitur; quæ ſola gratiam , quam nulla alia meruerat, conſecuta eſt, vt gratiæ repleatur authore .* S. Petrus Chryſolog. ſer. 143. *Benè gratia plena , quia cæteris per partes tribuitur ; Mariæ verò ſimul ſe totam infundit gratiæ plenitudo .* S. Chryſoſt. orat. in Hypapante vocat illam *mundi miraculum* . S. Damaſc. orat. de Aſſumpt. *Abyſſum gratiæ & ſanctitatis .* S. Anſem. lib. de excellentia Virgin. cap. 8. dicit in beata Virgine fuiſſe *Quandam immenſitatem gratiæ & gloriæ.* S. denique Gregor. Papa explicans illa verba Iſa. 2. *Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium : Poteſt huius montis nomine Beatiſſima ſemper Virgo Maria deſignari : mons quippe fuit , quæ omnem electæ creaturæ altitudinem, electionis ſuæ dignitate tranſcendit: an non mons ſublimis Maria ? quæ, vt ad Conceptionem Verbi æterni pertingeret, meritorum verticem ſuprà omnes Angelorum choros vſque ad ſolium Deitatis erexit .*

Ex quibus S. Gregorij verbis colligitur probabiliſſimum eſſe , quod aliqui Doctores exiſtimant , gratiam illam ſanctificantem , quæ beatiſſimæ Virgini in primo inſtanti conceptionis collata fuit , maiorem ac pleniorem extitiſſe gratia conſummata cuiuslibet etiam maximi Sancti. Quod ſi tanta fuit Mariæ gratia in primo ingreſſu , quantam in progreſſu fuiſſe exiſtimare debemus ? cùm præſertim nullum vel momentum vitæ otioſum in ea fuerit, fideliſſimèque ac perfectiſſimè gratiis acceptis cooperata ſit ?

5 Tertius denique & vltimus excellentiæ titulus deſumitur ex dignitate Maternitatis Dei.

Conſtat enim illam eſſe verè & propriè Dei Matrem , quia ſcilicet

nullum etiam in infantili contraxiſſe. Vnde ſequitur, cùm ex eodem S. Auguſtino ſupra beatiſſima Virgo nullum in vita ſua peccatum commiſerit, nullum etiam in origine ſua contraxiſſe. Et S. Anſelm. libro de conceptu Virginali c. 18. *Decens*, inquit, *erat vt ſanctiſſima Virgo ea puritate niteret, qua maior ſub Deo nequit intelligi*. Et in cap. 12. ad Cor. *Omnes mortui ſunt in peccatis ſiue originalibus, ſiue voluntate additis: nemine prorſus excepto, dempta matre Dei*. Et Petrus Damianus ſerm. de aſſumptione, *Caro Virginis*, inquit, *ex Adam aſſumpta, maculas Adæ non admiſit*.

Accedit authoritas Sixti IV. ſummi Pontificis in extrauagante (*cum praexcelſa*) de reliquiis & veneratione ſanctorum, vbi fideles ad celebrationem immaculatæ Conceptionis ſanctiſſimæ Virginis, ſic enim loquitur, etiam indulgentiarum largitione inuitat.

Et quamuis nihil adhuc ab Eccleſia ſuper hac re definitum fuerit, nec proinde cenſendus eſſet hæreticus, qui oppoſitum teneret, vt expreſsè declarauit idem Sixtus IV. in extrauagante, *graue nimis*, quam renouauit Concilium Tridenr. ſeſſ. 5. *ſententia tamen illa, quæ aſſerit ſanctiſſimæ Virginis ab omni originali peccato exemptionem, adeò vera eſt*, vt Paulus V. oppoſitum aſſerere in concionibus, lectionibus, aut aliis actibus publicis prohibuerit: quam prohibitionem Gregorius XV. eius ſucceſſor, etiam ad priuata colloquia & ſcripta extendit.

3 Dices hinc ſequi beatiſſimam Virginem à Chriſto Domino non fuiſſe redemptam: cùm enim nullum vnquam peccatum actuale aut originale incurrerit, videtur quod Chriſti Domini redemptione non indiguerit.

Reſpondetur illam indiguiſſe Chriſti Domini redemptione, non quidem vt à peccato liberaretur, ſed vt à peccato præſeruaretur: ac proinde illam excellentiori modo, præ omnibus Adæ poſteris à Chriſto Domino fuiſſe redemptam, cùm enim ex modo conceptionis ſuæ, vtpotè vera Adami filia, & ex eo via generationis ordinaria ortum ducens peccatum originale contrahere deberet, quod illud non contraxit, Chriſto redemptori debitrix fuit, cùm propter præuiſa eius merita ab illo peccato penitùs præſeruata fuerit.

Secundus excellentiæ titulus ducitur ex perfectiſſima gratiarum omnium plenitudine & eminentiſſima ſanctitate, qua beata Virgo cæteros omnes Sanctos tam Angelos quam homines longè ſuperauit.

Conſtat 1. ex illis verbis, quibus ab Angelo dicta eſt, *Gratia plena*; & à beata Eliſabeth, benedicta inter mulieres: item ex iis quæ de ſeipſa ſanctiſſima Virgo dixit; *Beatam me dicent omnes gene-*

generationes : quia fecit mihi magna , qui potens eſt.

Conſtat 2. ex eo quòd vniuerſa Eccleſia profeſſa eſt in 7. Synodo generali Act. 5. his verbis : *Si quis non confitetur ſanctam ſemper Virginem Mariam, propriè ac verè Dei genitricem, ſublimiorem eſſe omni viſibili & inuiſibili creatura , anathema ſit.*

4 Accedent plurima eximia & præclara ſanctiſſimæ Virginis elogia, à ſanctis Patribus prolata , quibus , illius ſuprà omnes ſanctos eminentiam ſingularem apertè teſtantur : aliquot illuſtriora hîc proferemus. S. Epiphan. ſerm. de laudibus Deiparæ, ipſam alloquens , *Quid dicam* , inquit , *aut quid proloquar , & quo pacto beatam prædicabo gloriæ radicem? ſolo enim Deo excepto ; cunctis alijs ſuperior exiſtit.* S. Ephrem. orat. de laudibus eiuſdem , illam vocat, *Optimam, præcellentiſſimam , ſublimiorem cælitibus , honoratiorem Cherubim, Seraphim ſanctiorem , & incomparabiliter cunctis alijs ſupernis exercitibus ſuperiorem* . S. Greg. Neocæſar. hom. in Annunciat beatæ Virginis , *Maria ſic gratia plena dicitur ; quòd in illa totius gratiæ theſaurus reconderetur* . S. Ambr. in cap. 2. S. Luc. *Bene gratia plena dicitur ; quæ ſola gratiam , quam nulla alia meruerat, conſecuta eſt, vt gratiæ repleatur authore* . S. Petrus Chryſolog. ſer. 143. *Benè gratia plena , quia cæteris per partes tribuitur ; Mariæ verò ſimul ſe totam infundit gratiæ plenitudo* . S. Chryſoſt. orat. in Hypapante vocat illam *mundi miraculum* . S. Damaſc. orat. de Aſſumpt. *Abyſſum gratiæ & ſanctitatis* . S. Anſem. lib. de excellentia Virgin. cap. 8. dicit in beata Virgine fuiſſe *Quandam immenſitatem gratiæ & gloriæ.* S. denique Gregor. Papa explicans illa verba Iſa. 2. *Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium : Poteſt huius montis nomine Beatiſſima ſemper Virgo Maria deſignari : mons quippe fuit , quæ omnem electæ creaturæ altitudinem, electionis ſuæ dignitate tranſcendit: an non mons ſublimis Maria ? quæ, vt ad Conceptionem Verbi æterni pertingeret, meritorum verticem ſuprà omnes Angelorum choros vſque ad ſolium Deitatis erexit* .

Ex quibus S. Gregorij verbis colligitur probabiliſſimum eſſe , quod aliqui Doctores exiſtimant, gratiam illam ſanctificantem , quæ beatiſſimæ Virgini in primo inſtanti conceptionis collata fuit , maiorem ac pleniorem extitiſſe gratia conſummata cuiuslibet etiam maximi Sancti. Quod ſi tanta fuit Mariæ gratia in primo ingreſſu , quantam in progreſſu fuiſſe exiſtimare debemus ? cùm præſertim nullum vel momentum vitæ otioſum in ea fuerit, fideliſſimèque ac perfectiſſimè gratiis acceptis cooperata ſit ?

5 Tertius denique & vltimus excellentiæ titulus deſumitur ex dignitate Maternitatis Dei.

Conſtat enim illam eſſe verè & propriè Dei Matrem , quia ſcilicet

cet is qui ex ea natus eſt, ſicut eſt verus homo, ſic etiam verus Deus eſt, vt ex antedictis patet: & proinde cum verus Deus ex ea natus ſit, hinc ſequitur illam eſſe veram matrem Dei, & idcircò hanc in ea dignitatem vniuerſa Eccleſia agnouit in Concilio Epheſino, vbi can. 1. anathema dicitur in eum, qui ſanctam Virginem Dei genitricem eſſe non confitetur. Et in 5. Synodo generali Act. 4. idem anathema rursùs profertur in eum, *qui ſanctam & glorioſam ſemper Virginem propriè & verè genitricem Dei eſſe non confitetur*.

Neque ſolùm beata Virgo verè & propriè Dei Mater extitit; ſed prætereà digniſſima fuit, quæ ad illam maternitatem diuinitùs eligeretur: hancque proinde meritis ſuis, ſi non de condigno, certè de congruo conſecuta eſt. Ita S. Amb. lib. 2. de Virg. *Maria*, inquit, *digna extitit, ex qua Filius Dei naſceretur*. Et S. Hieronym. in Epiſt. ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis: *Tanta*, inquit, *puritatis extit Maria, vt Filii Dei mater effici mereretur*. Et vniuerſa Eccleſia in quadam Antiphona idipſum profitetur.

Ex hac autem dignitate Matris Dei, quam ſic promeruit, & cuius ſublimitas nec dici nec cõcipi poteſt, duplex adhuc excellentia deriuatur. Prima, quod ratione illius dicatur & verè ſit omnium creaturarum, etiam ſanctiſſimarum, & in altiſſimo gloriæ gradu exiſtentium, regina & domina (provt ab Eccleſia honorificè nuncupatur) ab iiſque proinde cultum, & honorem tantæ maieſtati condignum recipiat. Secunda, quod ratione eiuſdem maternitatis ipſemet Dei Filius illi ſe ſubiecerit, & (vt teſtatur Euangeliſta) ſubditus illi eſſe voluerit.

His igitur paulò fuſiùs explicatis, reſtat vt videamus qualis cultus ſanctiſſimæ Virgini, ratione tantæ & tam ſublimis excellentiæ, debeatur. Pro cuius reſolutione,

6 Dicendum eſt ſanctiſſimam Virginem ſingulari & maxima, præ omnibus aliis Sanctis veneratione ſeu hyperdulia colendam eſſe, tàm publicè quàm priuatim. Ita S. Thom. 3. part. quæſt. 25. art. 5.

Ratio eſt, quia veneratio & cultus (vt iam dictum eſt) excellentiæ ac ſanctitati correſpondere debet. Atqui excellentiæ & ſanctitas beatiſſimæ Virginis omnium aliorum ſanctorum excellentiæ ac ſanctitati longè præeminet, vt ex titulis ſuprà explicatis conſtat: Ergo cultus illi debitus longè maior eſſe debet eo cultu, qui aliis quibuſcunque Sanctis defertur.

Quæres, an præter cultum hyperduliæ, poſſit etiam cultus latriæ exhiberi ſanctiſſimæ Virgini, ratione vnionis illius, quam inter illam & Filium eius Chriſtum Dominum eſſe concipimus.

Reſpondetur negatiuè cùm S. Thoma art. 5. ſup. citato. Quamuis enim metaphyſicè loquendo aliquo ſenſu poſſet adorari adoratione aliqua reſpectiua; moraliter tamen & practicè loquendo, id fieri

non

non debet, propter periculum erroris & ſcandali. Vnde meritò S. Epiphan. hæreſ. 78. & 79. reprehendit, & hæreſeos arguit aliquas mulieres in Syria, quæ beatæ Virgini in ſignum adorationis, libationes quaſdam offerebant.

7 * Iam verò cùm inter plurima cultus ac venerationis officia, quæ vniuerſa Eccleſia ſanctiſſimæ Virgini exhibet paſſim in precibus & doxologijs diurnis & nocturnis, ſalutationem Angelicam in eius honorem ſæpius illi offerat, non erit inutile breuiſſimam hìc verborum, quibus hæc ſalutatio conſtat, explicationem ſecundùm mentem ſanctorum Patrum attexere.

(Aue) id eſt ſalue, ſeu gaude, *non ſimplex fateor* (inquit S. Petrus Cryſolog. ſerm. 140.) *vel conſueta fuit iſta ſalutatio, ſed omni admiratione digna: ſiquidem venerationis fuit delatio, oblatio muneris, famulatus obſequij. Iniungitur* (inquit S. Bernard. ſerm. 2. de Annunciat. *noua legatio Angelo Gabrieli, & nouam profeſſa virtutem noua ſalutationis honoratur obſequio. Antiqua excluditur maledictio mulierum, nouam noua mater accipit benedictionem.*

(Maria) *dignitas Virginis* (inquit S. Chryſol. ſup.) *annunciatur ex nomine; nam Maria Hebræo ſermone Latinè domina dicitur. Hoc nomen (Maria) interpretatum* (inquit S. Bernard. homil. 2. in *Miſſus eſt*) *Maris Stella dicitur, & matri Virgini valde conuenienter aptatur: ipſa namque aptiſſimè ſideri comparatur, quia ſicut ſine ſui corruptione ſidus ſuum emittit radium, ſic abſque ſui læſione Virgo parturit filium: nec ſideri radius ſuam minuit claritatem, nec Virgini filius ſuam integritatem.*

(Gratia plena) *Singulis* (inquit S. Chryſolog. ſup.) *gratia ſeſe per partes largita eſt; Mariæ verò ſe ſimul totã infudit, gratiæ plenitudo. Verè gratia plena* (inquit S. Hieron. apud S. Thom. in caten. aur.) *per quam largo ſancti Spiritus imbre ſuperfuſa eſt omnis creatura.*

(Dominus tecum) *Cùm Deus ſit cum omnibus ſanctis* (inquit ſanctus Bernard. hom. 3. in *Miſſus eſt*) *ſpecialiter tamen cum Maria; cum qua vtique tanta ei conſenſio fuit, vt illius non ſolùm voluntatem, ſed etiam carnem ſibi coniungeret, ac ſic de ſua virginiſque ſubſtantia, vnum Chriſtum efficeret.*

(Benedicta tu in mulieribus) *quia* (vt ait. S. Bern. ſup.) *illam generalem maledictionem euaſit, & ſingularem conſecuta eſt benedictionem, &c. & in terris ab Angelo benedicta, à cunctis generationibus meritò beata prædicatur.* Vel (vt loquitur S. Auguſt. ſerm. 2. de Annunt.) *ideo in mulieribus benedicta, quia vitam & viris & mulilieribus peperit.*

(Et benedictus fructus ventris tui.) *Verè* (inquit S. Bernard. ſup.) *benedictus, in quo benedictæ ſunt omnes gentes. Benedictus fructus* (inquit Andreas Cretenſis ſer. in ſalut. Ang.) *ex quo emanant*

fontes aquæ ſalientis in vitam æternam: fructus ex quo vitalis panis Dominici corporis, & ſalutare immortalitatis poculum conficitur.

8 Additur huic ſalutationi ex priſco Eccleſiæ vſu breuis precatiuncula, qua huius ſanctiſſimæ Virginis interceſſionem poſtulamus, toto huius vitæ tempore, ſed præſertim in extremo illius exitu, ac nouiſſima mortis hora. Quod & antiquos Patres peculiari deuotionis affectu feciſſe conſtat: inter quos S. Ephrem qui ante 12. ſæcula vixit, orat. ad ſanctiſſ. Virg. ſic eam precabatur:

Adeſto mihi nunc & ſemper, ô Virgo Dei genitrix, Mater miſericordiæ benigna & clemens, in præſenti quidem vitæ curſu, protectrix & auxiliatrix; Ac in extremo vitæ articulo miſeram animam meam conſeruans, & tenebroſos atque horrendos peſſimorum dæmonum inſultus ab ea procul repellens.

SECTIO IV.

Qualis veneratio imaginibus & reliquijs exhibenda ſit.

1 SVPPONIMVS hanc eſſe differentiam imaginis & idoli (vt rectè docet & probat Bellarm. lib. 2. de Sanctis cap. 5.) quòd imago ſit vera ſimilitudo rei alicuius; vt cùm pingitur homo, equus; &c. Vnde & imago ab imitando dicta eſt: idolum verò ſit falſa ſimilitudo, quæ repræſentat id quod re vera non eſt, vt cum gentiles repræſentabant ſtatuas Iouis, Martis, &c. tanquam Deorum, qui tamen re vera Dii non erant, nec eſſe poterant.

Hanc autem eſſe differentiam illarum vocum, inde patet; quia Scriptura nunquam tribuit nomen idoli veræ imagini, ſed ſolum ſimulacris gentilium, v. g. vocat Filium Dei, imaginem Patris ad Coloſſ. 1. at nunquam vocat idolum Patris. Item 3. Reg. c. 6. Salomon dicitur feciſſe ad ornatum templi imagines Leonum, boum, palmarum, &c. nec tamen vnquam iſta vocantur idola; quia rerum verarum erant ſimilitudines: vnde Theod. q. 8. in Exod. dicit, *Repræſentationes rerum non ſubſiſtentium dici idola*: & S. Hier. in c. 7. Oſee, loquens de idolis, notat expreſsè ſimulacrum ſeu idolum ita opponi Deo, ſicut mendacium veritati.

Hinc patet imagines Chriſti & ſanctorum non eſſe idola, cùm res veras exhibean: ſed nec etiam ſanctiſſimæ Trinitatis & Angelorum imagines idola dici poſſe; quia non ſunt factæ, ad repræſentandam naturam Trinitatis vel Angelorum; ſed ad exhibendam formam, in qua diuinæ Trinitatis perſonæ, aut Angeli ipſi aliquando apparuerunt; vel certè ad eorum proprietates & perfectiones ſignis quibuſdam corporalibus exprimendas. Vnde S. Gregor. Nazianz. orat. in laudem Heronis dicit, quod quando Angeli pinguntur,

tur, candida veſtis, atque hilaris & ſplendida facies ſolet illis tribui ad deſignandum ſcilicet tum naturæ illorum puritatem, tum gloriæ qua perfruuntur, ſplendorem. Hoc præſuppoſito, pro reſolutione quæſtionis propoſitæ,

2 Dicendum 1. vſum ſacrarum imaginum, ſeu quibus res ſacræ repræſentantur, eſſe honeſtum & licitum.

Probatur 1. ex Scriptura. Exod. 25. *Dixit Dominus ad Moyſen, facies duos Cherubim aureos ex vtraque parte oraculi:* vbi per duos illos Cherubim aureos S. Hieronymus in cap. 41. Ezech. intelligit duas ſtatuas ſeu imagines aureas, quæ duos Angelos Cherubinos repræſentabant. Et 3. Reg. 6 dicitur quod Salomon Cherubinorum imagines ex lignis oliuarum factas poſuit in ſanctuario.

Probatur 2. ex 7. Synodo generali act. 6. vbi hæc habentur: *Non eſt pictorum adinuentio, imaginum factura, ſed Catholicæ Eccleſiæ approbata legiſlatio & traditio, &c. teſtimonium perhibet ipſa rerum antiquitas; & Sanctorum Patrum doctrina, qui has in venerabilibus templis ſuſceperunt; & venerabilia templa dedicantes, has pingere ſtuduerunt.*

Probatur 3. ex vſu antiquo Eccleſiæ Catholicæ, qui paſſim apud antiquos Patres refertur. Tertull. lib. de pudic. cap. 7. & 10. teſtatur antiquitùs, Chriſti Domini imaginem ſub ſpecie paſtoris, ouem deperditam & recuperatam ſuper humeros geſtantis, in calicibus ſacris effigiari conſueuiſſe. S. Auguſt. lib. 1. de conſenſu Euangeliſt. cap. 10. teſtatur Chriſtum Dominum in templi parietibus depictum fuiſſe, cum ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo, ſibi, ex vtroque latere aſtantibus S. Greg. Nazianz. orat. in laudem defuncti patris, refert templum ab illo extructum, fuiſſe variis picturis & imaginibus ſacris decoratum. S. denique Paulinus Epiſt. 12. loquitur de variis imaginibus S. Trinitatis & myſteriorum vitæ Chriſti, in Eccleſiæ apſide pingi ſolitis.

3 Dicendum 2. ſacras imagines eſſe à nobis venerandas & colendas.

Probatur 1. ex eo quod Scriptura docet, rebus ſacris & diuino cultui dicatis, venerationem & honorem deberi: Pſalm. 98. *Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt:* quæ verba, quamuis in ſenſu myſtico & allegorico à quibuſdam ſanctis Patribus de Chriſti Domini humanitate accipiantur, vt ſuprà vidimus, in ſenſu tamen literali, intelliguntur de arca teſtamenti, quæ 1. Paralip. 28. vocatur ſcabellum pedum Dei. Atqui ſacræ imagines ſunt etiam res quædam diuino cultui dicatæ. Ergo à pari, veneratio illis & honor debetur.

Probatur 2. ex ſuprà relata Sinodo 7. generali, in cuius Act. 7. hæc verba habentur: *Sanctorum Patrum doctrinæ inſiſtentes, & Eccleſiæ Catholicæ (in qua Spiritus ſanctus inhabitat) traditionem*

obſeruantes, de finimus, cum omni diligentia & cura venerandas eſſe ſanctas imagines, &c. illaſque in templis eſſe collocandas. Et in Concilio Trident. ſeſſ. vlt. definitum eſt imagines ſacras, in templis præſertim, habendas & retinendas eſſe, eiſque debitum honorem & venerationem impertiendam eſſe.

Probatur 3. ex Sanctus Baſil. ſupra citat. Epiſtol. ad Iulianum Apoſtatam, vbi poſtquam locutus eſt de cultu Chriſto Domino, ſanctiſſimæ Virgini, & alijs Sanctis debito, & à ſeipſo exhibito ſubiūgit; *Vnde & characteres imaginum ipſorum honoro & adoro, præcipuè cum hoc à Sanctis Apoſtolis traditum ſit.* Et ex S. Athan. in quæſtionibus ad Antioch. q. 39. vbi ait eos eſſe dementes & ſaltu quodam arreptitio, qui crucem effigieſque ſanctorum adorare recuſant. Item ex S H er. in epitaph. S. Paulæ cap. 3. vbi dicit illam proſtratam ante crucem, quaſi pendentem Dominum cerneret, adoraſſe. Plures alij SS. Patres citantur in præfata Synodo 7. præſertim Act. 4. diuerſa etiam miracula pro confirmatione eius veritatis diuinitùs facta ibidem referuntur.

4 Quæres quo genere cultus imagines honorandæ ſint?

Reſpondetur cum S. Doctore q. 25. imaginem duplici modo poſſe conſiderari: 1. vt eſt res quædam, puta lignum ſculptum vel pictum: 2. vt eſt imago alterius. Et ipſi quidem priori modo ſpectatæ nullum honorem deberi; cum nullam habeat excellentiam honore dignam: poſteriori verò eundem illi cultum & honorem deferendum eſſe, qui debetur prototypo, cum hac tamen differentia, quod prototypo honor & cultus primariò & per ſe, ſeu propter excellentiam propriam tribuatur; imagini verò nonniſi ſecundariò & propter ipſius Prototypi excellentiam, cui aliquo modo participare cenſetur, propter moralem quam habet cum ipſo prototypo vnionem & coniunctionem. Vnde propriè loquendo, cultus imaginum, v. g. Chriſti aut ſanctorum, neque latria, neque duliæ dici poteſt, cùm hæ voces interiorem ſubmiſſionis affectum deſignent erga eum qui adoratur aut colitur; qui affectus proinde erga ipſam imaginem præciſè concipi non poteſt, ſed tantum propriè & reſpectiuè: ita vt, dum externa ſubmiſſionis nota, puta genuflexionis, imagini exhibetur; internus honoris, puta latriæ vel duliæ affectus erga prototypum concipiatur.

Hunc imaginum cultum ita eſſe intelligendum & explicandum conſtat ex præfata Synodo 7. generali; in cuius Act. 3. in literis orientalium Epiſcoporum ibidem lectis & approbatis habentur hæc verba: *Sanctas imagines reueremur, &c. non in materia aut coloribus honorem conſtituentes, ſed per hoc officium noſtrum, quod ipſis debemus, quorum typum imagines geſtant, impertientes.* Et ex Concilio Tridentino ſeſſ. 25. in decreto de veneratione imaginum, vbi

expreſ-

expreſsè dicitur: *Imaginibus venerationem debitam impertiendam eſſe; non quòd credatur ineſſe aliqua in iis diuinitas, vel virtus propter quam ſint colendæ, &c. ſed quoniam honos qui eis exhibetur, refertur ad Prototypa, quæ illa repræſentant: ita vt per imagines quas oſculamur & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos veneremur, quorum illæ ſimilitudinem gerunt.*

Quod ſpectat ad ſanctorum reliquias, dicendum eſt illis quoque cultum & honorem eſſe deferendum.

Probatur 1. ex Scriptura. Iſa. 11. *In eum gentes ſperabunt, & erit ſepulcrum eius glorioſum*. Vbi Propheta de Chriſto Domino loquitur, dicitque ſepulchrum illius fore honorandum, quod intelligendum eſt, non tantùm pro eo tempore, quo Chriſti Domini corpus in eo iacuit; ſed etiam pro tempore futuro poſtquàm à mortuis reſurrexit, vt explicat S. Hieron. in Epiſt. ad Marcellam.

Probatur 2. ex Concilio Nicæno 2. Act. 7. & ex Tridentino ſeſſ. 25. in præfato decreto, vbi dicitur ſanctorum corpora à fidelibus eſſe veneranda; quia viua membra Chriſti fuerunt, ac templum Spiritus ſancti, ab ipſoque ad æternam vitam ſuſcitanda & glorificanda, & per illa multa beneficia hominibus à Deo præſtari.

Probatur 3. ex miraculis, quæ per ſanctorum reliquias diuinitùs facta ſunt 4. Reg. 13. ad contactum corporis Eliſæi defuncti, mortuus dicitur reſurrexiſſe: quod S. Ambr. in cap. 1. S. Luc. ipſius Eliſæi ſanctitati tribuit. Et Act. 19. refertur ſudaria & ſemicinctia S. Pauli ægrotis applicata, ſanitatem ipſis contuliſſe. S. item Ambroſ. Epiſt. 54. teſtatur plures à poſſeſſione dæmonum eſſe liberatos, ad inuentionem & translationem corporum ſanctorum martyrum Geruaſij & Protaſij, vt veſtem prædictorum ſanctorum contigerunt, & ep. 55. dicit idem factum eſſe, dum reliquiæ ſanctorum martyrum Vitalis & Agricolæ transferrentur. Et S. Aug. lib. 22. de Ciuit. cap. 2. refert varia inſignia miracula, quæ facta ſunt ad contactum reliquiarum S. martyris Stephani. Ex quibus miraculis colligitur pium ac Deo gratum eſſe cultum illarum reliquiarum; cùm cultores earum tot beneficijs cumulet.

6 Quòd ſi quæras, quo cultu honorandæ ſint ſanctorum reliquiæ?

Reſpondetur idem de illis ac de imaginibus eſſe dicendum; illas ſcilicet cultu reſpectiuo eſſe honorandas, propter ſanctos quorum ſunt reliquiæ, ac proinde eodem honore quo illi: ita vt qui honorat reliquias, illum primariò honorare intendat, cuius ſunt reliquiæ, & ſimul cum illo, has eius reliquias tanquam aliquid illius.

Docet autem S. Thomas 2. 2. quæſt. 96. art. 4. ad 3. reliquias collo

appenſas circumferri poſſe ; & hoc patet etiam ex S. Auguſt. Epiſt. 103. & S. Chryſoſt. (quod Chriſtus ſit Deus) & S. Greg l. 7. Ep. 120. Tum vt ea geſtatione honorem & amorem noſtrũ erga Sanctos teſtemur. Tum etiam vt per interceſſionem illorum, quos hoc pacto honoramus, vel ab aliquibus malis diuina miſericordia liberemur, vel gratias aliquas impetremus.

Hinc etiam patet quid de cultu & adoratione ſanctæ Crucis ſentiendum ſit. Cùm enim (vt obſeruat Sanct. Thomas q. 25. a. 4.) duobus modis ſpectari poſſit; vel vt Chriſti in ea fixi & extenſi figuram repræſentat; vel prout ipſius Chriſti corpori & ſanguini contactu coniuncta fuit: Si priori modo ſpectetur, habet rationem imaginis, & conuenit omni omnino Cruci; ſiue in materia ſolida ſculptæ, ſiue depictæ in pariete, ſiue manu in aere formatæ, & quouis alio modo expreſſæ, & de illa idem omninò dicendum eſt, ac de alijs imaginibus Chriſti Domini. Si verò ſpectetur modo poſteriori, habet rationem reliquiæ: quod quidem de illa ſola cruce dici poteſt, in qua ipſe Dominus paſſus & mortuus eſt, & de illa vt ſic, eodem modo ac de alijs reliquijs loquendum eſt.

Obſeruandum eſt autem, quod quamuis honor qui reliquijs debetur, eiuſdem generis ſit, ac ille qui defertur imaginibus, hæc tamen inter vtrumque differentia eſt, quòd reliquiæ peculiarem quandam venerationem poſtulant præ imaginibus, propter vnionem quam habent cum illo cuius ſunt reliquiæ, quæ haud dubiè maior & arctior eſſe cenſetur ea, quæ inter imaginem & eius prototypum intercedit. Et ea ratione ſanctorum reliquiæ in maiori habentur veneratione, quàm illorum imagines, & crux illa, in qua Chriſtus affixus & mortuus eſt, peculiari affectu & deuotione colitur præ alijs Crucis eiuſdem imaginibus, propter vnionem quam habuit cum ipſius Chriſti corpore, cuius contactu nobilitata eſt, & ſanguinis eiuſdem effuſione decorata.

TRACTATVS VI.
DE GRATIA DIVINA.

CVM præcipuus meritorum Chriſti Domini effectus, ſit gratia diuina, quæ reliqua omnia bona ex illius Saluatoris fontibus ſcaturientia, vel in ſe complectitur, vel ex ſe diffundit: doctrinæ ordo poſtulat vt de illa nunc tractemus, eamque præſertim circa illam inueſtigemus, quæ à nobis Deus ſciri voluit, & idcirco Eccleſiæ ſuæ reuelare dignatus eſt: ſepoſitis in hac materia omnibus alijs quæ tenuitatis noſtræ modum excedunt, memores illius effati: *Altiora te ne quæſieris*. Eccl. 3. &, *Qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria*. Prou. 25.

Vt igitur ordine procedamus, tractatum hunc in quinque capita diuidemus. In quorum 1. agemus de neceſſitate gratiæ diuinæ. In 2. de ipſius gratiæ ſufficientia. In 3. de eiuſdem efficacia. In 4. de primario eius effectu, ſeu de iuſtificatione. In 5. denique de altero gratiæ effectu ſeu de merito.

CAPVT I.

De neceſſitate gratiæ diuinæ.

SECTIO I.

Quid nomine gratiæ intelligatur.

1 GRATIÆ nomen, ſi illius etymologiam ſpectemus, ſignificat id, quod datur gratis, ſeu ex pura beneuolentia, vt docet S. Iſidorus lib. 7. etymologiarum c. 3. Si autem illius communem acceptionem attendamus, duobus præſertim modis inueniemus, nomen illud gratiæ apud SS. Patres ſumi; vt

alias acceptiones minùs proprias, & à noſtro inſtituto alienas, omittamus.

Primò latè, pro quocunque dono gratuito diuinitùs collato, quo ſenſu creatio, conſeruatio, &c. poteſt diuinæ gratiæ nomine appellari. Vnde S. Hieron. Epiſt. 139. ad Cyprianum dixit, *Gratia Dei eſſe, quòd creatus ſit homo*. Et in 6. Synodo generali act. 11. in Epiſt. Sophronii dicuntur Angeli eſſe ex gratia Dei immortales; quia; quia ſcilicet immortalitatem, ſicut & alia dona naturalia, ex gratuito Dei beneplacito acceperunt.

Secundò ſtrictè & magis propriè, pro ſolis illis donis ſupernaturalibus, quæ intuitu meritorum Chriſti Domini nobis conferuntur: quæ quidem magis propriè, nomine gratiæ nuncupantur. Tum quià, vt habetur in Epiſtola Patrum Africanorum ad Innocentium Papam (quæ eſt 95. inter Auguſtinianas) Apoſtolus gratiam non niſi in ea ſignificatione ſumere ſolet. Tum etiam quia beneficia, quæ indignis & immerentibus conferuntur, gratiæ nomen longè potiori iure merentur: talia autem ſunt beneficia nobis per Chriſti meritum collata.

Gratia verò modo illo poſteriori ſumpta, multipliciter diuiditur: 1. in gratiam gratis datam, & gratiam gratum facientem.

Gratia gratis data eſt (vt docet S. Thomas 1.2. q 111.) per quam vnus homo operatur alteri, ad hoc quod ad Deum reducatur: ſeu (quod idem eſt) quæ primo & per ſe refertur ad ſalutem alterius. Et huius gratiæ nouem ſpecies ab Apoſtolo enumerantur 1. Cor. 12. his verbis: *Alij per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ, alteri fides in eodem Spiritu, alij gratia ſanitatum, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum:* quæ omnia fusè à S. Doctore explicantur a. 4. vbi & obſeruat,

Quaſdam ex illis gratiis dari ad perfectam & accuratam myſteriorum cognitionem, quæ neceſſaria eſt ad alios erudiendos: qualis eſt gratia ſapientiæ & ſcientiæ, non quidem acquiſitæ, ſed infuſæ & ſupernaturalis: gratia item fidei, non quidem prout ſignificat ipſam fidei virtutem, ſed prout denotat excellentiam quandam & eminentem ipſius fidei certitudinem, qua homo aliquis efficitur idoneus ad inſtruendos & confirmandos alios, vel etiam ad hæreticos conuincendos circà myſteria religionis.

Alias verò dari ad expoſitionem & explicationem earum rerum, quæ alijs ad ſalutem neceſſariæ ſunt: talis eſt gratia linguarum, & interpretatio ſermonum.

Alias denique ad efficaciter perſuadendum ea, quæ expoſita & explicata ſunt: & ad hunc finem conceditur donum Prophetiæ, diſcretio ſpirituum & virtus miraculorũ, ſiue ad reſtituendam corpo-

ris

ris valetudinem, & ſic dicitur gratia ſanitatum: ſiue ad alia miracula exteriùs facienda, & vocatur operatio virtutum.

3 Quamuis autem omnis & quæcumque gratia ſit gratis data, vt eius nomen ſonat: ac proinde nomen illud gratiæ gratis datæ ſit nomen genericum, quod omnibus gratiæ ſpeciebus conuenit: Hæc tamen gratiæ ſpecies, de qua nunc agimus, communiter gratia gratis data vocatur. Quia ſolet ignobiliori ſpeciei nomen generis appropriari: e. g. nomen genericum animalis communiter brutis tribuitur.

4 Obſeruandum eſt hanc gratiam, cùm non ad propriam ſanctificationem, ſed tantùm ad aliorum vtilitatem concedatur, æquè peccatoribus ac iuſtis tribui. Vnde S. Matth. 7. Chriſtus Dominus dicit in die iudicij multos impios & reprobos ſibi dicturos: Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, &c. Et Sanctus Auguſtins lib.83. quæſtionum, qu.79. dicit poſſe aliquem non modò peccatorem: ſed etiam infidelem prophetare, miracula facere, dæmones expellere, in honorem nominis Chriſti Domini.

Gratia autem gratum faciens (de qua potiſſimum in hoc tractatu agendum nobis erit) ea eſt, quæ per ſe primò dirigitur & ordinatur ad hominem, in quo eſt, ſanctificandum, & amabilem ac gratum Deo reddendum. Et hæc longè dignior eſt quàm gratia gratis data. Vnde Apoſtolus loco citato explicatis varijs iſtius gratiæ gratis datæ generibus, ad meliora æmulanda chariſmata, hoc eſt, ad gratiam gratum facientem optandam, hortatur; ideòque propter excellentiam ac dignitatem ſibi propriam, abſolutè & ſimpliciter gratia dicitur, & ſubdiuiditur in gratiam habitualem; & gratiam actualem.

Gratia habitualis eſt ea, quæ per modum habitus ſeu qualitatis permanentis diuinitùs infunditur; exiſtitque in nobis, licet actu non operemur. Huius habitualis gratiæ mentio fit in varijs Scripturæ locis. Vt Iſ.11. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini*. S.Io.14. *Ad ipſum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. 1.S.Ioan.3. *Qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quia ſemen ipſius in eo manet*. Etenim (requieſcere & manere) ſunt voces ſignificantes habitualem & durabilem exiſtentiam, qua Deus in anima iuſti maneat per aliquod donum ſpeciale; eamque inhabitet. Et Sanctus Auguſtinus Epiſtol. 85. gratiam illam vocat interioris hominis pulchritudinem, eamque aſſerit in paruulis quoque poſt Baptiſmum remanere. Et Sanctus Cyrill. Alexand. lib. 4. in Iſaiam orat. 2. Eandem gratiam dicit eſſe ornatum animæ, illique inſidere ac inhærere.

Gra-

Gratia autem actualis ea eſt, quæ tribuitur per modum actus, ſeu operationis tranſeuntis;conſiſtitque in pijs motibus intellectus & voluntatis, quos Deus in nobis excitat, illiſque nos adiuuat, vel ad bonum liberè proſequendum, vel ad malum fugiendum. Et de hac pleniùs in ſequentibus agendum erit.

SECTIO II.

Quinam fuerint errores Pelagianorum circa gratiæ neceſſitatem.

1 VT Catholicæ fidei veritas circa diuinæ gratiæ neceſſitatem clariùs effulgeat, diſcutiendum nobis eſt,quinam errores olim illi aduerſati fuerint. Cumque inter alios hæreticos gratiæ diuinæ infenſos,Pelagiani primas olim partes tenerent, de illorum erroribus hìc nobis agendum eſt. De quibus quidem quoniam non leuis hodie inter Theologos controuerſia eſt: nullum ad eiuſmodi errores dignoſcendos, certius ac facilius medium adhiberi poſſe exiſtimauimus,quàm ſi ſedulò inueſtigemus, & attentè conſideremus,quid in illis hæreticis Eccleſia tanquàm erroneum reprobauerit; id eſt,quid Concilia, & Pontifices ſummi de Pelagij & aſſeclarum eius dogmatibus pronunciauerint: quid in eorum dictis aut ſcriptis condemnauerint: & quas veritates erroribus illorum oppoſitas fide credendas definierint. Cùm enim fidei Catholicæ veritas ſola diuina authoritate conſtet, non argutijs aut diſceptationibus eruenda eſt:ſed ex fontibus ijs liquidò haurienda,per quos illam ad nos Deus voluit deriuari. Vt igitur ordine aliquo procedamus,

2 Obſeruandum eſt Pelagij eiuſq; aſſeclarum errores in quatuor præſert.in Concilijs Carthaginenſi, Mileuitano, Carthaginenſi altero, & Arauſicano 2 proſcriptos fuiſſe; & à quatuor potiſſimùm ſummis Pontificibus, Innocentio, Zozimo, Cæleſtino, & Gelaſio condemnatos & anathemate perculſos. De quibus ſigillatim ac breuiter nobis agendum eſt.

Ac in primis nullam hìc facimus mentionem Dioſpolitanæ Synodi, quæ ante quatuor præfata Concilia contra Pelagium coacta eſt. Huic enim ipſe Pelagius fictis & ſimulatis verbis illuſit, in eaque, occultatis potiùs, quàm eiuratis erroribus, abſolutus eſt, vt teſtatur S.Aug. varijs in locis, ac præſertim in libro de geſtis Pelagij, vbi acta illius Synodi fusè refert: Vnde S.Hieron. Ep.77. hanc Synodum miſerabilem vocat.

§. I.

§. I.

Quid de Pelagianorum erroribus cenſuerint Africana Concilia; Carthaginenſe ac Mileuitanum.

1 CVm igitur ea quæ Dioſpoli facta fuerant, in Africam ab Oroſio Presbytero relata fuiſſent, ſimulque Gallorum quorundam Epiſcoporum litteræ aduerſus Pelagium ab eodem fuiſſent exhibitæ: Concilium 68. Epiſcoporum Carthagine coactum eſt anno Chriſti 416. In quo rebus omnibus diligentiùs examinatis & perſpectis, decretum eſt, Pelagium, eiuſque diſcipulum Celeſtium (Niſi errores ſuos palam & ex animo eiu- tarent) anathemate feriendos eſſe, vt patet ex epiſtola Epiſcoporum ipſius Synodi ad Innocentium Papam, quæ eſt inter Auguſtinianas. 90. In qua quidem Epiſtola, poſtquàm dixerunt, *ideò hæc illi intimare, vt ſtatutis ſuis etiam Apoſtolicæ Sedis adhibeatur authoritas*; ipſius Pelagij, eiuſque aſſeclarum hæreſim his verbis exponunt: *Iſti* (Pelagiani ſcilicet) *aſſerunt in eo Dei gratiam deputandam eſſe, quòd talem hominis inſtituit creauitque naturam quæ per propriam voluntatem legem Dei poſſit implere, &c. eandem legem ad gratiam pertinere; quod illam Deus in adiutorium hominibus dedit. Illam verò gratiam qua Chriſtiani ſumus, nolunt, omninò agnoſcere, &c. Hominibus perſuadere non ceſſant ad operandam perficiendamque iuſtitiam, & Dei mandata complenda, ſolam ſibi humanam ſufficere poſſe naturam, &c.*

Eodem anno in Africa congregatum eſt Concilium Mileuitanum, cui interfuit S. Auguſt. cum 70. alijs Epiſcopis, In quo ad eundem Innocentium Papam ipſe S. Auguſt. nomine totius Synodi ſcribens de Pelagianorum erroribus ſic loquitur: *Iſti dicunt poſſe hominem in hac vita, præceptis Dei cognitis, ad tantam perfectionem iuſtitiæ, ſine adiutorio gratiæ Saluatoris, per ſolum liberum voluntatis arbitrium peruenire, vt ei non ſit iam neceſſarium dicere, dimitte nobis debita noſtra. Illud verò quod ſequitur: ne nos inducas in tentationem, non ita intelligendum, tanquàm diuinum adiutorium poſcere debeamus ne in peccatum tentati decidamus: ſed hoc in noſtra poſitum eſſe poteſtate, & ad hoc ſolam ſufficere voluntatem hominis.*

§. II.

Quale iudicium fuit Innocentij Papæ ſuper iiſdem erroribus.

1 HIs acceptis Epiſtolis, Innocentius reſcripſit ad ſupradictorum Conciliorum Patres: eorum ſententiam confirmans, erroreſque Pelagianorum condemnans,& in Epiſtola quidem ad Patres Concilij Carthaginenſis, quæ numeratur inter Auguſtinianas 91. poſtquam dixit illos,in eo quod Apoſtolicam Sedem conſulebant,antiquæ traditionis exempla ſeruare,de Pelagianorum erroribus ſic loquitur: *Quid enim poteſt eſſe tam iniquum,tam barbarum,tam Chriſtianis mentibus inimicum;quàm huic denegare debere,quidquid in quotidiana gratia conſequeris;cui te ipſe confiteris debere,quod natus es: & cui putas debere, quod viuis,quomodo te non putas illi debere, quod quotidianam eius conſequendo gratiam taliter viuis?* Subiungit poſteà, *illos negare nos adiutorio indigere diuino,quaſi ex noſtra in totum poſſibilitate perfectos.* Item: *Illos neſcire,quòd niſi magnis precibus gratia in nos implorata deſcendat, nequicquam terrenæ labis & mundani corporis vincere conemur errores;cum pares nos ad reſiſtendum,non liberum arbitrium, ſed Dei ſolum facere poſſit auxilium,&c.* Addit, *Deum quotidiana nobis præſtare remedia:quibus niſi freti confiſique nitamur,nullatenùs vincere humanos poterimus errores:neceſſe eſt enim,vt,quo auxiliante vincimus, eo iterùm non adiuuante vincamur.* Et tandem concludit: *Quiſquis ergo huic aſſentiens videtur eſſe ſententiæ,quod dicat adiutorio nobis non opus eſſe diuino,inimicum ſe Catholicæ Fidei, & Dei beneficijs profitetur ingratum.*

2 In Epiſtola autem 93. ad Patres Concilij Mileuitani,poſtquam ſimiliter dixit, *antiquæ regulæ formam toto ſemper orbe ſeruatam hanc eſſe;vt ſuper anxijs rebus Sedes Apoſtolica conſuleretur, & de Apoſtolico fonte reſponſa per omnes Prouincias ſemper emanare,præſertim,quoties fidei ratio ventilatur;* de Pelagianis ſubiungit: *Ecce homines,qui non poſuerunt Deum adiutorium ſuum;negantes enim auxilium Dei, inquiunt hominem ſibi poſſe ſufficere, nec gratia hunc egere diuina,qua priuatus neceſſe eſt,vt laqueis diaboli irretitus occumbat,dum ad omnia vitæ perficienda mandata, ſola tantummodo libertate contendit.* Addit poſteà: *quare Pelagium,Cœleſtiumq;id eſt inuentores vocum nouarum, quæ ſicut dixit Apoſtolus ædificationis nihilum,ſed magis vaniſſimas conſueuerunt parere quæſtiones,Eccleſiaſtica communione priuari, Apoſtolici vigoris authoritate cenſemus.*

§ III.

§. III.

Quid contra eoſdem errores in altero Concilio Carthaginenſi ſtatutum fuerit.

1 DEFVNCTO Innocentio, cùm ab eius in Apoſtolica Sede ſucceſſore Zozimo Cœleſtius eiuſque magiſter Pelagius varijs & ſubdolis artibus,nec non ficta ementitaq; profeſſione,anathematis, quo eos Innocentius perculerat, abſolutionem obtinere conarentur: Epiſcopi Africani,nu.214. rurſùm Carthagine conuenientes, anno Domini 418.contra præfatum Pelagium eiuſque aſſeclas, canones 8.condiderunt; qui licet ab aliquibus, Concilij Mileuitani ſupra citati eſſe dicantur; probabilius tamen eſt ab iſto Concilio Carthaginenſi editos eſſe;vt conſtat ex Epiſtola Cœleſtini Papæ ad Epiſcopos Galliæ infrà citanda: in qua huius Concilij nomine citantur,& confirmantur.

In illis autem canonibus Patres Concilij ſedulò collegerunt omnes Pelagianorum errores,quos iam ab Eccleſia damnatos, vel denuò damnandos eſſe iudicauerunt: vt quiuis ſcire diſtinctè poſſet, quid in Pelagianis dogmatibus fugiendum ac deuitandum eſſet. Itaque poſtquàm in duobus primis anathema dixerunt in eos, qui aſſerebant Adamum,etſi non peccaſſet,moriturum tamen fuiſſe;aut qui infantibus Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium eſſe illoſq; originale peccatum ab Adamo contrahere negabant: in reliquis canonibus damnant eos qui dixerint,

2 *Gratiam Dei,qua iuſtificamur per Ieſum Chriſtum,ad ſolam remiſſionem peccatorum valere,qua iam commiſſa ſunt,& non etiam ad adiutorium,vt non committantur.*

Item, *Eandem gratiam Chriſti propter hoc tantùm nos adiuuare ad non peccandum,quia per ipſam nobis reuelatur,& aperitur intelligentia mandatorum,vt ſciamus quid appetere, quid vitare debeamus:non autem per illam nobis præſtari,vt quid faciendum cognouerimus,etiam facere diligamus, atq;valeamus.*

Item,*Ideò gratiam nobis iuſtificationis dari,vt quod facere per liberum iubemur arbitrium,faciliùs poſſimus implere per gratiam:tanquam,etiam ſi gratia non daretur,non quidem facilè,ſed tamen poſſumus,etiam ſine illa,implere diuina mandata.*

Item, *Eos, qui verba hæc ſancti Ioannis Apoſtoli (ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt) ſic accipiendi putauerint, vt dicant propter humilitatem oportere dici nos habere peccatum, non quod verè ita ſit.*

Item,

Item, *Qui dixerint in Oratione Dominica ideò dicere ſanctos (dimitte nobis debita noſtra) vt non pro ſeipſis hoc dicant, quia non eſt eis iam neceſſaria iſta petitio, ſed pro alijs qui ſunt in populo ſuo peccatores; ideòque hac ab illis verba non veraciter, ſed humiliter dici.*

Hos autem Canones ad Zozimum Papam à Patribus Concilij tranſmiſſos, & ab ipſo approbatos & confirmatos fuiſſe teſtatur S. Proſper in Chronico ad annum 419. his verbis; *Concilio apud Carthaginem habito 214. Epiſcoporum ad Papam Zozimum Synodalia decreta perlata ſunt: quibus probatis per totum mundum hæreſis Pelagiana damnata eſt.*

§. IV.

Quid ſuper Pelagianorum & Semipelagianorum erroribus edixerit Cæleſtinus Papa.

1 CVM igitur Pelagiana hæreſis, toties proſcripta & damnata, iam vbique ferè extincta eſſet; nihilominùs aliquot poſt annis in vrbe Maſſilienſi, alijſque deinde Galliæ partibus, noui rursùs errores circa gratiam exorti ſunt. Quorum authores, licet à Pelagio recederent, diuinæ gratiæ neceſſitatem admittentes, quia tamen non ſatis ad fidei veritatem accederent, ipſamque gratiam dicerent non purè gratis dari, ſed intuitu alicuius bonæ diſpoſitionis, e.g. boni alicuius deſiderij, aut conatus ipſius voluntatis, ex ſolis arbitrij viribus eliciti: ideò hæretici habiti ſunt, dictique Semipelagiani.

Cumque illi præſertim S. Auguſtini tunc defuncti doctrinam de gratia & libero arbitrio impeterent, multa in illum inuidioſiſſimè criminantes; ſancti Proſper & Hilarius tanti viri memoriam tam indignè vellicari non ferentes, Cæleſtinum Papam adierunt, egeruntque cum illo, vt & Maſſilienſium frænaret audaciam, & S. Aug. doctrinam ab illorum calumnijs vindicaret. Quod Cæleſtinus eorum votis annuens, & Eccleſiæ paci prouidere cupiens, præſtitit in Epiſtola decretali, quæ incipit (*Apoſtolici verba præcepti*) quam ad Epiſcopos Galliæ tranſmiſit. In qua increpatis Maſſilienſibus, & collaudato S. Auguſtino ea ex eius doctrina colligit, quæ à prædeceſſoribus ſuis probata & definita, ab omnibus recipi, & fide Catholica credi deberent; ſic igitur loquitur:

2 *Neceſſarium fuit diligenter inquirere, quid rectores Romanæ Eccleſiæ de hæreſi* (Pelagiana ſcilicet) *quæ temporibus eorum exorta fuerat, indicauerint, & contra nocentiſſimos liberi arbi-*

bitrij defenſores, quid de gratia Dei ſentiendum eſſe cenſuerint: ita vt etiam Africanorum Conciliorum quaſdam ſententias iungeremus, quas vtique ſuas fecerunt Apoſtolici antiſtites, comprobarunt. Vt ergo pleniùs, qui in aliquo dubitant, inſtruantur, conſtitutiones ſanctorum Patrum compendioſo manifeſtemus indiculo: Quod ſi quis non nimium eſt contentioſus, agnoſcat omnium diſputationum connexionem ex hac ſubditarum authoritatum breuitate pendere, nullamque ſibi contradictionis ſupereſſe rationem, ſi cum Catholicis credat & dicat:

In prauaricatione Adæ omnes homines naturalem poſſibilitatem & innocentiam perdidiſſe, & neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium poſſe conſurgere, niſi eum gratia Dei miſerentis erexerit.

Neminem eſſe per ſemetipſum bonum, niſi participationem ſui, illi donet, qui ſolus eſt bonus.

Neminem etiam gratia baptiſmatis renouatum, idoneum eſſe ad ſuperandas diaboli inſidias, & ad euincendas carnis concupiſcentias; niſi per quotidianum Dei adiutorium perſeuerantiam bonæ conuerſationis acceperit.

Quod nemo, niſi per gratiam, libero benè vtatur arbitrio.

Quod omnia ſtudia, & omnia opera, ac merita ſanctorum ad Dei gloriam, laudemque referenda ſint: quia nemo aliunde ei placet, niſi ex eo quod ipſe donauerit.

Quod ita Deus in cordibus hominum, atque ipſo libero cooperetur arbitrio, vt ſancta cogitatio, pium conſilium, omniſque motus bonæ voluntatis ex Deo ſit: quia per illum aliquid boni poſſumus, ſine quo nihil boni poſſumus.

Illud etiam quod intra Carthaginenſis Synodi decreta conſtitutum eſt, quaſi proprium Apoſtolicæ Sedis amplectimur, quod ſcilicet 3. Capitulo definitum eſt: vt quicumque dixerit gratiam Dei, qua iuſtificamur per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum ad ſolam remiſſionem peccatorum valere, quæ iam commiſſa ſunt, non etiam ad adiutorium, vt non committantur; anathema ſit. Adiungit demum ea quæ capitulo, ſeu can.4. & 5. eiuſdem Concilij Carthaginenſis definita; & à nobis ſuprà relata ſunt. Ac denique ſic concludit.

His ergo Eccleſiaſticis regulis: & ex diuina ſumptis authoritate documentis, ita adiuuante Domino, confortati ſumus; vt omnium bonorum effectuum atque operum, & omnium ſtudiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum fateamur authorem: & non dubitemus ab ipſius gratia omnia hominis merita præueniri, per quem fit vt aliquid boni &

vel

velle incipiamus & facere. Et paucis interiectis: *Profundiores verò difficilioreſque partes occurrentium quæſtionum, quas latiùs pertractarunt, qui hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus aſtruere: Quia ad confitendum gratiam Dei, cuius operi ac dignationi nihil ſubtrahendum eſt ſatis ſufficere credimus, quidquid ſecundùm prædictas regulas Apoſtolicæ Sedis nos ſcripta docuerunt, vt prorſus non arbitremur Catholicum quod apparuit præfixis ſententijs eſſe contrarium*.

Hîc ſolas oppoſuimus fidei definitiones: ſummorum verò Pontificum teſtimonia breuitatis gratiâ omiſimus.

§. V.

Quid Gelaſius Papa, quid item Concilium Arauſicanum 2. contra Pelagianorum & Semipelagianorum reliquias decreuerint.

1 CVM igitur his Pontificum Conciliorumque decretis penitùs extincta videretur hæreſis Pelagiana cum omnibus ſuis reliquijs; nihilominùs ex eius veluti cineribus poſt plures annos ſcintillæ quædam rursùs in aliquibus Dalmatiæ & Italiæ partibus emerſerunt, temporibus Gelaſij Papæ: qui hac de cauſa duas ſcripſit Epiſtolas, ad Honorium Dalmatiæ Epiſcopum, in quibus confirmat, quæcumque à prædeceſſoribus ſuis contra hæreſim Pelagij ſtatuta fuerant. Et in alia Epiſtola circulari ad omnes Epiſcopos per Picenum tria capita hęreſis Pelagianæ tunc repullulantis refert; 1. ſcilicet paruulos naſci ſine vllo peccato originali; 2. gratiam Chriſti ad ſalutem conſequendam non eſſe neceſſariam; 3. denique illam ſecundùm hominum merita conferri: quæ quidem capita iterùm ſub anathemate damnat.

Cùmque inſuper circa idem tempus, Semipelagiani turbas aliquas iterùm in Gallijs mouerent: occaſione illarum, in ciuitate Arauſicana congregatum eſt Concilium Prouinciale 14. Epiſcoporum, quod Arauſicanum 2. dictum eſt. In quo eadem rurſus contra Pelagianos & Semipelagianos decreta ſunt; quæ in præcedentibus Concilijs, & à Præfatis ſummis Pontificibus definita fuerant. Quorum ſumma hæc eſt; gratiam interiorem Dei per Chriſtum, id eſt Spiritus ſancti illuminationem & inſpirationem, quæ ex meritis Chriſti tribuitur, ita eſſe nobis neceſſariam, vt ſine illa neque Deum inuocare, neque à peccato purgari, neque affectum credendi concipere, neque ad Baptiſmum peruenire, neque externæ prædicationi Euangelij conſentire, neque rectè cogitare, aut pedes noſtros à falſitate retinere, neque bonum aliquod opus æternæ vitæ meri-

toriũ

ſoritum exercere, aut in bonorum operum exercitio perſeuerare poſſimus.

Quas veritates, poſtquam expreſſit viginti quinque canonibus ſeu capitulis (quæ quidem capitula ſibi ab Apoſtolica Sede tranſmiſſa fuiſſe in illorum præfatione declarat) hanc ſubiungit concluſionem, in qua omnium illarum veritatum ſummam complectitur his verbis:

Ac ſic ſecundùm ſupra ſcriptas ſcripturarum ſententias vel antiquorum Patrum definitiones, hoc, Deo propitiante, & prædicare debemus & credere: quod per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, vt nullus poſteà aut diligere Deum ſicut oportet, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum eſt poſſit; niſi gratia eum & miſericordia diuina præuenerit.

2 Ex his igitur Conciliorum Pontificumque ſententiis & decretis conſtat, ſummam totius hæreſis Pelagianæ reliquiarumque eius hanc fuiſſe, vt ſcilicet 1. hæretici illi omnem prorsùs Dei gratiam repudiauerint, aſſeruerintque, ad ſalutem æternam conſequendam, ſolas humani arbitrii ſufficere vires.

Poſteà verò vt Eccleſiæ damnationem effugerent, illos gratiæ quidem neceſſitatem admiſiſſe, ſed fictè & ſubdolè: nomine gratiæ, liberum arbitrium, naturamque, in qua conditi ſumus, intelligentes.

Cùmque ſic fraus illorum pateſceret; vt errorem tegerent Gratiam Chriſti in legis notitia, Euangelicæ doctrinæ promulgatione, ipſiuſque Chriſti Domini, ac ſanctorum exemplis, necnon in peccatorum remiſſione & condonatione poſuiſſe.

Cùmque nihilominùs adhuc vrgerent ſancti Patres, vt non ſolùm externum, ſed etiam præſertim internum gratiæ auxilium agnoſcerent, illud tandem Scipturæ teſtimonijs conuicti admiſerunt, ita tamen, vt dicerent, gratiam illam internam non eſſe abſolutè neceſſariam, ſed tantùm vtilem ab bonum faciliùs operandum.

Denique cùm vlteriùs adhuc vrgerentur ad confitendam ipſius gratiæ neceſſitatem, huic veritati tandem ſubſcripſerunt, ſed ſimul etiam dixerunt gratiam illam internam non præuenire hominis voluntatem, ſed potiùs ab illa præueniri, adeòque per aliqua bona deſideria, aut aliquos pios affectus & conatus humanæ voluntatis obtineri; Deumque illam gratiam piorum illorum deſideriorum & affectuum intuitu, tribuere pertinàciter aſſeuerauerunt.

3 E contrariò autem conſtat, ſummam veritatum illarum, quas præfati Pontifices & Concilia, tanquam Fide Catholica credendas definierunt, hanc eſſe;

Primò, ſolam hominis voluntatem, aliaque adiumenta externa le-

na legis & Euangelij, ad ſalutem æternam conſequendam, aut ad opera bona illius ſalutis meritoria facienda non ſufficere.

Secundò, ad bona illa opera ſalutis æternæ meritoria exercenda, neceſſariam eſſe internam Dei gratiam; quæ in interiori illuſtratione intellectus & pia voluntatis motione conſiſtit.

Tertiò, gratiam illam diuinam non ſolùm omnia illa opera bona, ſed etiam omnes pios & liberos voluntatis affectus & conatus, quibus homo aliquid à Deo mereri poteſt, præuenire.

Quartò, illam gratiam præuenientem purè gratis homini tribui, ac ſine vllis meritis ex parte ipſius.

Quintò denique, gratiam illam nihilominùs intuitu meritorum Chriſti Domini hominibus tribui, ideòque gratiam Chriſti vocari.

SECTIO III.

De varijs humanæ naturæ ſtatibus.

1 PER ſtatus humanæ naturæ intelligimus varios modos, quibus ſe natura humana habuit, aut habere potuit, iuxta diuinæ prouidentiæ diſpoſitionem, in ordine ad finem ſuum vltimum conſequendum.

Hoc poſito, quinque præſertim ſtatus humanæ naturæ communiter à Theologis dignoſcuntur, ſcilicet naturæ puræ, naturæ integræ, innocentiæ ſeu iuſtitiæ originalis, naturæ lapſæ ſibi relictæ, & naturæ lapſæ reparatæ. Quorum vltimus nunc reipſa exiſtit: tertius initio creationis mundi extitit: tres verò alij, cum nunquam extiterint, aut extituri ſint, conſiderantur vt purè poſſibiles. De ſingulis hìc breuiter aliquid adnotandum eſt.

Status puræ naturæ, ille eſt, in quo ea ſolùm haberet homo, quæ ipſi connaturalia ſunt, puta facultates omnes naturales, & concurſum Dei generalem, tam conſeruationi, quàm operationibus ſuis naturalibus neceſſarium, omnes etiam imperfectiones & defectus purè naturales; careret verò, ſicut peccato eiuſque omni reatu, ſic etiam omni gratia ſupernaturali, & auxilijs quibuſuis etiam naturalis ordinis, ſibi minimè ratione naturæ ſuæ debitis. Circa hunc ſtatùm igitur

2 Dicendum 1. nullum vnquam hominem in puris naturalibus aut creatum fuiſſe, aut extitiſſe.

Eſt de fide contra Pelagium, qui (vt refert S. Aug. lib. de pec. orig. cap. 15.) exiſtimabat hominem ſine virtute aut vitio, ſine gratia aut peccato, id eſt, in puris naturalibus fuiſſe conditum.

Verùm hic error refelli, & veritas oppoſita probari facilè poteſt ex

ex ijs, quæ dicta ſunt tractatu 4. vbi probatum eſt primum hominem in ſtatu gratiæ ſanctificantis fuiſſe conditum, illoque peccante, poſteros eius omnes ordinaria generationis via propagatos, in peccati originalis reatu concipi. Vnde ſequitur nullum hominem in puris naturalibus aut creatum eſſe, aut vnquam extitiſſe.

3 Dicendum 2. ſtatum illum puræ naturæ, licet numquam extiterit, eſſe tamen poſſibilem; Deumque potuiſſe (ſi ita illi placuiſſet) hominem in puris naturalibus creare.

Probatur 1. ex Bulla Pij V. Gregorij XIII. quæ renouata fuit per Vrbanum VIII. in Bulla quę incipit (*In eminenti*) data anno 1641. in qua damnantur hi duo articuli; ſcilicet, *Deum non potuiſſe talem ab initio creare hominem qualis nunc naſcitur; & falſam eſſe doctorum ſententiam, qui dicunt primum hominem creari & inſtitui potuiſſe à Deo ſine iuſtitia naturali*. Et quamuis hi duo articuli ita damnati ſint in præfatis Bullis, vt non ſit planè euidens, an ideò quia falſi hæretici, & an verò tantùm quia temerarij & ſcandaloſi, ac proinde pacis ac vnitatis Eccleſiæ inimici quouis tamen modo damnati dicantur, certè poſt Apoſtolicæ Sedis iudicium hę & alię propoſitiones in illis Bullis reprobatæ, à nullo hodie propugnari poſſunt quin ſe aut veritatis, aut ſaltem vnitatis & pacis Eccleſiæ inimicum profiteatur.

Probatur 2. ex eo quod manifeſtum eſt, Deum potuiſſe hominem ſine peccato, & ſine vllo gratiæ dono creare: ſine peccato quidem; cũ illius author nec ſit, nec eſſe poſſit: ſine gratia autem; quia ſi Deus hoc non poſſet, ſequeretur gratiam illam ſimul eſſe gratiam & non eſſe; eſſet ex hypotheſi; non eſſet, quia hominis naturæ debita eſſet: quod ipſi gratiæ repugnat, vt patet ex antedictis.

Obijcies, ſi Deus poſſet hominem creare in puris naturalibus, ſequeretur illum authorem eſſe concupiſcentiæ, quę ab Apoſtolo Ro. 7. vocatur peccatum; quia (vt explicat Conc. Tridentinum ſeſſ. 5. can. 5.) ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat, ac proinde Deum eſſe authorem alicuius rei quæ ad peccatum inclinaret.

Reſpondetur Deum eſſe authorem concupiſcentiæ in quantùm eſt author facultatis ſenſitiuæ in homine, ac propenſionis quam talis facultas habet in bonum ſibi connaturale. Et hæc propenſio dicitur inclinare ad peccatum, non quidem per ſe & ex natura ſua, ſed per accidens: quatenùs propenſio illa in bonum ſenſibile, rectæ rationis ordini aliquando repugnat, voluntatemque ad illius boni ſenſibilis fruitionem contra rationis ordinem pellicit. Hæc autem lucta partis inferioris in ſuperiorem in puris naturalibus, *non fuiſſet peccati ſupplicium* (vt rectè dicit S. Auguſt. lib. 3. de libero arbitrio) *ſed proficiendi admonitio, ac perfectionis exordium*.

4 Iam quod ſpectat ad alios quatuor ſtatus, breuiter dicimus, quòd

Status naturæ integræ ille eſt, in quo pars hominis ſuperior, Deo, vt authori naturæ vltimoque illius fini, ſubiecta eſſet; & pars inferior, ſeu ſenſitiua, ſuperiori ſeu rationi; ita vt licet quantùm ex ſe eſt, appetitus ſenſitiuus rationem præuenire, & contra illam inſurgere poſſet, impediretur tamen per auxilia quædam naturalis ordinis, ipſius hominis naturæ & meritis indebita. Hunc autem ſtatum poſſibilem eſſe patet, ex eo quod nullam ſecum inuehit contradictionem, aut repugnantiam; neq; ex parte Dei, cuius bonitati maximè conuenit, hominem donis eiuſmodi licet indebitis afficere: neque ex parte hominis, qui ſic ad perfectionem naturæ ſuæ faciliùs comparandam, finemque vltimum ſibi connaturalem aſſequendum iuuaretur.

Status autem innocentiæ ſeu iuſtitiæ originalis huic integræ naturæ ſtatui ſuperaddit gratiam, ac reliqua dona ſepernaturalia, quæ homini in prima creatione à Deo collata ſunt, de quibus tractatu 4. egimus.

Status naturæ lapſæ ac ſibi relictæ, ille eſt, in quem per peccatum primi hominis, humana natura decidit, & in quo remanſiſſet, niſi per diuinam miſericordiam ab illo liberata fuiſſet. Hunc autem ſtatum poſſibilem eſſe hinc patet, quod potuiſſet Deus vniuerſæ naturæ humanæ maſſam in eo peccati & damnationis ſtatu relinquere, in quo per peccatum primi hominis conſtituta eſt: vnde, quando de illius per Chriſti gratiam reparatione Scriptura loquitur, dicit factam illam fuiſſe ex Dei charitate, benignitate, miſericordia, &c.

Status denique naturæ lapſæ, & per Chriſtum reparatæ, ille eſt, in quo naſcimur, & in quo per Chriſti gratiam à peccato liberari & ſalutem conſequi poſſumus. In illo autem ſtatu, quamuis per Baptiſmum reatus omnis peccati originalis penitùs tolatur, remanet nihilominùs in baptizatis concupiſcentia, ſeu fomes peccati: *Quæ cum ad agonem relicta ſit* (vt loquitur Conc. Trid. ſeſſ. 5. can. 5.) *nocere non conſentientibus, ſed viriliter per Chriſti gratiam repugnantibus, non valet; quinimo, qui legitimè certauerit, coronabitur.*

SECTIO IV.

An, & qua ratione gratia, quæ in ſtatu innocentiæ primo homini collata fuit, diuerſa ſit ab illa, quæ in ſtatu naturæ lapſæ confertur.

1 CERTVM eſt 1. gratiam ſanctificantem in ſtatu innocentiæ fuiſſe primo homini collatam; ſiue ilam poſt creationem acceperit; ſiue, quod probabilius eſt, in ea creatus fuerit, vt docet S. Th. 1. p. q. 95. a. 1. de qua re tractatu 4. ſup. cit. egimus.

Certum eſt 2. gratiæ actualis auxilium aliquod in ſtatu innocentiæ fuiſſe homini neceſſarium: illumq; ſolis arbitrij viribus iuſtè viuere, & in iuſtitia perſeuerare non potuiſſe. Ita docet paſſim S. Aug. præſertim lib. de corrept. & grat. c. 11. vbi dicit primum hominem gratiam habuiſſe, in qua ſi permanere vellet, nūquam malus eſſet; & ſine qua etiam cum libero arb. bonus eſſe non poſſet.

Certum eſt 3. in pluribus differre gratiam ſtatus innocentiæ, quam aliqui vocant gratiam ſanitatis, a gratia ſtatus naturæ lapſæ reparatæ, quam vocant medicinalem.

Ac in primis in eo quòd omnis gratia medicinalis ſit ex Chriſti Domini meritis: gratia verò ſanitatis ex illis non ſit; ſi eorum ſententia vera ſit, qui exiſtimant, Adamo non peccante, Filium Dei non fuiſſe incarnandum.

Deinde in eo quòd gratia medicinalis amplior ſit & abundantior quàm gratia ſanitatis: iuxta illud Chriſti Domini S. Io. 10. *Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant:* Vnde Apoſtolus Rom. 5. dicit quod, *vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia:* vbi enim grauior eſt miſeria, ibi amplior miſericordia; vbi maior inopia, ibi abundantior copia requiritur.

2 Præterea gratia ſanitatis ad id tantùm conferebatur; vt homo ſanctitatem & innocentiam acceptam conſeruaret; gratia verò medicinalis ad hoc, vt tùm à varijs & grauiſſimis peccati originalis & actualis ægritudinibus ſanetur, tùm vt ſanatus à varijs periculis, quæ ſiue interiùs, ſiue exteriùs occurrere poſſunt, præſeruetur, tùm etiam vt in recuperata ſanitate & ſanctitate proficiat, & vſque in finem perſeueret. Hancque tertiam vtriuſque gratiæ differentiam fusè explicat S. Aug. lib. cit. de corrept. & grat.

Cùm igitur hæc in confeſſo ſint apud omnes, ſupereſt adhuc vna difficultas hìc ſoluenda: an ſcilicet gratia ſanitatis in eo præſertim differat à gratia medicinali, quòd gratiæ ſanitatis homo, ſi vellet, diſſentire poſſet; gratiæ verò medicinali neceſſariò aſſentiatur, nec ab illa diſſentire poſſit.

Hanc vtriuſque illius gratiæ differentiam affert Caluinus in Antidoto Concilij Trid. ad ſeſſ. 6. a. 5. vbi in Patres illius Concilij inuehitur, quòd, dicentes hominem in ſtatu naturæ lapſæ poſſe gratiam oblatam abijcere; & can. 4. poſſe illi diſſentire ſi velit; gratiæ medicinali tribuerent, quod erat proprium gratiæ ſanitatis: ipſiſq; hac de cauſa Pelagianiſmi notam inurit.

Verùm falſitas huius dogmatis euidenter patebit ex dicendis infrà, c. 4. Vnum hìc tantùm interim aut alterum teſtimonium S. Aug. (cuius authoritate Caluinus hoc ſuum dogma propugnare maximè conatur) afferemus, ad probandum ex mente illius S. Patris gratiam illam, quę in ſtatu naturæ lapſæ homini tribuitur, nullam ipſi ad agendum inferre neceſſitatem, eiuſq; voluntatem liberam & indifferentem, ad conſentiendum Deo vel dęmoni, relinquere. Sic igitur loquitur S. ille Pater l. 50. homiliarum, ho. 12. *Cùm per Dei adiutoriū in poteſtate tua ſit, vt non conſentias diabolo; quare non magis Deo, quàm ipſi obtemperare deliberas? &c quare ad peccandum ſeducit Satanas, cum Deus poſueris hominis in poteſtate non conſentire Satanæ? &c. dat quidem ille* (diabolus ſcilicet) *conſilium, ſed Deo auxiliante noſtrum eſt, vel agere, vel repudiare quod ſuggerit.* Et hom. 16. *In tuo arbitrio Deus poſuit, cui pares locum, Deo an diabolo.* Huic veritati ſubſcripſit etiam S Hier. in c. 49. Iſ. cum dixit: *Dei vocari eſt, & noſtrum credere: nec ſtatim, ſi nos non credamus impotens eſt Deus: ſed potentiam ſuam noſtro arbitrio derelinquit, vt iuſtè voluntas præmium conſequatur.* Et S. Fulg. lib. de prædeſt. & gr. cap 9. vbi dicit Deum inter ſe & homines ita ordinaſſe, *vt vocatione ipſius, bonorum principia ſumeremus; vocati autem & illuminati viam mandatorum eius, boni ingenij intelligentia noſceremus, & ea liberè eligeremus vel relinqueremus arbitrio.* S. item Bern. ſer. 5. in Quadrag. *Poteſt* inquit, *inimicus excitare tentationis motum; ſed in te eſt, ſi volueris, dare ſeu negare conſenſum.*

3 Cùm igitur in his S. Aug. aliorumq; SS. Patrum teſtimonijs, agatur de homine in ſtatu naturæ lapſæ, de illoq; dicatur quod à Deo adiutus & auxilio gratiæ præuentus, liber remaneat ad obtemperandum Deo vel diabolo, ad conſenſum tentationi dandum vel negandum, ad bonum eligendum vel relinquendum: inde infertur ſecundùm illorum mentem, gratiam medicinalem æquè ac gratiam ſanitatis, nullam inferre homini ad agendum neceſſitatem; illumque, ſi velit, poſſe gratiam illam ſequi, vel abijcere, & illi conſentire vel diſſentire: ac proinde fictitiam eſſe illam differentiam, quam Caluinus inter vtramq; gratiam, in odium Conc. Trid. inuehere conatus eſt.

SECTIO V.

An gratia neceſſaria ſit ad cognoſcendum quodlibet verum.

1 NON agimus hìc de neceſſitate gratiæ habitualis ſanctificantis: certum eſt enim ſine illa quodlibet verum cognoſci poſſe: vnde S. Aug. lib. 1. retract. c. 4. retractauit id quod dixerat lib. 1. Soliloq. cap. 1. Deum, nonniſi mundos corde, verum ſcire voluiſſe.

Quæſtio igitur intelligi debet de neceſſitate gratiæ actualis, ad cognoſcendum quodlibet verum in ſtatu naturæ lapſę, de quo ſolo in hac ſectione agitur. Sunt autem veritates, quæ ab homine cognoſci poſſunt, in duplici differentia: aliæ naturales, quæ vel ex obiectis ſenſibilibus cognoſci, vel naturali diſcurſu intelligi poſſunt: aliæ ſupernaturales, ad quarum cognitionem neque per obiecta ſenſibilia, neque per naturalem diſcurſum perueniri poteſt. Rurſum vtriuſque generis veritates ſunt, vel ſpeculatiuæ, vel practicæ: ſpeculatiuæ ſunt earum rerum, quæ tantummodò cognoſcendæ ſunt, vt animam hominis eſſe immortalem: practicæ vero, illarum, quæ non ſolùm cognoſcendæ, ſed etiam & faciendæ ſunt, vt virtutem eſſe amplectendam. Hac diſtinctione ſuppoſita, pro quæſtionis propoſitæ reſolutione,

2 Dicendum 1. quamlibet veritatem ſpeculatiuam naturalem, quæ ex effectis aut obiectis ſenſibilibus deducitur, poſſe cognoſci ſeorſim ab homine per ſolas naturæ vires, abſque vllo ſpeciali gratiæ auxilio. Ita S. Th. 1. 2. q. 109. a. 1.

Conſtat ex eo quod talis cognitio non ſuperat naturę vires, cum ſit de obiecto naturali per media naturalia cognoſcendo: Vnde & ipſi Etnici Philoſophi tam multa de rebus creatis perſpecta naturaliter habuerunt, imo & de Deo ipſo, iuxta quod dicit Apoſtolus Ro. 1. *Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* Conſtat præterea ex eo quod S. Aug. lib. 1. ad Simplicianum q. 2. ait, Deum in eligendis hominibus ad gratiam ſalutarem, neque ingenium, neque ſcientiam & doctrinam attendere, vnde ſequitur ſcientiam & doctrinam ante omnem gratiam haberi poſſe.

Obijcies, multa eſſe in rebus naturalibus etiam ſeorſum ac diſtributiuè ſumptis, quæ à nobis cognoſci nequeunt, v.g. quænam ſint vltimæ rerum differentiæ, & ſimilia.

Reſpondetur quàm plurima ex ijs non cognoſci re vera de facto, quia eorum proprietates vel effectus aliquando non ſatis apparent: nos vero in concluſione egimus, non de quibuſcumque veritatibus naturalibus, ſed de ijs dumtaxat, quæ ex effectis & obiectis ſenſi-

bilibus deducuntur. Adde etiam mixta ex ijs naturaliter ſciri poſſe, quæ tamen non cognoſcuntur: quia non ſatis diligenter inueſtigantur, & etiam multa ſciri à quibuſdam, quæ tamen putantur eſſe adhuc incognita.

Inſtabis in Concilio Arauſicano 1. can. 9. dici diuini muneris eſſe, cognoſcere veritatem.

Reſpondetur, Concilium ibi loqui de cognitione ſupernaturali, quæ conferat ad veram & Chriſtianam pietatem, vt patet ex canonibus præcedentibus & conſequentibus; non vero de naturali, de qua ſola hìc quæſtio eſt.

3 Dicendum 2. veritates ſpeculatiuas ſupernaturales non poſſe naturaliter ab homine cognoſci, ſed tantùm per ſpecialem gratiam ac reuelationem Dei.

Probatur 1. ex Scriptura 1. Co. 7. *Miſericordiam conſecutus ſum, vt ſim fidelis:* Vnde S. Auguſtinus lib. de grat & libero arb. cap. 7. colligit ipſam fidem non haberi niſi Deo miſerante, & cap. 14. ex ijs verbis Apoſtoli ad Philipp. 1. *Vobis donatum eſt, non ſolum vt in ipſum credatis, ſed etiam vt pro illo patiamini.* Idem S. Aug. rectè infert Dei donum eſſe, æquè in eum credere, ac pro eo pati.

Probatur 2. ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 3. vbi dicitur anathema ei, qui aſſeruerit hominem pro ſe, ſine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione & adiutorio, credere ſicut oportet.

Porro ex his vltimis Concilij verbis colligitur, poſſe quidem hominem per ſolas naturæ vires aſſentiri veritatibus fidei ſibi exterius propoſitis, aſſenſu quidem opinatiuo, ita vt ratio, propter quam illis aſſentitur, non ſit diuina reuelatio, ſed motiuum aliquod probabile: vt in hæreticis contingere cernimus, quorum hìc aſſentiendi modus proprius eſt: At vero iiſdem veritatibus aſſentiri non poſſe, ſicut oportet, id eſt, aſſenſu certo & infallibili, authoritate Dei reuelantis innixo, ſine ipſius diuinæ gratiæ auxilio ſpeciali.

4 Dicendum 3. hominem non poſſe per proprias vires vllam veritatem practicam ſupernaturalem cognoſcere, poſſe tamen aliquas practicas naturales, licet non omnes. Aſſertio conſtat tribus partibus.

Prima ſatis conſtat ex ijs, quæ pro ſecunda concluſione iam diximus, & confirmari poteſt ex Conc. Mileuitano, ſeu Carthaginenſi can. 4. vbi dicitur *donum Dei eſſe ſcire, quid facere debeamus:* ſupple ad vitam æternam conſequendam, de qua ibi loquitur Conc.

Secunda aſſertionis pars probatur 1. ex Apoſtolo Ro. 1. vbi dicit Philoſophos inexcuſabiles fuiſſe, quia cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt: vnde ſequitur illos, non tantùm ſpeculatiuè cognouiſſe vnum eſſe Deum, ſed & practicè illum eſſe glorificandum & colendum; aliàs ſi hoc inuincibiliter ignoraſſent, fuiſſent

excu-

excuſabiles; cùm ad culpam non deputetur (iuxta S. Auſt. l. 3. de lib. arb. c. 18.) quod quis inuitus ignorat. Probatur 2. ex eodem S. Aug. in Pſ. 57. vbi dicit præceptum illud noſtris cordibus ipſa veritatis manu ſcriptum eſſe: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.*

Tertia denique pars aſſertionis conſtat, tum ex humanæ mentis imbecillitate; tùm ex difficultate, quæ plerumq; occurrit ad diſcernendum bonum à malo in multis caſibus particularibus: tùm etiam ex contrarijs paſſionibus; quibus tanquam nubibus mens obſcuratur; ſępè enim euenit ſentientem appetitum in obiectum ſibi conueniens, licet aliunde à recto rationis ordine alienum, vehementi motu abripi: vnde ſequitur mentis languor & obnubilatio, exhauſtis per fomitis æſtum animæ viribus, iuxta illud Sap. 9. *cognitiones mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ: corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam; & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.*

SECTIO VI.

An poſſit homo velle, aut facere bonum aliquod ſine gratia.

2 QVÆSTIO intelligenda eſt non de gratia habituali, de qua ſequenti ſectione agetur, ſed de actuali: an ſcilicet homo bonum aliquod opus, ſine illius auxilio, velle aut facere poſſit. Pro cuius reſolutione,

Dicendum 1. neminem ſine ſpeciali diuinæ gratiæ auxilio poſſe velle, aut perficere bonum aliquod opus, quod ad ſalutem æternam conſequendam conferat. Eſt de fide contra Pelagianos.

Probatur 1. ex Scriptura 1. Cor. 15. *Gratia Dei ſum quod ſum.* Epheſ. 2. *Gratia ſalui facti eſtis.* Philipp. 1. *Qui cœpit in vobis opus bonum, ipſe perficiet.* Plura alia Scripturæ teſtimonia pro confirmatione illius veritatis videri poſſunt paſſim in libris S. Hieron. ac S. Aug. contra præfatos hæreticos conſcriptis.

Probatur 2. ex Concilijs Mileuitano, Carthaginenſi, Arauſicano; & ex ſummis Pontificibus Innocentio, Zozimo, Cæleſtino & Gelaſio; quorum authoritates fusè retulimus ſuprà ſect. 2. & præterea Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 1. 2. & 3. vbi anathema profertur in eum qui dixerit, hominem poſſe ſine Chriſti gratia iuſtè viuere, & vitam æternam promereri.

Probatur 3. hac ratione qua vtitur ſanctus Thomas 1. 2. q. 109. art. 5. quia actus perducentes ad finem, ipſi fini proportionati eſſe debent. Atqui vita æterna eſt finis excedens naturæ humanæ proportionem. Ergo actus ad eam perducentes, ipſius naturæ proportionem exce-

exce*ere debent; proindeque ſolis illius viribus, ſine diuinæ gratiæ auxilio, fieri nequeunt.

2 Dicendum 2. probabile eſſe, quòd homo per proprias arbitrii vires, cum ſolo generali Dei concurſu, ſine vllo gratiæ actualis auxilio, aliquod bonum opus morale (quod tamen nihil ad æternæ vitæ meritum conferat) perficere poſſit; probabilius tamen eſſe quod non poſſit; ſed quod ad perficiendum quodcumque opus, quod ſit ex omni parte moraliter bonum, tam ratione obiecti, quàm finis & circunſtantiarum, aliquo diuinæ gratiæ auxilio indigeat. Hæc aſſertio duas habet partes.

In 1. dicimus probabile eſſe, quòd homo per proprias arbitrii vires poſſit aliquod opus bonum moraliter exercere: Quia multi graues authores ita exiſtimant, vt Magiſter ſententiarum in 2. diſt. 26. cap. vlt. S. Bonau. Scotus, Durandus, Caiet. Bellarm. Suar. Gàmmach. & alii plures. Idque probat variis tùm authoritatibus, tùm rationibus, quæ apud illos videri poſſunt.

In 2. verò aſſertionis parte dicimus probabilius eſſe hominem in ſtatu naturæ lapſæ, nullum opus ex omni parte moraliter bonum poſſe reipſa efficere cum ſolo generali Dei concurſu: ſine ſpeciali aliquo gratiæ auxilio. Ita Greg. Ariminenſis, Hiſpalenſis, Capreolus, Petrus; Sotus, & plures alii, quos citat & ſequitur Vaſquez. diſp. 190.

Probatur 1. ex Scriptura S. Ioan. 15 vbi Chriſtus Dominus dicit: *Sine me nihil poteſtis facere*: in quæ verba S. Auguſt. tract. 81. in S. Ioan *Siue ergo parum*, inquit, *ſiue multum ſine illo fieri non poteſt, ſine quo nihil fieri poteſt*. Et 2. Cor. 3. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*, Atqui nullum opus moraliter bonum fieri poteſt, niſi bona aliqua cogitatio præcedat.

Probatur 2. ex Cœleſtino Papa Epiſt. ſuprà cit. ad Epiſcopos Galliæ can. 9. vbi ait omnem ſanctam cogitationem, pium conſilium, omnemque bonæ voluntatis motum ex Deo eſſe. Et ex Concilio Arauſicano 2. can. 22. vbi dicitur quod *Nemo habet de ſe, niſi mendacium & peccatum*.

Probatur 3. ex S. Ambroſio lib. 1. de vocat. gent. c. 3. vbi dicit quòd ſi Deus non operatur in nobis, nullius poſſumus participes eſſe virtutis. Et cap. 9. dicit quod omne verbum bonum & omne opus ſanctum ſubminiſtratio ſit Spiritus ſancti, ſine quo nihil rectè agatur. Et ex S. Aug. ſer. 13. de verbis Apoſtoli, vbi loquens de auxilio gratiæ Dei; *Prorſus* inquit, *ſi defuerit, nihil boni agere poteris. Agis quidem, illo non adiuuante, libera voluntate ſed male*.

Probatur 4. authoritate S. Doctoris q. 14. de veritate, art. 14. vbi poſtquam dixit ſine gratia habituali fieri poſſe aliquod virtutis

opus,

opus, ſtatim adiungit: *Sed ſi velimus gratiam Dei dicere, non aliquod habituale donum, ſed ipſam miſericordiam Dei, perquam interiùs motum mentis operatur, & exteriora ordinat ad hominum ſalutem: ſic nec vllum bonum poteſt homo facere ſine gratia Dei.* Et 1.2 q. 109. a.2. dicit hominem poſſe quidem, etiam in ſtatu naturæ, corruptæ, per virtutem ſuam naturalem aliquod bonum particulare agere, ſicut ædificare domos, plantare vineas, & alia eiuſmodi: non tamen totum bonum ſibi connaturale, ita vt in nullo deficiat.

3 Probatur denique hac ratione deducta ex iis quæ idem S. Doctor dixit, tum in corpore articuli, tum in reſponſione ad 1. Nullum vnquam opus bonum morale homo deliberatè vult aut facit, quin aliqua præcedat deliberatio rationis, quæ ſemper ex aliqua prima cogitatione, indeliberata pendet: quæ niſi occurrat, nunquam de tali bono faciendo deliberabit nec proinde illud vnquam faciet: vnde Ariſtoteles à S. Doctore ibidem citatus dicit, initium bonæ conſultationis eſſe a bona fortuna, id eſt, non procedere ab ipſius hominis deliberata voluntate. Quod igitur talis ante omnem deliberationem in mente hominis exoriatur cogitatio, qua moueatur eius voluntas ad aliquod bonum faciendum, ab eius electione non pendet, neque id ex ſe præſtare poteſt. *Nemo enim* (vt ait S. Aug. lib. de ſpirit. & lit. c. 33.) *habet in poteſtate, quid ei veniat in mentem.* Vnde ſequitur illud ſpeciali diuinæ prouidentiæ ordinationi adſcribendum eſſe, reſpectu cuius nihil fortuitò indeliberatè accidere pòteſt. Proindeque quoties aliquis bonum aliquod opus vult, & exequitur, illius initium ſpeciali diuinæ beneficētiæ auxilio ſemper aſcribere tenetur. Quod quidem auxilium cùm alias ſit ipſi indebitum, neque vlla poſſit afferri ratio, cur hanc potiùs quam aliam cogitatio nemeius menti Deus immittere teneatur; rectè ac merito gratuitum ſeu gratiæ diuinæ auxilium dici debet.

Confirmatur ex eo quòd rectè à Deo per Chriſti merita petimus aut petere poſſumus gratiam, ad quoduis etiam minimum opus virtutis moralis exercendum, item rectè ipſi Deo gratias agimus pro ſingulis virtutum moralium actibus per nos exercitis. Atqui, vt dicit S. Aug. Epiſt. 107. *Prorſùs non oramus Deum, ſed orare fingimus, ſi nos ipſos non illum credimus facere quod oramus: prorſùs non agimus gratias Deo, ſed agere fingimus, ſi vnde illi gratias agimus ipſum facere non putamus.*

Obijcies illud Apoſtoli Rom. 12. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt.*

4 Reſpondetur varias eſſe huius dicti Apoſtolici interpretationes: ac veriſſimam omnium illam videri, quam profert Sanctus Auguſt. libro de Spirit. & litt. capite 26. Sanct. Proſper, lib. cont Collat. capite 12. Sanct. Fulgent. lib. de Incarnat. cap. 25. Sanct. Thom. in

illum

illum locum, & alij: Apoſtolum ibi loqui de gentilibus veri Dei cultoribus, & abſque circumciſione, aliiſque ſcriptæ legis ceremonijs, benè operantibus, ac diuinam legem ſeruantibus ex vera fide in Deum & auxilio gratiæ, quales fuerunt Melchiſedech, Iob, & alij. Quod autem eos dicit Apoſtolus naturaliter ea, quæ legis ſunt, facere; vult tantùm illos id facere ſine vlla lege ſcripta, qualis data fuerat Iudæis, & propter quam ſe tantoperè ſuprà cæteras gentes efferebant: ſed cum ſola lege naturæ, quæ tamen non excludebat, imò ad ſui obſeruantiam diuinæ gratiæ auxilium requirebat.

Ex dictis colliges quòd ſicut ſine diuinæ gratiæ auxilio non poteſt homo vllum opus bonum facere; ſic etiam illum nullam tentationem (quæ vera tentatio ſit) poſſe perfectè & per aliquod motiuum moraliter bonum ſuperare; cùm vtrobique ſit par ratio. Poterit quidem ſine gratia tentationi alicui leuiori conſenſum denegare, eique reſiſtere ex motiuo aliquo indifferenti; v. g. illicitam aliquam voluptatem repudiare ex motiuo tuendæ ſanitatis, cui noxia eſſet; ſed ex motiuo honeſto & bono, ſine gratia nuſquam poterit: Quia motiuum illud bonum, cuiuſcunque virtutis ſit, ſemper bonam aliquam cogitationem diuinitùs immiſſam præſupponit, vt ex ſupradictis conſtat.

SECTIO VII.

An poſſit homo ſine gratia habituali bonum aliquod opus exercere.

1 QVæſtionis ſenſus eſt; an ſicut actualis gratia, ſic etiam habitualis ad quolibet opus bonum exercendum neceſſaria ſit: ac proinde an homo illa priuatus, & in ſtatu peccati mortalis exiſtens, cum ſolo gratiæ actualis auxilio, aliquod opus moraliter bonum exercere poſſit; ſiue opus illud ſit quocunque modo æternæ vitæ meritorium, ſiue non ſit (de qua re agetur cap.4.) Pro cuius reſolutione,

Dicendum eſt, poſſe aliquod opus moraliter bonum fieri ſine gratia ſanctificante; ſeu hominem in ſtatu peccati mortalis poſſe aliquos actus moraliter bonos exercere.

Huic veritati, quæ de fide eſt, opponitur error Ioannnis Hus, qui vt refertur in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 15. aſſerebat extra ſtatum gratiæ ſanctificantis nullum opus bonum fieri poſſe, & omnia peccatorum opera eſſe peccata. Quem etiam errorem ſecutus eſt Caluinus lib.2. Inſtit.cap.3. & Michael Baius, qui articulo 35. ex iis, qui damnati ſunt in Bulla ſuperiùs relata, dixit: *Omne quod agit peccator, aut ſeruus peccati, aut peccatum eſſe.*

Refelli-

Refellitur hic error, & oppoſita veritas probatur 1. ex Scriptura S. Luc. 11. vbi Chriſtus Dominus alloquens Phariſæos, quos ibidem dicit rapina & iniquitate plenos eſſe: *Veruntamen*, inquit, *date eleemoſynam; & ecce omnia munda ſunt vobis*. Et eodem capite dicit Chriſtus; *petite, & dabitur vobis; quærite, & inuenietis*. Quòd autem illic, non tantùm iuſtos, ſed etiam peccatores alloquatur, conſtat ex eis quæ ſubiungit: *Si ergo vos, cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, &c.* Et capite 18. Publicanus percutiens pectus ſuum, & orans, iuſtificationem impetrat.

Probatur 2. ex Concilio Conſtantienſi, in quo prædictus error damnatus eſt, & ex Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. vbi enumerantur varii actus virtutum, qui ab homine in peccato mortali exiſtente, ex diuinæ gratiæ auxilio exercentur; vt fidei, timoris, ſpei, &c. quibus peccator ad iuſtificationem recipiendam ſe diſponit.

Probatur 3. ex S. Auguſt. Epiſt. 105. vbi in peccatoribus ante iuſtificationem agnoſcit virtutem & meritum fidei: *Nec ipſa*, inquit, *remiſſio peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetrat; neque enim nullum eſt meritum fidei*.

Probatur 4. ex eo quod multa ſunt opera virtutum, puta religionis, temperantiæ, &c. ad quæ exercenda etiam peccatores legibus Eccleſiaſticis obligantur; v. g. ad Miſſam diebus feſtiuis audiendam, ad ieiunium certis diebus ſeruandum, &c. Nec tamen legimus Eccleſiam vllo canone aut lege, eiuſmodi hominibus in peccato mortali exiſtentibus iniunxiſſe; vt antequam Miſſæ celebrationi interſint, aut ieiunij obſeruationem inchoent, de peccatis ſuis confiteantur; aut ſaltem perfecto contritionis actu doleant; ſicut iniunxit iis, qui ſacram Euchariſtiam, aut alia ſacramenta eſſent ſuſcepturi, vel eadem confecturi: aut aliis miniſtraturi. Quod tamen haud dubiè feciſſet, ſi nullum opus virtutis moraliter bonum à peccatoribus exerceri poſſe exiſtimaſſet.

Obijcies Iſa. c. 1. dici ſacrificia, & quæcunque alia opera religionis à peccatoribus exercita, eſſe Deo exoſa & abominanda.

Reſpondetur non ideò præciſè opera illa Iudæorum fuiſſe Deo exoſa, quia ipſi Iudæi peccatores eſſent; ſed quia illa ex praua intentione, & cùm aliis vitioſis circumſtantiis exercebant? vt patet ex his verbis quæ immediatè ſequuntur: *Manus enim veſtræ plenæ ſunt ſanguine, & in die ieiunij veſtri, inuenitur voluntas veſtra*.

Quæres, an ſicut abſque gratia ſanctificante poteſt homo aliquod bonum opus exercere, ſic etiam poſſit ſine illa omnia diuinæ legis præcepta ſeruare.

Reſpondetur, ſi de præceptis illis quæſtio ſit, quæ ad actus aliquos ſupernaturales exercendos obligant: quamuis aliqua eorum ſine gratia ſanctificante impleri poſſint, omnia tamen & ſingula non poſſe,

cùm

cùm aliqua ex iis ſint, quorum obſeruatio gratiam ſanctificantem in homine præſupponit, quale eſt præceptum de Euchariſtia dignè ſumenda. Quòd ſi de præceptis ſolius legis naturalis quæſtio intelligatur, dicendum eſt, quod quamuis ad obſeruationem cuiuslibet illorum diuiſè ſumpti, gratia ſanctificans minimè requiratur; ſine illa tamen omnia legis naturalis præcepta collectiuè ſumpta ſaltem tempore aliquo diuturno, ſeruari non poſſe: proindeque hominem in ſtatu peccati mortalis diu ſubſiſtere non poſſe, quin in alia peccata dilabatur. Ita S. Thom. cit. quæſt. 109. art. 4. & 8. vbi dicit hominem non poſſe ſeruare totam legem ſine gratia habituali ſanante, ſeu ſanctificante.

Et probatur ex eo quod dicit Apoſtolus Rom. 2. *Non auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur*: quæ Apoſtoli verba S. Auguſt. lib. de Spirit. & lit. cap. 26. ſic intelligenda eſſe dicit: *Vt ſciamus aliter eos non eſſe factores legis, niſi iuſtificentur, vt non iuſtificatio factoribus accedat, ſed vt factores legis iuſtificatio præcedat.*

Huius autem rei ratio alia non eſt, quàm quod ſi peccator in illo peccati mortalis ſtatu fideliter cooperetur auxiliis gratiæ actualis, quæ ipſi à Deo miſericorditer ſubminiſtrantur ad vincendas tentationes quæ occurrunt, & exercenda bona opera moralia quorum ſeſe offert occaſio; Deus pro ſua ineffabili bonitate abundantiora illi gratiæ ſuæ præſtabit auxilia, in eoque veræ compunctionis ſpiritum excitabit; qui ſecum gratiam ſanctificantem, vel per alicuius Sacramenti ſuſceptionem, vel extra ſacramentum per actum veræ contritionis afferet. Vnde infertur neminem eſſe, qui notabili aliquo tempore torpeſcat in ſtatu peccati mortalis, & non incidat in nouum aliquod mortale peccatum. Si enim per illud tempus internis gratiæ auxiliis, ſibi à Deo ad ſeruanda omnia legis diuinæ præcepta, & ad ſuperandas tentationes occurrentes oblatis, fideliter cooperaretur, Deus haud dubiè prædictum illi compunctionis ſpiritum immitteret, iuxta ſuauem miſericordiæ ſuæ diſpoſitionem, quo efficaciter excitatus, à peccato tandem reſurgeret, & gratiam ſanctificantem conſequeretur.

SECTIO VIII.

An poſſit ſine fide aliquod opus moraliter bonum exercere.

1 QVÆSTIONIS ſenſus eſt, an ſicut ſine gratia ſanctificante, ſic etiam ſine vlla fide ſupernaturali, ſiue habituali, ſiue actuali, poſſit aliquod opus moraliter bonum exerceri: id eſt,

an infidelis, ſiue hæreticus, ſiue ethnicus, aliquod opus moraliter bonum facere poſſit. Pro cuius reſolutione,

Dicendum eſt, poſſe infideles opera aliqua moraliter bona exercere. Ita S.Thom.2 2.q.10.art.4.

Probatur 1. ex Scriptura, in qua laudantur aliqua opera infidelium, tanquam bona: vt Exod. 1. laudantur obſtetrices Ægyptiorum quod Hebræorum maſculis contra iniuſtum Regis edictum pepercíſſent. Et Act. 10. Cornelius centurio adhuc infidelis exiſtens (vt obſeruat S.Thom. ſuprà, dicitur fecisſe eleemoſiynas & orationes obtuliſſe quæ acceptæ Deo fuerunt.

* Probatur 2. authoritate Pij quinti, Gregorij decimi tertij, qui in bullis ſuis contra Baium hanc eius propoſitionem condemnarunt, *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia.*

Probatur 3. ex S.Chryſoſt. hom. de fide & lege naturæ: vbi dicit multos, qui Deum ignorant, bonis operibus florere, quamuis hæc opera ad ſalutem promerendam non ſint ipſis vtilia. Et ex S.Hier. in cap. 1. ad Galat. vbi dicit multos abſque fide & Euangelio Chriſti, multa ſalubriter & ſanctè perficere, v.g. parentibus obſequi, inopi manum porrigere, &c. Item ex S. Auguſt. lib. de Spiritu & litt. cap. 26. vbi dicit quod *impiorum, Deum verum neque veraciter, neque iuſtè colentium, quædam tamen facta legimus, vel nouimus, vel audiuimus, quæ ſecundùm iuſtitiæ regulam non ſolum vituperare non poſſumus, verùm etiam meritò rectéque laudamus.* Et l. 5. de Ciuit. cap. 15. dicit Deum Romanis tam amplum imperium dediſſe in remunerationem bonarum virtutum quæ in ipſis erant. Et Epiſt. 163. de Polemone loquens, quem dicit exhortatione Xenocratis ex luxurioſo continentem eſſe factum. *Quamquam ergo,* inquit, *non fuerit Deo acquiſitus, ſed tantùm à dominatu luxuriæ liberatus; tamen ne idipſum quidem, quod melius in eo factum eſt, humano operi tribuerim, ſed diuino.* Et quibuſdam interiectis: *Polemon ergo ſi ex luxurioſo continens factus, ita ſciret cuius eſſet hoc donum, vt eum abiectis ſuperſtitionibus coleret, non ſolum continens, ſed & veraciter ſapiens, & ſalubriter religioſus exiſteret.*

2 Neque dicas his & ſimilibus locis apud S. Auguſtinum agi de operibus infidelium; quæ fuerunt quidem bona ex obiecto, ſeu (vt ipſe loquitur) ex officio, ſed non ex fine.

Reſpondetur enim opera illa, quæ vt bona referuntur & laudantur à S.Auguſt. citatis locis fuiſſe bona, non tantùm ex obiecto & officio, ſed etiam ex fine, alioquin ſi mala fuiſſent ex fine, ſeu ſi ob prauum aliquem finem facta fuiſſent, ſimpliciter & abſolutè mala fuiſſent, adeòque peccata: vnde ſequeretur, Deum peccata remunerare,

nerare, ad peccata facienda iuuare, peccata eſſe dona Dei, quod abſurdum eſt, & nullatenùs dici debet.

Obijcies 1. illud Apoſtoli Rom.14. *Omne, quod non ex fide, peccatum eſt.*

Reſpondetur, per fidem hoc loco non intelligi fidem Theologicam, ſed dictamen conſcientiæ, vt ex contextu verborum Apoſtoli euidens eſt: Ibi enim agit de nouis Chriſtianis, qui conſcientia reclamante, cibos manducabant, quos vetitos credebant, quia in lege Moſaica vetiti erant: illoſque monet conſcientiam illam erroneam deponere: alias, ſi dùm illis veſcuntur, credant ſibi hoc licitum non eſſe, dicit illos peccatum committere: quia omne, quod fit contra conſcientiæ perſuaſionem, peccatum eſt.

2 Obijcies 2. S. Aug. varijs in locis apertè docere, ab infidelibus nulla opera bona præſtari.

Reſpondetur, illis in locis ſanctum illum Patrem velle tantùm, quòd infideles raró exerceant opera quæ verè bona ſint, propter defectum intentionis, quæ in illis vt plurimum praua erat, ac vitioſa: quamuis alioquin ex auxilio gratiæ diuinæ, qua excitabantur, recta eſſe potuiſſet. Vnde lib. de Spiritu & litt. c 27. loquens de gentilium operibus, dicit, quod, *ſi diſcutiantur, quo fine fiant, vix inuenientur, qui iuſtitiæ debitam laudem mereantur.* Vbi particula (*vix*) indicat aliqua infidelium opera, quamuis rariſſimè, ex recta intentione proceſſiſſe: vel ſi abſolutè aliquando neget, ab infidelibus opera vlla bona exerceri, illum intelligi debere de operibus bonis æternæ vitæ meritorijs: vnde libro 4. cont. Iulianum c. 3. *Scito*, inquit, *nos illud tantum dicere bonum hominis, per quod ſolum poteſt ad æternum Dei donum, regnumque perduci.*

3 Obijcies 3. ex antedictis conſtare nullum opus moraliter bonum ſine diuinæ gratiæ auxilio fieri poſſe: at qui nullum gratiæ diuinæ auxilium in infidelibus, ante fidei perceptionem reperitur.

Reſpondetur falſum eſſe, nullum gratiæ auxilium infidelibus dari ante fidem, docet enim apertè S. Aug. lib. de grat. Chriſti cap. 24. Regem Aſſuerum infidelem, peculiari gratiæ diuinæ auxilio excitatum fuiſſe ac adiutum, vt furorem deponeret, & manſuetudinem ſectaretur. Et ſuprà ex eodem S. Petro vidimus, Polemonem infidelem dono diuinæ gratiæ ex luxurioſo continentem eſſe factum; & capite ſequenti probabitur, omnibus omnino hominibus ac proinde etiam infidelibus antequam fidem recipiant, imò etſi nunquam illam recipiant, gratias ex Chriſti Domini meritis dari ad ſalutem ſufficientes.

* Porro ſuper hac quæſtione vtiliter legi poterit Beati Franciſci Saleſij Epiſcopi Geneuenſij. liber ſecundus de amore Dei, præſertim cap. 11. vbi non minùs, piè quàm eruditè docet & probat Deum

varia gratiæ ſuæ dona infidelibus antè donum fidei elargiri, vt illos ſcilicet ad iſtud accipiendum præparet & diſponat, & ſi fideliter cooperentur, vt tandem illis eximium illud fidei donum tribuat.

SECTIO IX.

An homo in gratiæ habitualis ſanctificantis ſtatu, indigeat aliquo gratiæ actualis auxilio, ad operandum bonum & ad finalem perſeuerantiam conſequendam.

1 QVÆSTIONIS ſenſus eſt, an homo in gratiæ habitualis ſanctificantis ſtatu conſtitutus, præter habitus ſupernaturales fidei, ſpei, & charitatis, aliarumque virtutum quæ ipſam gratiam ſanctificantem comitantur (vt dicetur infra) indigeat aliquo gratiæ actualis auxilio, vt poſſit bonum operari, tentationes occurentes ſuperare, & in illo gratiæ ſanctificantis ſtatu vſque ad finem vitæ perſeuerare. Pro cuius reſolutione,

Dicendum 1. hominem iuſtum ſeu gratia ſanctificante præditum, non poſſe abſque nouo gratiæ actualis auxilio opera exercere æternæ vitæ meritoria. Ita S. Tho. quæſt. 109. art. 9.

Probatur 1. ex Concilio Arauſicano 2. can. 10. vbi dicitur baptizatos omnes, accepta per baptiſmum gratia, poſſe quidem & debere ea quæ ad ſalutem pertinent, adimplere; ſeu Chriſto auxiliante & cooperante. Et ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 16. vbi dicitur Chriſtum Ieſum, tanquam caput in mẽbra & tanquam vitem in palmites, in ipſos iuſtificatos iugiter virtutem influere; quæ virtus bona illorum opera ſemper antecedit, comitatur, & ſubſequitur. Hæc autem, ſaltem de iuſtorum operibus æternæ vitæ meritorijs intelligi debent.

Probatur 2. ex S. Auguſt. lib. de grat. & libero arbit. cap. 6. vbi ſic loquitur. *Neceſſarium eſt homini, vt gratia Dei non ſolum iuſtificetur impius, id eſt ex impio fiat iuſtus cum redduntur ei bona pro malis, ſed etiam cum fuerit iam iuſtificatus ex fide, vt ambulet cum illo in gratia, & incumbat, ſuper ipſam, ne cadat.*

Probatur 3 ex eo quod habitus non mouent potentiam, nec illam ad operandum iuuant; niſi prius ab ipſa potentia applicentur ad operandum, naturalis autem potentia hominis non poteſt per ſeipſam habitum ſupernaturalem applicare ad operandum, niſi ipſa prius excitetur à Deo: cum initium omnis boni operis ex Deo ſit, vt ex antedictis conſtat.

2 Dicendum 2. neque etiam poſſe hominem in ſtatu gratiæ ſanctifican-

ctificantis exiſtentem, vllum cuiuſcumque virtutis opus bonum exercere, abſque aliquo gratiæ actualis auxilio. Ita Sanctus Thom. loco cit.

Probatur 1. ex can. 9. ſuprà citato Concilij Arauſicani: vbi dicitur quod quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiſcum, vt operemur, operatur: & can. 10. dicit adiutorium Dei etiam renatis ac ſanctis eſſe ſemper implorandum.

Probatur 2. eadem ratione, qua ſupra. ſect. 6. oſtendimus, non poſſe hominem ex ſolis naturæ viribus ſine gratiæ actualis auxilio vllum opus moraliter bonum exercere: ratio enim illa id æquè probat de homine in ſtatu gratiæ ſanctificantis exiſtente: cùm in tali ſtatu nullum virtutis actum poſſit exercere, niſi tales in eius mente oriantur cogitationes, quibus moueatur voluntas ad illius virtutis actum exercendum: hæ autem cogitationes, cùm omnem deliberationem præueniant, ex ſola Dei miſericordia prouenire cenſendæ ſunt, ac proinde Chriſti Domini gratiæ aſcribi debent.

Dicendum 3. non poſſe hominem in ſtatu gratiæ vſque in vitæ ſuæ finem perſeuerare, abſque ſpeciali diuinæ gratiæ auxilio. Ita S. Thomas ſuprà artic. 10.

Conſtat ex antedictis. Cùm enim homo ſine auxilio gratiæ actualis nullam tentationem vincere, nec vllum bonum opus exercere poſſit; à fortiori ſequitur nec poſſe, ſine ſpeciali gratiæ auxilio, in accepta iuſtitia vſque in vitæ finem perſeuerare: cùm perſeuerantia illa obtineri nequeat, niſi per exercitium bonorum operum, & victoriam tentationum occurrentium, vt fusè docet & explicat Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 13. Et can. 22. anathema profert in eum qui dixerit, iuſtificatum ſine ſpeciali Dei adiutorio in accepta iuſtitia perſeuerare poſſe. Eodem ſenſu dixit Cœleſtinus Papa in Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ can. 6. *Neminem etiam baptiſmatis gratia renatum, idoneum eſſe ad ſuperandas diaboli inſidias; niſi per quotidianum Dei adiutorium perſeuerantiam bonæ conuerſationis accipiat.* Quod optimè explicat S. Hieron Epiſt. ad Creſiphontem aduerſus Pelag. capite 3. his verbis; *Non ſufficit mihi, quòd ſemel gratiam mihi donauit, niſi ſemper donauerit: peto vt accipiam, & cum accepero rurſus peto, auarus ſum ad accipienda Dei beneficia nec ille deficit in dando, nec ego ſatior in accipiendo.*

§ Dices contingere poſſe, vt aliquis ſtatim poſt acceptam iuſtificationem ex hac vita decedat, in quo caſu nullum ſpeciale gratiæ actualis auxilium illi ad perſeuerandum neceſſarium eſt.

Reſpõdetur in tali caſu poſſe quidem hominem perſeuerare abſque nouo gratiæ actualis auxilio, ſed non ſine nouo & indebito fauore, ac dono diuinæ miſericordiæ, quo fit vt ex hac vita in eo ſtatu ſubtrahatur, & ex varijs & maximis ſalutis amittendæ periculis ſingulari

gulari Dei beneficio eruatur: iuxta quod dicitur Sap. 4. *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius: placita enim Deo erat anima illius: propter hoc parauit illum educere de medio iniquitatum.*

Quæres, an homo in gratia ſanctificante conſtitutus poſſit cum auxilio gratiæ, omnia & ſingula peccata venialia deuitare.

Reſpondetur 1. certum eſſe, quodlibet peccatum veniale diuiſiuè ſumptum poſſe ab homine iuſto cum ordinario gratiæ auxilio deuitari. Poſſe item tot & tanta, tamque ſpecialia gratiæ auxilia homini iuſto à Deo communicari, vt eorum beneficio vitam ab omni prorsus veniali peccato immunem ducat; hoc enim reipſa factum eſſe in ſanctiſſima Virgine Maria, vniuerſa tenet Eccleſia, vt patet ex Concilio Tridentino, ſeſſione 6. capite 3.

Reſpondetur 2. ſi quæſtio ſit, an homo iuſtus cum illis gratiæ auxilijs, quæ communiter iuſtis dantur, omnia & ſingula peccata venialia per totum vitæ tempus euitare poſſit, illum id non poſſe.

Hoc enim expreſsè definitum eſt in citato canone 23. Conc. Trident. in quo damnatur qui dixerit, hominem iuſtificatum poſſe in tota vita, peccata omnia etiam venialia, vitare: niſi ex ſpeciali Dei priuilegio. Id etiam probat S. Augu. Epiſt. 89. q. 1. ex his orationis Dominicæ verbis (*dimitte nobis debita noſtra:*) *Omnibus enim* inquit, *neceſſaria eſt Oratio Dominica, quã etiam ipſis Apoſtolis ſuis Dominus dedit, vt vnuſquiſque Deo dicat: dimitte nobis debita noſtra: cui enim hæc in oratione verba neceſſaria non fuerint, ipſe hic ſine peccato viuere pronunciandus eſt, quales ſi aliquos futuros Dominus prauideret, meliores vtique quàm extiterunt eius Apoſtoli, aliam orationem illos doceret.*

CAPVT II.

De Gratia ſufficienti.

SECTIO II.

Quid ſit gratia præueniens, excitans, & operans.

1 AD faciliorem eorum quæ de gratia ſufficienti dicturi ſumus, intelligentiam; priùs hic explicandæ ſunt variæ ſpecies, ſeu acceptiones ipſius gratiæ actualis.

Alia ſiquidem eſt gratia excitans, alia adiuuans. Vtriuſque mentio fit Apoc. 3. *Sto ad oſtium & pulſo*: (en gratia excitans) *ſi quis aperuerit, introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum* (en gratia adiuuans.) Et in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 5. *Vt qui per peccatum à Deo auerſi erant, per eius excitantem atque adiuuantē gratiam, ad conuertendum ſe ad ſuam ipſorum iuſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo & cooperando diſponatur.*

Alia item gratia operans, alia cooperans. De operante loquitur Apoſtolus Philipp. 2. *Deus, eſt qui operatur in nobis velle & perficere.* De cooperante. 1. Cor. 15. *abundantius omnibus laboraui; non ego, ſed gratia Dei mecum* De vtraque loquitur S. Auguſt. lib. de gr. & lib. arb. c. 17. *Deus*, inquit. *cooperando in nobis perficit quod operando incipit.* Et paulò pòſt, *ſine illo enim vel operante vt velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.*

Alia denique gratia præueniens, comitans, & ſubſequens. De præueniente dicitur Pſalm. 58. *Miſericordia eius præueniet me.* De comitante Pſalmo 72. *Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me.* De ſubſequente verò Pſalm. 22. *Miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* De his etiam tribus mentio fit in Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 16. vbi dicitur Chriſtum Dominū in ipſos iuſtificatos influere virtutē, quæ bona illorū opera antecedit, comitatur, & ſubſequitur. Iā aliquid de ſingulis dicamus.

2 Gratia excitans (quæ eadem eſt cum præueniente & operante vt rectè obſeruat Gammachæus in 1. 2. qu. 111. cap. 3. & ratione tantùm ab illis diſtinguitur) nihil eſt aliud, quàm motus aliquis bonus, tàm intellectus quàm voluntatis in nobis à Deo, ſine nobis productus; quo nos excitat, vel ad bonum liberè proſequendum, vel ad malum fugiendum.

Dicitur in primis, motus: quia non conſiſtit in dono vllo habituali, ſed in auxilio aliquo actuali, vt conſtat ex antedictis & ex dicendis adhuc patebit.

Dicitur motus intellectus: quia conſiſtit in pia cogitatione & illuſtratione intellectus, quod conſtat ex Concil. Arauſicano 2. can. 7. & Tridentino ſeſſ. 6. cap. 5. vbi gratia illa, de qua nunc loquimur, vocatur illuminatio.

Dicitur prætereà, motus voluntatis. Illa enim gratia excitans comprehendit non tantùm ſanctas cogitationes & illuſtrationes intellectus: ſed etiam repentinos & indeliberatos motus voluntatis, puta delectationis, timoris, & ſimiles: vnde dicitur in Concilio Arauſicano can. 7. Spiritum ſanctum dare ſuauitatem in credendo, & conſentiendo veritati.

Dicitur etiam, motus illos intellectus & voluntatis in nobis à Deo produci: Quia Deus illos in nobis efficit, idque non ſolùm quatenùs

tenùs in eos influit per veram actionem phyſicam; verùm etiam quia ſoli Deo eiuſque gratuitæ miſericordiæ tribuendum eſt, quod in nobis exorti ſint; cum in noſtra poteſtate non fuerit, vt orirentur; vt conſtat ex ijs quæ capite præcendenti dicta ſunt. Vnde S. Augſt. lib. 1. ad Simplicianum q. 2. *Vocanti Deo rectè tribuitur quod benè volumus; nobis verò tribui non poteſt, quod vocamur.*

3 Dicitur denique præfatos motus in nobis ſine nobis fieri: Quia quamuis fiant in nobis phyſicè & vitaliter in eos influentibus in genere cauſæ efficientis; (quod conſtat ex eo quòd eiuſmodi gratiæ excitantis motus paſſim in Scripturis & apud SS. Patres exprimuntur per actus vitales intellectus & voluntatis) fiunt tamen ſine nobis liberè operantibus: cùm omnem deliberationem ac libertatis vſum præueniant, vt patet ex antedictis, & ex ipſamet experientia, qua conſtat in noſtra poteſtate non eſſe, vt hi motus in nobis vel oriantur, vel non oriantur: licet poſtquam exorti ſunt, liberum in nobis ſit, ipſos vel continuare, vel interrumpere *Nemo* (inquit S. Auguſt. lib. de Spir. & lit.) *habet in poteſtate quid veniat in mentem, ſed conſentire, vel diſſentire, voluntatis eſt.*

Ex dictis patet qua ratione eadem gratia dicatur præueniens, excitans, & operans. Dicitur enim præueniens, quatenùs non ſolùm omne meritum noſtrum, ſed etiam omnem libertatis vſum præuenit. Dicitur excitans, quatenùs potentias animæ noſtræ excitat, & per modum ſuaſionis impellit ad bonum, vel retrahit à malo: vnde S. Auguſt. lib. de Spir. & lit. c. 34. *Suaſionibus*, inquit, *agit Deus, vt velimus & credamus.* Dicitur denique operans, quatenùs operatur in nobis, vt velimus ſeu conſentiamus, inclinado & mouendo voluntatem ad volendum; ſiue reipſa conſenſum obtineat, ſiue non; qui enim alteri aliquid ſuadere nititur, dicitur operari & laborare, vt alter id velit & præſtet; ſiue perſuadeatur ille, ſiue non perſuadeatur.

SECTIO II.

Quid ſit gratia adiuuans, cooperans, comitans, & ſubſequens.

1 GRATIA adiuuans, quæ & cooperãs vel comitans dicitur, illa eſt, ſecundùm S. Auguſtinum lib. de gr. & lib. arb. cap. 17. *Per quam Deus volentibus cooperatur perficiens*; ſeu per quam Deus, cùm volumus bonum, aut illud exequimur, nos ad illud volendum & exequendum adiuuat, ac nobiſcum cooperatur.

Cùm autem difficillimum ſit explicare quid ſit illud per quod Deus ad id nos adiuuat, ac nobiſcum cooperatur: hinc factum eſt, vt

Theologi ſuper hac re in varias ſententias diſtracti ſint. Nos in re valdè abſtruſa, aliorum omiſſis ſententijs, id quod nobis probabiliſſimum viſum eſt, breuiter proponemus.

Dicimus 1. probabile eſſe id, quod aſſerunt aliqui Doctores: gratiam ſcilicet excitantem & operantem poſſe aliquando habere veram rationem gratiæ adiuuantis ſeu cooperantis: tunc nimirum cùm ſic allicit voluntatem ad conſentiendum, vt re ipſa conſentiat.

Hoc conſtat ex eo quod gratia illa, quæ cauſat conſenſum noſtrum liberum, eſt gratia adiuuans ſeu cooperans: ad gratiam enim cooperantem nihil aliud requiritur, quàm vt ſit gratia, & vt nobiſcum operetur. Atqui talis eſt aliquando gratia operans: quia eſt vera gratia, vt ex antè dictis conſtat; & quando voluntas illi conſentit ac bonum operatur, eſt cauſa moralis ipſius conſenſus & boni operis quod fit; omnis enim impulſio, exhortatio, ſuaſio (qualis eſt gratia operans, vt ſuprà diximus) vi cuius voluntas ſic allicitur ad aliquid boni benè volendum & faciendum, vt re ipſa velit & faciat; eſt cauſa moralis efficiens ipſius volitionis, & operis quod fit. Hinc S. Auguſtinus varijs in locis aſcribit conſenſum noſtrum liberum in bonum, gratiæ operanti tanquam cauſæ, quæ illum efficit, vt lib. 1. de prædeſt. ſanct. cap. 19. Deus inquit, *operatur in cordibus hominum vocatione illa ſecundùm propoſitum ſuum, vt non inaniter audiant; ſed eo audito conuertantur.*

Eſt autem hìc aduertendum, etiam ſi ſupradicti Doctores dicant gratiam excitantem & operantem eſſe quoque poſſe adiuuantem, & cooperantem: illos tamen hæc duo confundere; quaſi ſit idem, eſſe gratiam operantem & cooperantem, excitantem & adiuuantem. Hoc enim tantùm intendunt, eandem entitatem gratiæ dici poſſe operantem & cooperantem varia conſideratione: operantem quidem, quatenus illam in nobis Deus ſine nobis producit, & vt ſic vim habet in actu primo efficiendi conſenſum liberum noſtræ voluntatis; ſiue illum in actu ſecundo efficiat, ſiue non efficiat. Cooperantem verò, quatenùs reipſa moraliter in eum influendo, ipſum ſimul cum noſtra voluntate in actu ſecundo cauſat & efficit.

3 Dicimus 2. quemlibet ſupernaturalem habitum virtutum infuſarum poſſe quoque habere rationem gratiæ cooperantis.

Eſt enim donum aliquod ſupernaturale naturæ noſtræ minimè debitum, quodque primam originem ex pura Dei miſericordia ducit ac phyſicè concurrit ſimul cum voluntate ad operationes ſupernaturales, quas vt eliceremus, ab ipſa gratia operante excitati ſumus.

Dicimus 3. influxum ſupernaturalem, quo Deus phyſicè nobiſcum concurrit ad conſenſum noſtrum liberum & opera bona; veram & propriam rationem habere gratiæ cooperantis.

Eſt enim donum aliquod Dei, naturæ noſtræ minimè debitum,

ac proinde merè gratuitum ; per quod cum volumus (vt ait Sanctus Auguſt lib. de gr.& lib.arb.c.7.) & ſic volumus vt faciamus , Deus nobiſcum operatur: ac proinde veram gratiæ cooperantis rationem obtinet.

Iam quod ſpectat ad gratiam ſubſequentem , omiſſis variis eius acceptionibus, quæ paſſim apud Theologos videri poſſunt ,

Dicimus per illam intelligi poſſe gratiam illam , quæ liberum noſtrum conſenſum in bonum ſubſequitur : interiùs excitando ad bonum opus exequendum , cùm eius exequendi oportunitas exhibetur , & ad illius boni executionem , ſi conſentiat voluntas , concurrendo. Vnde S. Fulgentius ad Monimum c.11. *Prænenit*, inquit, *Deus & donat homini bonam voluntatem; deindè ſubſequitur benè volentem, operando in illo boni operis facultatem*.

Hinc patet gratiam ſubſequentem nihil in re differre ab operante & cooperante : ſed tantùm in eo quòd aliquam priorem gratiam tam operantem quàm cooperantem, præſupponit.

SECTIO III.

An detur aliqua gratia ſufficiens.

1 PRÆTER ſuprà relatas & explicatas gratiæ actualis diuiſiones , ſupereſt adhuc vna , in qua maior difficultas reperitur : quà ſcilicet ipſa gratia excitans ſeu operans ſubdiuiditur in ſufficientem & efficacem. Quæ antequam explicetur , obſeruandum eſt nomen gratiæ ſufficientis bifariam ſumi apud Theolog. 1. genericè , prout conuenit gratiæ tam efficaci quàm inefficaci. 2. ſpecificè , prout eſt ſpecies quædam ipſius gratiæ ſufficientis genericè ſumptæ, ac ipſi gratiæ efficaci opponitur, eique tanquam imperfectiori ſpeciei nomen genericum attribuitur.

Gratia ſufficiens genericè ſumpta , eſt ea, quæ vires homini ſufficientes præbet ad benè operandum, quamque ſi velit, abiicere poteſt; ſiue de facto illam abiiciat; ſiue illi aſſentiatur & cooperetur . Et eo ſenſu gratiæ ſufficientis nomen tam efficaci quàm inefficaci tribui poteſt. Vnde gratia illa , quæ S. Paulo diuinitùs conceſſa eſt , & per quam tentationes ſuperabat , ac ſalutem operabatur , quæque proinde efficax erat, ſufficiens nominatur 2. Cor. 12. *Sufficit tibi gratia mea*. Et S. Proſper lib. de vocatione Gentium cap. 10. gratiam , quæ ſalutem reipſa operatur, ſufficientem vocat. Gratia ſufficiens ſpecificè ſumpta , eſt ea quæ homini præbet quidem vires ad benè operandum, ſeu cum qua poteſt homo benè operari, quamuis reipſa non benè operetur, defectu liberæ cooperationis.

2 Gratia verò efficax ea eſt, cum quia ita poteſt homo benè operari, vt etiam reipſa benè operetur.

Iam circa ipſam ſufficientem gratiam, ſiue genericè, ſiue ſpecificè ſumptam, duæ ſunt præcipuæ difficultates à nobis ſoluendæ. Prima eſt, vtrùm in ſtatu naturæ lapſæ Deus talem hominibus det gratiam excitantem & operantem, cui conſenſum præbere vel negare, & quam recipere, vel abiicere poſſint ſi velint; imo quam de facto aliquando abiiciant, illique diſſentiant. Secunda eſt, an talis gratia ſufficiens detur omnibus hominibus adultis, ſiue fidelibus ſiue infidelibus.

Circa primam duæ ſunt ſententiæ erroneæ, & ab Eccleſia proſcriptæ, quæ licet inter ſe valdè oppoſitæ videantur; in eo tamen conueniunt, quod gratiam illam ſufficientem dari negent.

Prima ſententia eſt Pelagianorum: qui (vt ſupra vidimus) cùm exiſtimarent voluntatem hominis ſibi ipſi ſufficere ad bonum quodlibet operandum, & ad ſalutem conſequendam; ideò negabant vllam dari gratiam internam ſufficientem, quæ voluntatis humanæ inſufficientiam ſuppleret.

Verùm huius ſententiæ falſitas pleniſſimè conſtat ex iis, quæ de gratiæ neceſſitate capite præcedenti dicta ſunt.

* Secunda ſententia eſt Lutheri, Caluini aliorumque hæreticorum huius temporis, aſſerentium in ſtatu naturæ lapſæ nullam nobis dari gratiam ſufficientem, quæ talis ſit, vt voluntas illi diſſentire, eamque abiicere poſſit, ac proinde omnem gratiam actualem, quæ datur in hoc naturæ lapſæ ſtatu, eſſe ſemper efficacem, hoc eſt habere ſemper effectum illum ob quem datur: & quamuis nullam voluntati inferat violentiam, illi tamen afferre, ſeu imponere conſentiendi neceſſitatem, itaut non coactè quidem, ſed tamen neceſſariò conſentiat.

Ita Lutherus in lib. de ſeruo arbitrio, vbi ſic loquitur: *Neceſſariò operamur, ſiue bonum ſiue malum, neceſſariò inquam, non verò coactè.* Et vt apertiùs adhuc explicet mentem ſuam, vtitur hac comparatione; *Humana voluntas* (inquit) *in medio poſita eſt ceu iumentum; ſi inſederit Sathan, vult, & vadit quo vult Sathan: ſi inſederit Deus, vult & vadit quo vult Deus.*

Et Caluinus lib. 2. inſtit. cap. 3. vbi ſic loquitur, volontatem mouet gratia; non qualiter multis ſæculis traditum eſt, & creditum, vt noſtræ poſtea ſit electionis, motioni illius aut obtemperare, aut refragari, ſed illam efficaciter afficiendo.

Et lib. 5. contra Pighium: Nego (inquit) gratiam ſic nobis offerri, vt noſtræ poſtea ſit optionis vel obtemperare vel refragari: nego tantum in hoc dari, vt imbecillitatem noſtram ſubſidio ſuo adiuuet, neque enim efficere Deum in nobis teſtatur Paulus: vt poſſimus

mus bene velle, ſed hoc quoque ipſum vt velimus. Proinde efficaciter formari voluntatem noſtram conſtituo, vt Spiritus ſancti ductum ſequatur neceſſariò.

Et in antidoto Concilii Tridentini ad ſeſſ 6. inuehitur idem Hæreſiarcha in Patres illius ſancti Concilii, quòd dicant homines gratiæ libere aſſentiri, & gratiam poſſe abiicere, ipſique poſſe diſſentire ſi velint: contenditque eos in hoc hallucinari & falli, nec agnoſcere diſcrimen præcipuum inter gratiam, quæ data fuerat Adæ in ſtatu innocentiæ, & gratiam quæ in ſtatu naturæ lapſæ confertur, quod nempe hæc neceſſitatem imponat voluntati, illa verò nullam neceſſitatem impoſuiſſet, ſed voluntatem liberam & indifferentem reliquiſſet, ad aſſentiendum vel diſſentiendum. Quod quidem multis probare nititur, ac præſertim variis D. Auguſt. teſtimoniis partim truncatis, partim in ſenſu falſo & ab illius ſancti Doctoris mente prorſus alieno explicatis: ac inſuper Doctores almæ facultatis Sorbonicæ tanquam Sophiſtas & Pelagianos ſuggillat, eo quod gratiam ſufficientem in ſtatu naturæ lapſæ dari aſſererent, cui poſſet homo diſſentire ſi vellet, illique de facto aliquando diſſentiret.

Tertia igitur & vera ſententia illa eſt, quæ aſſerit homini, etiam in ſtatu naturæ lapſæ, dari gratiam ſufficientem, talem vt illam poſſit abiicere, ſi velit; illique diſſentire; & de facto aliquando illam abiiciat, illique diſſentiat.

Quoniam verò hæc ſententia grauioris alicuius momenti meritò eſſe iudicatur, ex eaque plurimæ aliæ Theologicæ veritates pendent; idcirco probationem illius paulò fuſiorem proponemus, eamque maioris facilitatis gratia in plures paragraphos diuidemus.

§. I.

Gratiam ſufficientem, quæ in ſtatu naturæ lapſæ homini datur, talem eſſe, vt illi reſiſtere poſſit, & de facto aliquando reſiſtat, probatur ex varijs Scripturæ locis.

1 Innvmera ſunt fermè Scripturæ teſtimonia, quæ ad id probandum faciunt: nos hic aliquot tantùm illuſtriora ſeligemus.

Primum petitur ex Iſai. cap. 5. vbi Deus de Iudæis conquerens, ſic loquitur: *Quid eſt, quod vltrà facere debui vineæ meæ, & non feci? an quod expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas?* Quo loco parabolicè referuntur multa gratiæ auxilia Iudæis à Deo collata, vt bonorum operum fructus producerent: eſt autem euidens gratias illas effectum ſuum non habuiſſe, proindeque Iudeos illis aſſentiri noluiſſe. Neque dicas ſolius externæ gratiæ ibi fieri mentionem, puta legis Moſaicæ, &c. cùm enim externa illa adiumenta, ſola non

ſuf-

ſufficiant ad benè operandum, ſine gratia interiori; ſi hanc Deus ipſis non contuliſſet, quorsùm diceret ſe expectaſſe vt opera bona facerent, cùm ad id facultatem ſufficientem non haberent?

Secundum petitur ex cap. 1. Prou. *Vocaui & renuiſtis: extendi manus meas, & non fuit qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſilium, & increpationes meas neglexiſtis.* Quibus verbis manifeſtè conqueritur Deus, internas gratias vocantes & excitantes fuiſſe neglectas ac deſpectas.

Tertium ex cap. 11. S. Matth. vbi Christus Dominus ſic loquitur; *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro & Sydone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egiſſent.* Quibus verbis apertè ſignificatur, datam fuiſſe gratiam harum ciuitatum incolis, per quam conuerti potuerunt, & tamen noluerunt. Neque dicas Christum Dominum hic ſolùm loqui de miraculis & ſignis exterioribus: quia Pelagianum eſſet dicere, quòd Tyrii & Sydonij ſolis exterioribus ſignis & miraculis ſine interioris gratiæ auxilio conuerti potuiſſent. Ergo de his ſolis Christus Dominus ibi non loquitur; ſed ſimul de internis gratiæ auxilijs, quæ cum alijs exterioribus miraculorum adiumentis collata Iudæis fuerant, quæque ipſi ex voluntatis ſuæ prauitate abiecerant, licet talia eſſent, vt idololatræ ipſi, & omni vitiorum genere perditi homines, iiſdem acceptis, non ſolùm ad pænitentiam conuerti potuiſſent, ſed etiam reipſa conuerſi fuiſſent.

Quartum ex his Christi Domini verbis S. Matt. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti?* Vbi obſeruandum eſt illos, qui noluerunt, habuiſſe gratiam ad volendum ſufficientem, qua potuerunt velle: alioquin non diceret Christus Dominus (volui congregare filios tuos, & noluiſti) quomodò enim voluit, & ita voluit vt de nolentibus conqueratur; ſi eos, quos ſciebat per ſe non poſſe velle; non iuuit, quantùm neceſſarium erat ad hoc, vt poſſent velle?

Quintum ex cap. 7. Act. vbi S. Stephanus Iudæos alloquens, *Vos*, inquit, *ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.* Quid eſt autem aliud Spiritui ſancto reſiſtere, quàm eius gratiæ reluctari?

Sextum denique ex Rom. 2. *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? ſecundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor theſaurizas tibi iram.* Per quid verò benignitas Dei ad pœnitentiam nos adducit, niſi per gratiæ interioris auxilia? Quomodo autem impij theſaurizant ſibi iram, ſecundùm duritiem ſuam & impœnitens cor, niſi gratiæ illi reſiſtendo?

§. II.

§. II.

Eadem ſententia Conciliorum authoritate probatur.

1 EX tribus præſertim Conciliis noſtræ ſententiæ veritas probari poteſt.

Primum eſt, Concilium Valentinum c. 2. vbi dicitur, *Malos non ideo perire; quia boni eſſe non potuerunt: ſed quia boni eſſe noluerunt*; vnde ſequitur gratiam malis conferri, qua boni eſſe poſſint: cùm ex ſe ipſis & ſine illa tales eſſe non poſſint: ſed gratiam ab iis repudiari, quod boni eſſe nolint.

Secundum eſt, Conclium Senonenſe celebratum anno 1528. paulò ante Tridentinum, in cuius decreto 15. expreſſis verbis definitum habetur: *Tale non eſſe Dei trahentis auxilium, cui reſiſti non poſſit*: quod poſteà probat iiſdem fermè Scripturæ locis: quæ paragrapho præcedenti relata ſunt; additque, *Fruſtra certè Stephanus Iudæos duræ ceruicis & incircumciſi cordis argueret, qui ſemper Spiritui ſancto reſiſterent, fruſtra Paulus Theſſalonicenſes admoneret Spiritum ne extinguerent, ſi diuinis inſpirationibus homines ineuitabiliter raperentur.*

2 Tertium denique eſt Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 5. vbi dicit, peccatores *per excitantem atque adiuantem gratiam, ad conuertendum ſe ad ſuam ipſorum iuſtificationem, eidem gratia liberè aſſentiendo & cooperando, diſponi: ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem, neque homo ipſe nihilominus agat, inſpirationem illam recipiens; quippe qui illam & abijcere poteſt.* Et can. 4. anathema profert, in eum, qui dixerit *liberum arbitrium à Deo motum & excitatum, non poſſe diſſentire, ſi velit*: ex quibus Concilii verbis ſic poſſumus argumentari. Gratia illa vocans & excitans, de qua loquitur Concilium, talis eſt, vt ſufficiat homini ad conuertendum ſe, & ad bonum operandum. Atqui ex mente Concilii poteſt homo eiuſmodi gratiam abiicere, ſi velit, etiam tunc cum per eam actualiter à Deo excitatur & mouetur, illique diſſentire. Ergo ex Concilii mente poteſt homo gratiam ſufficientem abiicere, illique diſſentire.

§. III.

Probatur eandem ſententia ex SS. Patribus.

1 EX innumeris ferè SS. Patrum teſtimoniis, quæ hìc afferri poſſent, aliquot illuſtriora proferemus.

In

In primis ex S. Chryſoſt. hom. 7. in Ioan. *Gratia Dei*, inquit, *in omnes diffuſa eſt, omnibus ſe facilem exhibet: omnes pari honore aduocat: qui autem eius munere frui negligunt, hanc ſuam cæcitatem ſibi ipſis imputent.*

Et S. Leone Papa ſerm. 2. in ſolemnitate Epiphaniæ, *Si dona Dei*, inquit, *non irrita fecerimus; per ea quæ dedit, merebimur accipere quod promiſit*: Ergo ſecundùm illius mentem, dona Dei per quæ meremur, id eſt, auxilia gratiæ excitantis, irrita facere poſſumus.

Et S. Ambr. ſerm 8. in Pſal. 18. *Plena eſt*, inquit, *terra miſericordia Domini: ſi quis autem non credit in Chriſtum, generali beneficio ipſe ſe fraudat: vt ſi quis clauſis feneſtris, radios ſolis excludat; non ideo ſol non ortus eſt omnibus, quia calore eius ſe ipſe fraudauit, ſed quod ſolis eſt, prærogatiuam ſuam ſeruat, quod imprudentis eſt, communis à ſe lucis gratiam excludit.*

2 Et S. Aug. Ep. 54. ad Macedonium, *Pertinet*, inquit, *ad nos vt boni ſimus, accipere & habere id quod dat is, qui de ſuo bonus eſt, quo quiſque neglecto, de ſuo malus eſt*: Ergo ex illius mente id negligere & abiicere poſſumus, quod Deus dat vt boni ſimus. Et lib. 2. Act. cum Felice Manichæo cap. 8. *Non eſt ergo indignum*, inquit, *vt Deus dicat, ite in ignem æternum, ijs, qui per liberum arbitrium miſericordiam eius reſpuerunt*. lib. ad Simplicianum q. 2. dicit quòd Eſau *vocatione Dei contempta reprobus factus eſt*. Et lib. de nat. & grat. cap. 63. *Non tibi*, inquit, *deputatur ad culpam, quod inuitus ignoras; ſed quod negligis quærere quod ignoras; neque quod vulnerata membra non colligis, ſed quod volentem ſanare contemnis*. Neque dicat aliquis ideò hominem dici contemnere Deum ſanare volentem, quia vocationi externæ non obtemperat; vocatio enim illa & gratia externa nullatenùs hominem ſola ſanare poteſt, niſi adſit etiam interna: vnde S. Aug. lib. de Spiritu, & lit. c. 4. *Doctrina illa*, inquit, *qua mandatum accipimus continenter recteque viuendi, littera eſt occidens, niſi ſpiritus adſit viuificans.*

3 Denique & S. Proſp. lib. de vocat. Gent. cap. 26. *Gratia Dei*, inquit, *in omnibus iuſtificationibus principaliter præeminet, ſuadendo exhortationibus, mouendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inſpirando conſilium, corque ipſum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo*. Et aliquibus interiectis ſubiungit: *Quæ opitulatio per innumeros modos, ſiue occultos, ſiue manifeſtos, omnibus adhibetur: & quod à multis refutatur, ipſorum eſt nequitia; quod autem à multis recipitur, & gratiæ eſt diuinæ, & voluntatis humanæ.*

§. IV.

§ IV.

Soluuntur obiectiones.

1 PRIMA petitur ex illis Apoſtoli verbis 1. Cor. 4. *Quis te diſcernit?* quibus declarat non eſſe in hominis poteſtate ſe ab alijs diſcernere in iis quæ ad ſalutem ſpectant, ſed id ſolius Dei proprium. Atqui ſi poſſet homo gratiæ diuinæ conſentire, vel diſſentire, poſſet etiam per arbitrii ſui vires ſe ab aliis diſcernere.

Reſpondetur id non ſequi: Quia quamuis, cùm homo à gratia diſſentit hoc per ſolius arbitrii libertatem, ſeu potiùs prauitatem faciat; quando tamen illi conſentit, id non arbitrii ſui viribus, ſed gratiæ diuinæ aſcribere debet; quia per illam excitatur & iuuatur ad hoc, vt ipſi conſentiat: & niſi ab illa excitaretur, & iuuaretur, nullo modo conſentire poſſet. Vnde ſemper diuinæ gratiæ debitorem ſe totius boni quod agit agnoſcere debet, nec vllo modo in ſe gloriari, quaſi per illum conſenſum ſe ab aliis diſcernat. Quod fusè explicat ſantus Franciſcus Epiſcopus Geneuenſis lib. 4. diuini amoris, cap. 6. vbi ad id exprimendum vtitur ſimilitudine ſicariorum & tyrannorum; qui illis ſe vitam immeritò ac ſine vlla ratione donare arbitrantur, quibus necem non inferunt: ſic (inquit) ridiculum, imò impium eſſet exiſtimare, voluntatem hominis inſpirationi ac gratiæ diuinæ virtutē operandi ac efficaciam tribuere; eo quod reſiſtētia ſua illam eius virtutem ac efficaciam non impediat; poſſumus quidem eius efficaciæ obicem ponere; ſed non hanc illi tribuere: gratia ſiquidem hanc ſuam virtutem & efficaciam haurit à ſola diuina bonitate: ex qua ortum ducit, non ab humana voluntate, ad quam iuuandam adhibetur.

Adde quod ad illum conſenſum eliciendum longè ſemper potiores ſunt diuinæ gratiæ, quam arbitrii humani partes. Cùm enim liberum hominis arbitrium per peccatum à Deo auerſum ſit & longè procliuius ad malum, quàm ad bonum: hinc fit vt nunquam amplectatur bonum, niſi gratia potentiſſima adiuuetur. Quando autem quis auerſus eſt à re aliqua, quam tamen amplectitur, cùm fortiſſimè ſuadetur, licet poſſit ſuaſioni reluctari; tunc ſuadenti potiùs quàm agenti, aſcribi ſolet effectus. Et hæc eſt doctrina S. Auguſt. lib. de prædeſt. ſanct. cap. 5. *Quiſquis*, inquit, *audet dicere: habeo ex meipſo fidem; non ergo accepi: profectò contradicit huic apertiſſimæ veritati Apoſtoli dicentis: quis te diſcernit? &c. non quia credere, vel non credere, non ſit in arbitrio voluntatis: ſed in electis præparatur à Domino voluntas.*

Secunda obiectio eſt, gratiam illam ſufficientem, cui dicimus

poſſe ab homine reſiſti, eandem prorſus eſſe cum gratia poſſibilitatis, quam admittebant Pelagiani, & contra quam tamen S. Auguſt. toto libro de gratia Chriſti inuehitur, vt veritati orthodoxæ contrariam.

Reſpondetur gratiam ſufficientem, quam hìc propugnamus; longè diuerſam eſſe ab illa gratia poſſibilitatis, quam admittebat Pelagius. 1. enim per gratiam poſſibilitatis intelligebat gratiam externam legis, & Euangelicæ doctrinæ; nos verò internam illam eſſe profitemur. 2. Pelagius aſſerebat gratiam illam poſſibilitatis eſſe tantùm neceſſariam ſecundùm quid, id eſt ad faciliùs operandum; nos verò dicimus illam abſolutè & ſimpliciter neceſſariam eſſe ad benè operandum. 3. Pelagius per gratiam poſſibilitatis exiſtimabat omnimodã benè agendi virtutem ita homini conferri; vt ad volitionem ac operationem boni nulla præterea gratia neceſſaria illi eſſet, ſicque bonum ipſum propria & ſola arbitrii ſui virtute vellet & operaretur: nos autem ſic dicimus voluntatem excitari ad hoc, vt poſſit bonum facere & operari; vt neceſſarium præterea ſit; gratiam illi cooperari, eamq; adiuuare dum vult & operatur 4. denique, quod Pelagius exiſtimabat ſoli arbitrio libero deferendum eſſe totum illud bonum, quod vellet & operaretur; nos verò, quamuis ſoli voluntati aſcribendum dicamus quò voluntas poſſit gratiæ reſiſtere, & de facto aliquando reſiſtat; ſi tamen gratiæ conſentiat, id aſſerimus aſcribendum eſſe, tùm diuinæ gratiæ, tùm humanæ voluntati, ſed multò magis adhuc diuinæ gratiæ, quàm humanæ voluntati, vt ex antedictis conſtat.

3 Quod autem hæc eſſet Pelagij mens, conſtat tum ex dictis cap. 1. tum ex ijs quæ habet S. Aug. lib. de gr. Chriſti cap. 27. quæ hìc referemus, quoniam ſunt obſeruatu digniſſima. *Si*, inquit, *conceſſerit nobis Pelagius non ſolam poſſibilitatem in homine; etiamſi nec velit, nec agat bene; ſed ipſam quoque voluntatem & actionem; id eſt, vt bene velimus & bene agamus; quæ non ſunt in homine niſi quando vult & benè agit. Si vt dixi, conceſſerit etiam ipſam voluntatem & actionem diuinitùs adiuuari: & ſic adiuuari, vt ſine illo adiutorio nihil benè velimus & agamus; eamque eſſe gratiam Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum; in qua nos ſua, non noſtra iuſtitia iuſtos facit, vt ea ſit vera noſtra iuſtitia, quæ nobis ab illo eſt: nihil de adiutorio gratiæ Dei (quantùm arbitror) inter nos controuerſia relinquetur.*

SE-

SECTIO IV.

An cuilibet homini detur gratia ſufficiens ad ſalutem.

1 QVÆSTIO de ſolis adultis intelligenda eſt, de infantibus enim agetur poſteà. Illius igitur ſenſus eſt; an cuilibet adulto detur gratia ſufficiens ad benè operandum, ad ſalutem per bona opera conſequendam. Pro cuius reſolutione,

Dicendum eſt Deum cuilibet homini adulto, ſiue fideli, ſiue infideli; ſiue prædeſtinato; ſiue reprobato; dare gratias ſufficientes & ad benè operandum, & ad ſalutem per bona opera conſequendam:

Huius aſſertionis veritas probatur 1. ex Scriptura. Prouerb. 1. *Sapientia foris prædicat; in plateis dat vocem ſuam; in capite turbarum clamitat, & in foribus portarum vrbis profert verba ſua dicens; Vſquequo paruuli diligitis infantiam; & ſtulti ea quæ ſunt ſibi noxia cupient? en proferam vobis ſpiritum meum, oſtendam vobis verba mea:* ex quibus verbis apertè colligitur, diuinam gratiam vndequaque diffundi, & ad omnium corda penetrare; omneſque per illam ſufficienter admoneri & excitari ad bonum. Et Sap. 11. *Misereris omnium Domine, quia omnia potes: & diſſimulas peccata hominum, propter pœnitentiam: diligis enim omnia quæ ſunt; & nihil odiſti eorum, quæ feciſti:* quomodo autem Deus miſereretur omnium & parceret omnibus, ſi non daret ſaltem ijs auxilium, quo conuerti ad pœnitentiam poſſent, ſi vellent? S. Ioan. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum;* quæ verba de luce interioris gratiæ intelligunt SS. Patres, ac nominatim S. Chryſoſt. & Cyrill. in illum Euangelij locum, & etiam S. Aug. infrà citandus.

* 2 Probatur 2. authoritate duorum Conciliorum, Senonenſis & Colonienſis.

In Senonenſi quidem can. 15. dicitur quod *gratia ſemper in promptu eſt, & quod ne momentum quidem prætereat, in quo Deus non ſtet ad oſtium & pulſet, cui quis aperuerit, intrabit ad illum & cœnabit cum illo.*

In Colonienſi verò parte 7. c. 32. dicitur quod *quanquam nemo conuertatur ad Dominum niſi tractus per Patrem; attamen nemo hic excuſationem prætexere debet, quod non trahatur: quia Deus ſemper ſtat ad oſtium pulſans; nimirum per internum & externum verbum commonens; vt conuertamur à via noſtra peſſima.*

Probatur 3. ex SS. Patribus S. Dionyſ. in cœleſt. Hier. cap. 9. vbi dicit: *Immenſum & infinitum diuini luminis pelagus ſemper paratum*

tu e eſſe & patere omnibus ad participandum. S.Chryſoſt.hom.7.in S.Ioan.*Gratia*, inquit, *in omnes diffuſa eſt: non Iudæum, non Gentilem, non Græcum, non Barbarum, non Scytham, non liberum aut ſeruum, non virum aut mulierem, non ſenem aut iuuenem fugit & dedignatur: omnibus eadem eſt: omnibus ſe facilem exhibet*. S. Ambroſ. lib. 2. de Abel & Cain cap. 3. *Omnibus*, inquit, *opem ſanitatis detulit: vt quicunque perierit: mortis ſuæ cauſas ſibi aſcribat; qui curari noluit, cùm remedium haberet quo poſſet euadere*. S.Auguſt.lib. 1. de Gen.cont.Manich. cap.3. vbi explicans ſuprà citata. S.Ioan. verba (*erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem:*) *illud* inquit, *lumen non irrationabilium animalium oculos paſcit ſed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore viſibilium rerum & temporalium, ſe ad eius præcepta ſeruanda conuertunt: quod omnes homines poſſunt, ſi velint; quia illud lumen illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum:* quod confirmat lib.1. Retractationum cap. 10.

Paulus Oroſius denique (vt plurimos alios omittamus, prolixitatis euitandæ gratia) qui S. Auguſt. diſcipulus fuit, cuiuſque opera & ſtudio ſanctus ille Pater ad Pelagianam hæreſim profligandam plurimum vſus eſt, in apologetico de arbitrii libertate contra Pelagium lõgè ante medium, ſic loquitur: *Mea ſemper hæc eſt fidelis atque indubitata ſententia, Deum adiutorium ſuum, non ſolum in corpore ſuo (quod eſt Eccleſia, cui ſpecialia ob credentium fidem gratiæ ſuæ dona largitur) verum etiam vniuerſis in hoc mundo degentibus, propter longanimem ſui æternamque clementiam ſubminiſtrare, idque ſpeciatim, quotidie, per tempora, per dies, per momenta, per atomos, & cunctis & ſingulis*. Et aliquibus interiectis ſic concludit: *Ex quo euidentiſſimè declaratum eſto, nemini hominum deeſſe Dei adiutorium, præſertim cum & ſeductor adſiſtat, & inſit infirmitas*.

Probatur 4. authoritate S. Thomæ lib. contra gentes. cap. 159. vbi ſic loquitur: *Cùm hoc ſit in poteſtate liberi arbitrij, impedire diuinæ gratiæ receptionem, vel non impedire: non immeritò in culpam imputatur ei, qui impedimentum præſtat gratiæ receptioni. Deus enim quantum in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare, vult enim omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, vt dicitur 1.Timoth.2. ſed illi ſoli gratia iuuantur qui in ſe impedimentum non præſtant*.

Et in cap.6.Ioan. *Cor humanum ex ſe ad inferiora tendens non poteſt ſurſum eleuari niſi tractum: ſi verò non eleuatur, non eſt defectus ex parte trahentis, qui quantum in ſe eſt nulli deficit, ſed eſt propter impedimentum eius qui non trahitur, &c. Deus enim omnibus ad trahendum manum porrigit quantum in ſe eſt; & quod plus*

eſt, non ſolum attrahit manum recipientis, ſed etiam auerſos ad ſe conuertit, &c. Ex quo ergo Deus paratus eſt dare omnibus gratiam & ad ſe attrahere, non imputatur ei ſi aliquis non accipiat, ſed ei qui non accipit,

5 Probatur 5. tum ex eo quod diximus in tractatu præcedenti, Chriſtum pro omnibus ſaluandis mortuum eſſe, ſeipſum redemptionem pro omnibus dediſſe, quod aliter intelligi non poteſt, niſi in quantum omnibus, media ex ſe ad ſalutem ſufficientia morte ſua eſt promeritus.

Tum etiam ex eo quod ſectione ſequenti dicemus.

Obſeruandum eſt autem quòd, quamuis nemo ſit, cui auxilium gratiæ deſit; illud tamen omnibus non æqualiter dari: aliis ſiquidem maius, aliis minus confertur.

Hoc manifeſtè conſtat ex variis Scripturæ locis. Pſalm. 147. *Non fecit taliter omni nationi.* S. Matth. 13. *Vobis datum eſt noſſe myſteria regni Dei, cæteris autem in parabolis.* Et ſatis conſtat ante Chriſti aduentum longè vberiora gratiæ auxilia Iudæos præ aliis populis habuiſſe, vt teſtatur locus Pſalmi citatus. & certum eſt Chriſtianis longè potiora eiuſdem gratiæ beneficia; quàm Turcis & aliis infidelibus conferri. Cuius rei alia ratio afferi non poteſt, quàm illius voluntas, qui diuidit ſingulis pro vt vult; quique poteſt ex eadem maſſa facere vas, aliud quidem in honorem, aliud verò in contumeliam.

SECTIO V.

An Deus velit omnes homines ſaluos fieri.

1 MAGNAM huius quæſtionis ſolutio lucem dabit iis, quæ præcedenti ſectione dicta ſunt: ſi enim vera ſit in Deo voluntas vt omnes homines ſalui fiant, ſequitur, vt iiſdem ſufficientia ad ſalutem gratiarum auxilia præbeat; cùm aliter intelligi non poſſit, quod ei talis voluntas inſit; cùm benè velle Dei, reſpectu creaturarum, nihil aliud ſit, quàm benefacere. Ad faciliorem autem propoſitæ quæſtionis reſolutionem,

Notandum eſt duplicem in Deo voluntatem à Theologis diſtingui, vt tractatu 2. cap. 4. dictum eſt, antecedentem ſcilicet & conſequentem. Huius diuinæ voluntatis diſtinctionem agnouerunt SS. Patres, vt conſtat ex eo loco citato & adhuc pleniùs ex infrà dicendis conſtabit. Antecedens illa eſt, qua Deus, ſecundùm noſtrū concipiendi modum, aliquid ex ſe vult, ante præuiſionem cooperationis creaturarum liberarum Conſequens verò, qua faciendum aliquid decreuit, præuiſis creaturarum liberarum bonis vel malis actionibus.

Certum eſt autem Deum non velle voluntate illa conſequente omnes homines ſaluos fieri, imò velle plurimos illorum à ſalute excludere: quos ſcilicet præuidit, per voluntatis prauitatem peccaturos, & in peccato morituros. De voluntate igitur antecedente, propoſita quæſtio intelligenda eſt, an ſcilicet Deus ab æterno veram habuerit voluntatem ſaluandi omnes homines, ipſiſque, vi illius voluntatis, gratias ad ſalutem ſufficientes conferendi ea conditione; vt, qui gratiis illis rectè vterentur, ad ſalutem peruenirent; qui autem non vterentur, à ſalute exciderent. Pro cuius reſolutione,

2 Dicendum eſt, Deum antecedenti voluntate eo ſenſu qui ſuprà explicatus eſt, velle omnes homines ſalutem conſequi.

Probatur 1. ex Scriptura: 1. ad Timoth. 2. *Obſecro*, inquit Apoſtolus, *fieri obſecrationes, orationes, &c. pro omnibus hominibus, &c. hoc enim bonum eſt & acceptum coram Deo, qui omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Vbi obſeruandum eſt ex mente Apoſtoli, Deum velle omnes illos homines ſaluos fieri, pro quibus hortatur fieri orationes. Atqui hortatur, vt orationes fiant pro omnibus omninò hominibus nullo excepto. Vnde ſequitur Deum etiam omnes homines, nullo prorſus excepto, velle ſaluos fieri; ea tamen conditione, vt ipſi homines media ad ſalutem conſequendam præparata amplectantur, iiſque rectè vtantur. Sic enim hunc locum explicant S. Damaſc. lib. 2. de fide cap. 29. & S. Thom. 1. p. quæſt. 19. art. 6. ad 1. Eodem ſenſu dixit S. Petrus Epiſt. 2. c. 3. *Deus non vult aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Et Ezech. cap. 33. ipſe Deus loquens; *Viuo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impij, ſed vt conuertatur impius à via ſua, & viuat:* ſuper quæ verba Tertullianus lib. de pœnitentia cap. 4. *O beatos nos*, inquit, *quorum cauſa Deus iurat! O miſerrimos! ſi nec iuranti Domino credimus.*

Probatur 2. ex S. Ambr. lib. de Paradiſo cap. 8. *Venerat*, inquit, *Dominus omnes ſaluos facere: quare etiam circà impios, ſuam debuit oſtendere voluntatem, & ideò nec proditurum debuit præterire, vt aduerterent omnes, quod in electione etiam proditoris ſui, ſeruandorum omnium inſigne prætendit.* Et S. Chryſoſt. in 2. ad Cor. c. 1. *Imitare Deum tuum: ſi omnes ille vult ſaluos fieri; meritò pro omnibus oportet orare.* Et homil. 1. in Epiſt. ad Epheſ. diſtinguit in Deo voluntatem primam & ſecundam, hoc eſt, antecedentem & conſequentem; dicitque voluntatem primam Dei eſſe, vt non pereant omnes qui peccauerunt; voluntatem ſecundam, vt pereant qui à prauitate reſurgere noluerunt. Denique ex S. Damaſc. lib. 2. de fide cap. 29. vbi dicit Deum primariò quidem velle omnes homines ſaluari, ac regni ſui compotes eſſe, illos creaſſe, vt bonitatis ipſius ſint participes, ac nihilominus iis qui peccant, pœnam inferni

velle; priùs illud quidem voluntate antecedente ſeu beneplacito; quod ex ipſo manat; poſteriùs verò voluntate conſequente, ſeu permiſſione quæ ex noſtro vitio ortum ducit.

3. Obiicies ſanctos Auguſtinum, Proſperum, & alios, qui diuinæ gratiæ veritatem contra Pelagianos propugnauerunt, locum ſuprà relatum ex Epiſt. 1. ad Timoth. cap. 2. ita exponere, vt ſenſus illius ſit, Deum eatenùs velle omnes homines ſaluos fieri, quatenùs vult, vt ex omnibus hominum nationibus, conditionibus, ætatibus, aliqui ſalui fiant, vel quatenùs nullus ſaluatur, quem Deus ſaluum fieri non velit; cæterum illos negare quod Deus velit omnes homines ſaluos fieri.

Reſpondetur illos negare quidem Deum velle omnes homines ſaluos fieri voluntate conſequente, quod veriſſimum eſt; non verò voluntate antecedente; aliàs ſibi ipſis contradicerent. S. Auguſtinus enim lib. de vera relig. cap. 55. ſic loquitur: *Placuit authori ſuo, vt non interiret, quidquid à Deo per verbum factum eſt*, & lib. de Spir. & lit. cap. 33. *Vult autem Deus omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; non ſic tamen, vt eis liberum adimat arbitrium, quo vel bene vel malè vtentes iuſtiſſimè iudicentur* S. Proſper. verò in reſponſione ad obiectiones Vincentianas 2. vbi ſic loquitur. *Sinceriſſime credendum eſt atque profitendum, Deum velle vt omnes homines ſalui fiant: ſiquidem Apoſtolus, cuius illa eſt ſententia, ſolicite præcipit (quòd in omnibus Eccleſis piiſſime cuſtoditur) vt Deo pro omnibus ſupplicetur: ex quibus quod multi pereunt, pereuntium eſt meritum; quòd multi ſaluantur, ſaluantis eſt donū.* Et in reſponſione ad capitula Gallorum, capitulo 7. *Qui dicit quod non omnes homines Deus velit ſaluos fieri, ſed certum numerum prædeſtinatorum; duriùs loquitur, quàm loquendum eſt de altitudine inſcrutabili gratiæ Dei, qui & homines vult ſaluos fieri & ad agnitionem veritatis venire:*

SECTIO VII.

Detur ne gratia ſufficiens, ad mandata Dei ſeruandas omnibus illis qui ea ſeruare tenentur, & peccant non ſeruando.

1 QVAMVIS huius quæſtionis reſolutio ex ijs quæ in præcedentibus ſectionibus dicta ſunt, ſatis intelligi poſſit, ac poſito quod Deus velit omnes homines ſaluos fieri, iiſque ad ſalutem conſequendam media & gratiæ auxilia ſufficientia tribuat; inde manifeſtè ſequatur gratiam illis ſufficientem tribui ad ſeruanda mandata, cum eorum obſeruatio ad ſalutē conſequendā neceſſaria ſit

quia tamen hæretici nonnulli in tam aperta luce cæcutiunt, iugumque Domini, quod ex ſe maximè leue ac ſuaue eſt, aggrauare nituntur, ac mandata eius, quæ deſiderabilia eſſe & dulciora ſuper mel & fauum teſtatur Propheta, importabilia tamen & impoſſibilia eſſe contendunt; Ideò viſum eſt in hac ſectione propoſitæ queſtionis elucidationem iuxta fidei Catholicæ normam proponere.

Lutherus lib. aduerſ. Latom. & Caluinus in antidot. Concil. Trident. ad cap. 12. ſeſſ. 6. negant eiuſmodi gratiam ad obſeruanda diuina mandata omnibus dari, contenduntque aliqua diuina mandata eſſe hominibus aliquibus obſeruatu impoſſibilia, ac deeſſe illis gratiam qua poſſibilia fiant. Addit verò Caluinus lib. 2. Inſtit. c. 5. præcepta illa diuina etſi obſeruatu impoſſibilia ſint, fruſtra tamen non eſſe hominibus impoſita, eò quòd per illa homines admoneantur infirmitatis ſuæ, intelligantque meliùs quanta ſit gratiæ neceſſitas, & etiam in die iudicij reddantur inexcuſabiles.

Sed contra duos illos Hæreſiarchas dicendum eſt, gratiæ ſufficientis auxilium ad mandata diuina ſeruanda tribui omnibus illis qui ad illa ſeruanda obligantur, & non ſeruando peccarent.

Probatur 1. authoritate Scripturæ. Deuter. 30. *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi* (inquit Deus) *non ſupra te eſt, neque procul poſitum, ſed iuſta te eſt ſermo valde in ore tuo & in corde tuo vt facias illum.* Matth. 11. vbi Chriſtus Dominus loquens de lege ſua: *Iugum* (inquit) *meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Et S. Ioannes Epiſt. 1 cap. 5. teſtatur quod *mandata eius grauia non ſunt*, dici autem verè non poſſet mandata Dei non eſſe grauia, aut iugum eius eſſe ſuaue ac leue, ſi vires, & auxilia gratiæ neceſſaria non tribueret, ad mandata illa ſeruanda quæ hominibus impoſuit.

Probatur 2. authoritate Concilij Arauſican. 2. can. 25. vbi hæc habentur: *hoc etiam ſecundùm fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptiſmum gratia, omnes baptizati, Chriſto auxiliante & cooperante quæ ad ſalutem pertinent poſſint & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere.*

Et Concilij Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. *Nemo temeraria illa & à Patribus ſub anathemate prohibita voce vti debet, Dei præcepta homini iuſtificato ad obſeruandum eſſe impoſſibilia. Deus enim impoſſibilia non iubet, ſed iubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adiuuat vt poſſis.*

Et can. 18. *Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam iuſtificato, & ſub gratia conſtituto eſſe ad obſeruandum impoſſibilia, anathema ſit.*

Probatur 3. authoritate Sanctorum Patrum. S. Cypriani lib. de Baptiſmo: *Et quod agendum eſt ſcimus, & quod ſcimus facere poſſumus*

ſumus S. Baſilij in regulis breuioribus, reſponſ. 176. vbiloquens de precepto dilectionis inimicorũ, quod eſt haud dubiè difficilimum; *non præcepiſſet* (inquit) *hoc Deus, qui bonus ac iuſtus eſt, niſi etiam facultatem qua id faceremus largitus fuiſſet*. S. Hieronymi in cap. 5. Matt. *Sciendum eſt Chriſtum impoſſibilia non præcipere, ſed perfecta.* Et l. 1. cont. Pelagianos, *fatemur poſſibilia Deum dediſſe mandata, ne ipſe auctor iniuſtitiæ ſit, ſi exigat fieri quod fieri non poteſt.* S. Ennodij Epiſcopi Ticinenſ. lib. 2. Epiſt. 19. *Inter homines ille à rectitudinis affectu diſcordat, qui à ſubditis exigit, quod eis in poteſtate non tribuit: hoc de Deo qua conſcientia ſentiatur, aduertite.* S. Odonis Cluniacenſ. lib. 2. collationum num. 13. *Naturæ fragilitatem opponimus Deo, quaſi neſciat ille quales nos fecit, & oblitus noſtræ humanæ fragilitatis impoſuerit homini mandata quæ facere non poſſit. O cæcam veſaniam; O profanam temeritatem; dupliciter quippe Deum videmur incuſare, neque enim iuſtus qui poſſe dedit, impoſſibile aliquid imperare poteſt; neque qui pius eſt hominem damnare pro ijs quæ vitare non poteſt. Et quomodo ſtaret quod ipſe perhibet, Iugum meum ſuaue eſt; hanc itaque neque iuſto iniquitatem, neque pio crudelitatem aſcribamus.*

Probatur 4: authoritate ſancti Auguſtini; qua tamen ad patrocinium erroris ſui præfati Hæreſiarchæ eorumque ſequaces præcipuè abuti ſolent. Ille igitur S. Doctor lib. 2. de peccatorum merit. & remiſſ. cap. 6. ſic loquitur, *Dubitare non poſſum nec Deum aliquid impoſſibile homini præcepiſſe, nec Deo ad opitulandum & adiuuandum quo fiat quod iubet, impoſſibile aliquid eſſe, ac per hoc quin homo ſi velit, eſſe poſſit abſque peccato, adiutus à Deo.* Et in Pſal. 56. *non imperaret hoc Deus vt faceremus, ſi impoſſibile iudicaret, vt ab homine fieret.* Et lib. de natura & gratia cap: 43. *non igitur Deus impoſſibilia iubet, ſed iubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.* Et cap. 63. *Quis peccat in eo quod caueri nullo modo poteſt? peccatur autem, igitur caueri poteſt.* Et c. 69. *eo ipſo quo firmiſſimè creditur, Deum iuſtum & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilioribus quid petamus.* Denique ſerm. 61. de tempore. *Nec Deus impoſſibile aliquid potuit imperare, quia iuſtus eſt, nec damnaturus eſt hominem pro eo quod non potuit vitare, quia pius eſt.*

Ex quo vltimo S. Auguſtini teſtimonio hoc argumentum conficitur, quo noſtra aſſertio probatur. 4. Id quod neque iuſtitiæ, neque pietati conuenit, dici de Deo nullatenus debet: atqui neque iuſtitiæ conuenit impoſſibile aliquid præcipere, nec pietati, acerbiſſimis ſuppliciis hominem cruciare, pro eo quod vitare non potuit, quod nulli tyranno quantumuis crudeli & immani vnquam venit in mentem; ergo de Deo dici non debet quod impoſſibilia homini præ-

 ceperit,

ceperit, aut quod hominem æternis pœnis puniat pro eo quod vitare non potuit. Vnde conſequens eſt, mandata Dei non eſſe homini impoſſibilia, illique ſufficientem gratiam dari ad mandata illa exequenda, quando illa exequi tenetur, & non exequendo peccaret.

Porrò vt huius noſtræ aſſertionis veritas adhuc euidentior fiat, obſeruandum eſt illam vel de hominibus iuſtis, vel de ijs qui ſunt in ſtatu peccati intelligi poſſe. Si de iuſtis, id apertiſſimè conſtat tum ex omnibus quæ in eius probationem allata ſunt maxime ex ſupra citata Concilij Trident. authoritate, vbi id expreſſis verbis definitum eſt. Si verò de ijs qui ſunt in ſtatu mortalis peccati, id etiam patet tum ex S. Auguſtino, cuius rationes æque probant de peccatoribus atque de iuſtis, tum ex authoritate Concilii Arauſicani definientis *ſecundum fidem Catholicam credendum eſſe omnes baptizatos Chriſto auxiliante & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent poſſe & debere, fideliter laborare velint, adimplere*. Cum enim inter baptizatos plurimi reperiãtur peccati mortalis labe inquinati, non eſt dubium quin mens Concilii fuerit etiam illos in eiuſmodi ſtatu peccati, ea quæ ad ſalutem pertinet poſſe & debere, ſi Chriſto auxilianti fideliter cooperari voluerint, adimplere, ac proinde gratiam illis ſufficientem tribui ad ſeruanda diuina mandata quando non ſeruando peccarent.

Verùm hæc eadem noſtrę aſſertionis veritas quoad peccatores plenius abhuc conſtabit ex ijs quæ ſequenti ſectione dicturi ſumus.

SECTIO VII.

Deturne peccatoribus obduratis auxilium gratiæ ſufficiens ad conuerſionem.

1 QVÆRITVR, an peccatoribus obduratis, quandiu in præſentis vitæ ſtatu manẽt, Deus aliqua gratiæ auxilia tribuat, quibus conuerti ad pœnitentiam poſſint.

Quidam Theologi exiſtimant quòd quamuis Deus ordinariè omnibus gratiam ſufficientem largiatur, illum tamen aliquando eam quibuſdam peccatoribus denegare, ob grauiſſima quædam ab ipſis patrata crimina. Ita Toſtatus in cap. 4. Exod. quæſt. 12. Medina lib. 3. de recta fide cap. 1.

Alij verò (quod longè probabilius eſt) aſſerunt nulli peccatori, quantũm libet horrenda & atrocia flagitia commiſerit, quamdiu tamen in hac vita degit, ſufficientia auxilia gratiæ à Deo denegari. Ita D. Thom. 3. p. q. 86. a. 1. Alenſis 3. p. q. 69. Dominic. Sot. in 4. diſt. 15. q. 1. Pet. Sot. in 4. diſt. 15. q. 1. Vega lib. 13. de iuſtific. c. 12.

c.12. Malder. 1.2.q.111.art.3. Gamachæus ad eandem quæſt. & plures alij.

* Probatur 1. ex Scriptura, Actor.7. vbi S.Stephanus ſic Iudæos alloquitur, *dura ceruice & incircumciſis cordibus; vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis*. Illi autem quos ſic alloquebatur, obdurati erant & excæcati voluntariè, vt ſatis patet ex iis quæ ibi dicuntur; & tamen excitabantur interiùs à Spiritu ſancto, alioquin non diceretur ei ſemper reſiſtere.

Roman. 2. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, tu autem ſecundum duritiam tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram, &c.* Quibus verbis exprimitur Deum non deſinere ſolicitare identidem peccatores ad pœnitentiam, etiam eos qui corde duro & impœnitenti eius gratiæ reſiſtunt, & reſiſtendo ſibi iram theſaurizant. S. Matth. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis* (hoc eſt peccatis ingentibus grauati & oppreſſi, vt explicat S.Hieron. in eum locum, & S.Aug. ſerm. 11. de verbis Domini capite 7.) *& ego reficiam vos*. S.Petri 2.cap.2. *Patienter agit Deus propter vos, nolens aliquem perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti*.

2 Probatur 2. ex S.Aug. citato ſerm. cap.13. *De nullo*, inquit, *deſperandum eſt, ſiue intus, ſiue foris fuerit, ſiue in Eccleſia, ſiue extra Eccleſiam, quandiu patientia Dei ad pœnitentiam adducit, nec de hac vita rapit impium*. Item S. Fulg. Epiſt.7.cap.8. *Sicut medico noſtro nulla eſt incurabilis plaga; ita nec in aliquo vulnere, nec in aliquo tempore, cœleſtis poteſt deficere medicina*.

* Probatur 3. ex S. Thoma, 3. part. q.86. a.1. c. vbi ſic loquitur: *Dicere quod aliquod peccatum ſit in hac vita, de quo aliquis pœnitere non poſſit, erroneum eſt, quia per hoc tolleretur libertas arbitrij, & derogaretur virtuti gratiæ per quam moueri poteſt cor cuiuſcumque peccatoris ad pœnitendum.*

Et ibid. q. 52. a.6. ad 3. *homines quandiu viuunt, poſſunt ad fidem & charitatem conuerti, quia in hac vita non ſunt homines confirmati in bono vel in malo, ſicut poſt exitum ex hac vita.*

Et q.24. de veritate, art. 11.c. *Nemo poteſt ita eſſe in hac vita obſtinatus in malo, quin ad ſuam liberationem cooperari poſſit.*

Atqui ſine gratiæ auxilio peccatores obdurati neque pœnitere, neque conuerti, neque ad ſuam liberationem cooperari poſſunt; ergò ſi ſecundum mentem S. Doctoris iſta poſſunt, ſequitur ex eiuſdem mente, vt illis gratia etiam in illo obdurationis & obſtinationis ſtatu non deſit.

Probatur 4. ex eo quòd, ſi ob aliquod peccatum Deus gratiam omnem ſufficientem peccatori ſubtraheret, ſequeretur quòd peccator de tali peccato pœnitere non poſſet, cùm id ex ſolis arbitrij viribus non poſſit. Atqui S.Thom. 3.p.q.36. aſſerit erroneum eſſe,

 ſi di-

ſi dicatur, aliquod eſſe peccatũ in hac vita, de quo quis pœnitere nõ poſſit. Vnde ſequitur quemlibet peccatorem, quandiù in hac vita degit, de quolibet peccato ſuo pœnitere poſſe: proindeque Deum gratiæ auxilium illi neceſſarium non denegare.

3 Obſeruandum eſt autem, auxilium illud gratiæ non adeſſe quidem omnibus momentis cuilibet homini: neque enim id naturæ humanæ conditio patitur, vt ſcilicet ſemper actu aliquam bonam cogitationem in mente, aut pium affectum in voluntate experiatur: neque etiam id neceſſarium eſt ad hoc, vt quis dicatur habere auxilium gratiæ ſufficiens ad pœnitendum aut benè agendum: ſed ſufficit vt opportunis temporibus ad hoc excitetur & adiuuetur, iuxta quod dicitur Pſalm. 9. Deum eſſe adiutorem in opportunitatibus. Vnde quamuis non omnibus momentis, creberrima tamen, & (vt loquitur Innocentius Papa in Epiſt. ad Concil. Carthag.) *Quotidiana Deus præſtat remedia*: Ideoq; rectè dicit Apoſtolus Heb. 4. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.*

Obiicies 1. obdurationem peccatoris in ſubſtratione gratiæ conſiſtere, iuxta quod dicit S. Auguſt. Epiſt. 105. *Non obdurat Deus impertiendo malitiam; ſed non impertiendo gratiam*: Ergo ex illius mente peccatori obdurato nulla amplius gratia tribuitur.

Reſpondetur obdurationem duplicem eſſe, vnam abſolutam, alteram ſecundùm quid. Prior conſiſtit in ſubtractione cuiuſcumque gratiæ, & talis eſt obduratio dæmonum & damnatorum. Poſterior verò in ſubſtractione gratiæ alicuius ſpecialis, qua efficaciter cor peccatoris moueretur: quamuis ſemper aliquod ei gratiæ auxilium ſufficiens tribuatur, quo poſſet conuerti ſi vellet; licet de facto, propter prauitatem voluntatis, non conuertatur. Priori autem modo nulli quantumuis maximo peccatori, quandiù in hac vita degit, gratia ſubtrahitur, vt ex antedictis patet; ſed tantùm poſteriori.

* Quo ſenſu dixit S. Auguſtinus lib. de peccator. mer. & remiſſ. *Scio Domine ad correptionem meam non pertinere, quod minus abs te adiuuor.*

Obiicies 2. varia Scripturæ loca, in quibus dicuntur peccatores non poſſe conuerti, credere &c. vt S. Ioan. 12. vbi de Iudæis dicitur quòd, *Non poterant credere, quia dixit Iſaias, excæcauit oculos eorum &c.* vnde ſequitur ſufficientem gratiam illis defuiſſe ad hoc, vt credere poſſent.

Reſpondetur, his verbis Scripturam ſignificare ſolùm aut maximam in agendo difficultatem, quæ quaſi quædam moralis impoſſibilitas dici ſolet: aut impoſſibilitatem conſequentem: quia ſcilicet Deus præuiderat fore quod, quamuis illis ſignis externis & gratijs internis excitarentur ad fidem, minimè tamen ex prauitate volũtatis cre-

crederent : atque ita S. Aug. tract. 53. in S. Ioan. exponit hunc locum : *Propterea, inquit, non poterant credere, quia hoc Iſaias dicit: hoc autem Propheta prædixit, quia hoc Deus futurum præſciuit: quare autem non poterant? citò reſpondeo, quia nolebant; malam quippe eorum voluntatem prauidit Deus.*

Obſeruant etiam rectè aliqui Doctores fieri interdum poſſe, vt peccatores ipſi obdurati in ſtatum adeo miſerabilem, voluntatis ſuæ prauitate decidant, vt inde reſurgere : imo & tentationes aliquas ſibi à dæmone illatas vincere nullatenùs poſſint; neque ad id gratiam vllam ſufficientem habeant : Deo ſic permittente, & iuſtè illis hanc gratiam in peccatorum punitionem ſubtrahente. Quod quamuis ita ſit nihilominùs tamen Deus pro ſua ineffabili clementia aliquam aliam gratiam ſufficientem ſemper illis tribuit, vt & ſtatus ſui miſeriam agnoſcere, & gratiæ diuinæ auxilium optare, & inuocare poſſint. Quod ſi conuenienter faciant, Deus haud dubiè illis deerit, ac gratiæ ſuæ auxilium opportuno tempore præſtabit. Vnde Concilium Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. hanc S. Auguſtini ſententiam ex eius libr. de nat. & grat. cap. 47. refert & approbat, *Deus impoſſibilia non iubet, ſed iubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adiuuat vt poſſis.* Ex quo ſequitur quod, quamuis aliquando deſit gratia benè operandi; nunquam tamen deeſt gratia poſtulandi & impetrandi auxilij diuini.

Dices fruſtrà induratos Deum orare : nam vt refertur 2. Machab. 9. Rex Antiochus Deum orauit : nec tamen fuit miſericordiam conſecutus. Similiter Hebr. 12. de Eſau dicitur quod non inuenit pœnitentiæ locum, quamuis cum lacrymis eam requiſiuiſſet.

Reſpondetur peccatores obduratos non fruſtrà Deum orare, quando conuenienter orant, hoc eſt cum recta intentione & ex vero pœnitentiæ motiuo : quando verò eorum oratio ex praua aliqua intentione procedit, aut cum vitioſo aliquo motiuo coniungitur, tunc verum eſt fruſtrà illos orare. Orabat quidem Antiochus diuina ictus plaga, ſed doloris ſolatium, non peccati remedium quærens; plangebat Eſau primogenita ſibi erepta, non verò pecata in Deum à ſe commiſſa; & ideo minimè mirum videri debet, ſi neuter illorum à Deo exauditus eſt.

SECTIO VIII.

An verè dici poſſit etiam paruulis abſque baptiſmo decedentibus dari media ad ſalutem ſufficientia.

1 AD faciliorem quæſtionis propoſitæ reſolutionem notandum primò, quod cum varia ſint & multiplicia media, quibus Deus homines ad beatū finem conſequendum adiuuat, illa cenſeri ad ſalutem ſufficientia, quæ ſecundùm proprium cuiuſque ſtatum ad finem illum conſequendum apta ſunt.

Notandum 2. infantes ante rationis vſum ex ſeipſis quidem nullos virtutum actus exercere poſſe, quibus ad finem illum vltimum tendere valeant, eſſe tamen capaces recipiendæ gratiæ ſanctificantis, qua veluti veſte nuptiali induti ad cœnam nuptiarum agni admitti poſſint; quæ quidem gratia ſecundum legem Dei ordinariam, non alio modo illis infundi poteſt quàm per baptiſmum, quem cum non poſſint ſuſcipere niſi per miniſterium alterius; hinc ſequitur media illa ad ſalutem ſufficientia, quæ paruulorum ſtatui conueniunt, in eo differre ab alijs med.js, quæ cuius adulto congruunt, quòd hæc pendeant à libero conſenſu, & libera acceptatione recipientis, qui gratias internas, & alia ſalutis conſequendæ media oblata poteſt, ſi velit, recipere, vel repudiare: illa verò quæ infantili ſtatui apta ſunt, non pendeant à libero conſenſu infantium, ſed à voluntate ac miniſterio aliorum qui media illa ipſis applicare poſſunt & debent.

His obſeruationibus præſuppoſitis, quamuis aliqui Theologi exiſtiment paruulos abſque baptiſmo decedētes carere medijs ad ſalutem ſufficientibus, quæ quidem illorum opinio, ijs quæ de gratia ſufficienti diximus, nullo modo præiudicat, cum quæſtiones de illa propoſitæ, de ſolis adultis communiter intelligantur: Nihilominus veritati magis conſentaneum videtur dicere, etiam paruulis abſque baptiſmo decedentibus, ſiue id ex parentum negligentia aut culpa eueniat, ſiue ex alia quacumq; cauſa Deum quantum ex parte ſua requiritur, media ad ſalutē ſufficientia præparaſſe ac prouidiſſe.

Ratio eſt, quia Deus media eorum ſtatui apta & congrua, & ex ſe ad ſalutem ſufficientia ipſis prouidit & præparauit, cum baptiſmi Sacramentum pro illis æquè ac pro omnibus alijs inſtituit, & præterea deſtinauit baptiſmi miniſtros, quorum opera hoc Sacramentum ipſis conferri poſſet; diſpoſuit etiam cauſas naturales, quarum vi & efficacia fieret, vt in lucem ederentur; præceptum etiam parentibus & alijs impoſuit, vt in lucem editos baptizarent, aut baptizari curarent.

Quod ſi ex incuria parentum, aut culpa miniſtrorum, aut defe-ctu cauſarum naturalium inter ſe concurrentium ſeque inuicem im-pedientium contingat eos non baptizari, nihil aliud inde ſequitur, niſi Deum extraordinario aliquo prouidentiæ ſuæ modo illis non adfuiſſe, vt eiuſmodi effectus impediret.

Porrò hæc ratio clarior adhuc & euidentior hoc exemplo fiet. Si rex aliquis plurimos ex ſubditis ſuis captiuos, ab hoſtibus detentos redimere vellet, nihil melius & aptius ad hunc finem præſtare poſ-ſet, quàm pretium redemptionis ſingulorum adultorum in pro-priâ vniuſcuiuſque illorum manu conſignare, vt pro vt quiſque vel-let ſeſe, illud ſoluendo, in libertatem aſſerere poſſet. pretium ve-rò redemptionis infantium & aliorum vſu rationis carentium in manu parentum, aut propinquiorum, & ipſis deficientibus in ma-nu omnium aliorum deponere, vt ſic per miniſterium illorum ab eiuſmodi captiuitate liberentur. Sanè quamuis poſtea accideret, vt parentum vel aliorum incuria aut culpa pretium illud non ſol-ueretur, ac ſic infantes illi captiui remanerent, nullus tamen eſſet qui non agnoſceret Regem illum quantum ex ſe eſt, media ad re-demptionem infantium illorum apta & ſufficientia præparaſſe ac prouidiſſe.

Ex hoc exemplo quod ſatis per ſe clarum eſt, nec alia magis ſpecia-li applicatione indiget, quiuis intelligere poteſt quam vere dictum à nobis ſit, Deum etiam paruulis abſque baptiſmo decedentibus media ad ſalutem conſequendam neceſſaria præparaſſe ac proui-diſſe.

CAPVT III.

De Gratia efficaci.

SECTIO I.

Quid ſit gratia efficax, & qua ratione à ſufficienti diſtinguatur.

1 OBSERVANDVM eſt 1. duobus modis gratiam dici poſſe efficacem.

Primò latè, in quantum apta eſt ex ſe conſenſum vo-luntatis ſimul cum ipſa efficere, niſi prauitas illius obſtet: quo ſenſu quælibet gratia ſufficiens, etiam ea quæ reſpuitur, & cui reſiſtitur, dici

dici poteſt efficax : quia ex ſe apta eſt ad illum voluntatis conſenſum eliciendum, quamuis re ipſa ob eius reſiſtentiam non eliciat.

Secundò ſtrictè, provt non ſolum poteſt elicere conſenſum noſtræ voluntatis; ſed etiam illum reipſa elicit : & de gratia efficaci tali modo ſpectata nobis hìc agendum eſt.

Obſeruandum 2. certum eſſe dari talem gratiam efficacem.

Hoc enim conſtat ex Scriptura. Ezech. 36. *Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis*, non dicit ſolùm vt poſſitis ambulare, ſed vt de facto ambuletis. Philipp. 2. *Deus eſt qui operatur in nobis, & velle & perficere*. Et ex Concilio Arauſicano 2. can. 6. vbi dicitur per infuſionem & inſpirationem Spiritus ſancti fieri in nobis, vt credamus, velimus, &c. Et ex S. Auguſt. lib. de grat. & lib. arb. c. 16. *Certum eſt*, inquit, *nos facere cum facimus; ſed ille facit vt faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati: qui dixit: faciam, vt in iuſtificationibus meis ambuletis*. His obſeruatis,

Quod ſpectat ad primam quæſtionis partem, duæ ſunt præcipuæ circa naturam gratiæ efficacis, Theologorum ſententiæ.

2 Prima dicit, gratiam efficacem eſſe motionem quandam & impulſionem à Deo voluntati creatæ impreſſam, qua ſic impellitur, vt ab eius vi phyſicè ad agendum prædeterminetur, ita vt non poſſit non agere, nec motioni aut impulſioni reſiſtere.

Verùm refellitur hæc ſententia ex iis quæ ſectione ſequenti dicemus, cum oſtendemus gratiam efficacem talem eſſe vt quamuis infallibiliter illi voluntas aſſentiatur, poſſit tamen non aſſentiri, ſed illam poſſit abiicere, ſi velit.

Secunda ſententia docet gratiam efficacem nihil aliud eſſe, quàm illuſtrationem, ac inſpirationem ſeu perſuaſionem internam diuinitùs immiſſam; quæ talis eſt vt per eam infallibiliter inducatur creata voluntas ad hoc vt velit & operetur bonum.

Hæc ſententia, quam vt veriorem amplectimur, probatur ex S. Auguſt. variis in locis: in quibus manifeſtè docet gratiam illam, quæ nos facit operari, & inſpirationibus & ſuaſionibus internis conſiſtere, præſertim lib. de Spir. & lit. cap. 34. vbi ſic loquitur: *Suaſionibus agit Deus, vt velimus, & vt credamus*. Et paulò pòſt: *His quando agit Deus, cum anima rationali, vt ei credat (neque enim credere poteſt quolibet libero arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio vel vocatio cui credat) profectò & ipſum velle credere Deus operatur in homine*. Et lib. de peccat. meritis cap. 17. *Noluit homines*, inquit, *facere quod iuſtum eſt, ſiue quia latet an iuſtum ſit, ſiue quia non delectat, &c. vt autem innoteſcat quod latebat, & ſuaue fiat quod non delectabat, gratia Dei eſt*.

Quod ſpectat ad ſecundam quæſtionis propoſitæ partem, in quo ſci-

ſcilicet gratia efficax à gratia ſufficiente differt ; dicendum eſt gratiam ſufficientem, ſumptam pro gratia illa quæ vires homini ſufficientes ad operandum præbet, ſiue reipſa operetur, ſiue non, ab efficacia aliter non differre, niſi tanquam genus à ſpecie, vt ſatis conſtat ex iis quæ ſuprà dicta ſunt. Si verò gratia ſufficiens ſumatur pro gratia illa, quæ, licet ſufficienter homini vires præbeat ad benè operandum, nunquam tamen infert operationem, non quidem defectu virtutis ſufficientis ad eam inferendam, ſed defectu creaturæ voluntatis, quæ cùm libera ſit, non vult ei cooperari: eo ſenſu gratia ſufficiens ſeu inefficax diſtinguitur ab efficaci (de qua nunc agimus) 1. in eo quod gratia efficax ſemper maior eſt gratia ſufficiente in ratione doni, cùm longè ſit accipienti vtilior & melior: 2. in eo quod efficacia gratiæ eſt à ſolo Deo, tanquam à propria cauſa ; eius verò inefficacia gratiæ eſt à ſola creata voluntate, quæ gratiæ ipſi conſenſum denegat, & ſic eam inefficacem reddit. Vnde S. Proſ. lib. 2. de vocat. Gent. cap. 26. *Quod gratia*, inquit, *à multis reſpuitur, ipſorum eſt nequitia, quod verò ſuſcipitur, & gratia diuina eſt, & voluntatis humanæ.*

Verùm ad clariorem huius diſtinctionis intelligentiam, quæres vtrùm ex duobus hominibus æquali gratia præuentis & excitatis contingat aliquando, aut contingere poſſit, vt vnus gratiæ conſentiat, altero non conſentiente ; proindeque vt æqualis gratia in vno efficax ſit, in altero vero ſufficiens tantùm ſeu inefficax.

Reſpondetur 1. illum qui conſentit, maiorem ſemper abſolutè loquendo, gratiam accipere ; non ſolum in ratione doni, vt ſuprà diximus, ſed etiam in ratione entitatis ipſius gratiæ: cùm ipſum conſenſum accipiat, atque adeo gratiæ adiuuantis & cooperantis donum, quo caret is, qui non conſentit,

Reſpondetur 2. ſi de ſola gratia excitante ſermo ſit, ſecluſis omnibus alijs, multos graues Theologos exiſtimare fieri poſſe, vt ex duobus æquali prorsùs gratia præuentis & excitatis, vnus conſentiat, alter verò diſſentiat. Ita Ruardus Taperus art. 7. contra Lutherum, Bellarm. lib. 6. de lib. arbit. c. 15. & plures alij, quibus meritò adiungere poſſumus Sanctum Franciſcum Salenſium Epiſcopum Geneuenſem lib. 1. diuini amoris cap. 10. vbi explicans iudicium quod vocat comparationis, de quo in varijs Euangelij locis mentio fit: illud in eo faciendum eſſe dicit, quod aliqui æqualibus, imò maioribus gratiæ auxilijs præuenti & excitati diuinæ nihilominus miſericordiæ conſenſum negauerint; alij æqualibus, imò minoribus gratiæ auxilijs excitati, inſpirationem diuinam ſecuti fuerint, & ad pœnitentiam conuerſi.

* Hujus autem ſecundæ reſponſionis veritas conſtat 1. ex his Chriſti Domini verbis Matth. 11. *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida, quia*

quia ſi in Tyro & Sydone facta fuiſſent virtutes, quæ facta ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent. Quæ quidem exprobatio vt iuſta ſit & rationabilis, ſupponit Tyrios & Sydonios fuiſſe conſenſuros, & pœnitentiam acturos, ſi habuiſſent idem auxilium, aut par illi, quod Iudæi reſpuerunt: par (inquam) non ſolùm quoad externa miracula & virtutes, verùm etiam quoad gratiam internam, ſine qua impoſſibile eſt conuerti ad ſalutarem pœnitentiam.

Conſtat 2. ex Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 5. & canon. 4. vbi dicitur liberum arbitrium à Deo motum & excitatum ita conſentire gratiæ excitanti, vt poſſit diſſentire ſi velit & illam abiicere. Quod ſi poteſt vni eidem gratiæ diſſentire æquè ac conſentire eodem tempore, poterit etiam diuerſis temporibus modò conſentire, modò diſſentire eidem, aut pari auxilio gratiæ: poterit & alius eidem, aut pari auxilio gratiæ diſſentire, cui iſte conſentit.

SECTIO II.

In quo propriè conſiſtat ipſius gratiæ efficacia.

1 VARIÆ ſunt ſuper hac quæſtione Theologorum ſententiæ.

Quidam enim (vt in præcedenti ſectione dictum eſt) efficaciam gratiæ in impulſione quadam & prædeterminatione phyſica ipſius voluntatis conſtituunt.

Alij efficaciam illam volunt eſſe tantùm moralem, ac ſitam eſſe in aliqua vi intrinſeca prædeterminandi, non tamen phyſicè, ſed moraliter tantùm, ipſam voluntatem,

Alii in ſuauitate ac delectatione quadam interiori quæ voluntatis conſenſum infallibiliter & inſuperabiliter eliciat.

Alii in contemperatione quadam & congruitate ipſius gratiæ cum ingenio, indole, affectionibus, & aliis diſpoſitionibus hominis, qui gratiæ conſentit.

Quidam efficaciam gratiæ collocant quidem in prædicta congruitate, non tamen præciſè, ſed vt ſubeſt ſcientiæ Dei, quam mediam ſeu conditionalem vocant.

Sunt denique qui paulò cæteris audentiores aſſerunt gratiam efficacem, formaliter, vt talem, conſtitui per conſenſum liberum, quem ſimul cum voluntate efficit, ita vt ab illo conſenſu formaliter efficax denominetur.

Nos in quæſtione difficillima & abſtruſiſſima, quid maximè ſecundùm Catholicæ fidei principia tenendum nobis videatur, tribus ſequentibus propoſitionibus breuiter aperiemus.

2 Prima

2 Prima eſt, certum eſſe gratiam illam, quæ efficax dicitur, non tantùm præſtare, vt humana voluntas velle & operari poſſit; ſed etiam efficere, vt reipſa velit & operetur, idque infallibiliter, & (vt loquitur S. Auguſtinus) indeclinabiliter, inſuperabiliter, ac inuictiſſimè.

Hoc conſtat ex variis ipſius S. Auguſtini teſtimoniis, præſertim lib. de corrept. & grat. cap. 12. vbi ſic loquitur: *Subuentum eſt infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur*, Et paulò pòſt dicit, *ipſam gratiam efficere in hominibus, vt Deo donāte inuictiſſimè quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere inuictiſſimè nollent*.

Secunda eſt, cum hac infallibili, indeclinabili, inſuperabili, ac inuictiſſima gratiæ efficacia ſtare nihilominùs, ſemper ſaluam & illibatam voluntatis humanæ libertatem; ita vt poſſit ſemper homo gratiam illam, quam recipit & cui conſentit, abiicere, illique diſſentire, ſi velit.

Hoc ſatis conſtat ex ante dictis; & confirmari denuò poteſt ex illis Apoſtoli verbis 2. Cor. 6. *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*: ex quibus ſequitur, eandem poſſe in vacuum recipi, hoc eſt abiici & repudiari, & in vacuum non recipi, hoc eſt in voluntate conſenſum operari: alias fruſtrà hortaretur Apoſtolus, ne in vacuum gratia reciperetur, ſi in vacuum recipi non poſſet. Et ex Concil. Trident. loco ſupra ſæpiùs citato ex cap. 5. ſeſſ. 6. vbi expreſſis verbis dicit hominem gratiam illam, cui liberè aſſentitur & cooperatur, poſſe abiicere, ſi velit; quod & canone 4. iterum repetit. Addere poſſumus inſuper & ipſius S. Auguſtini teſtimonium lib 2. cont. Pelagium c. 84. vbi ſic loquitur: *Si tibi proponam quæſtionem, quomodo Deus Pater attrahit ad Filium, quos in libero dimiſit arbitrio: fortaſſis eam difficile ſoluturus es. Quomodo enim attrahit, ſi dimittit, vt quis quod voluerit, eligat? & tamen vtrumque verum eſt*. Ac etiam ſuprà citati Diui Franciſci Saleſii, qui in præfato lib. 2. cap. 12. dicit, *Voluntatem noſtram, cùm motionem diuinæ gratiæ ſequitur, æque liberè illi conſentire, atque liberè eidem diſſentit, quando illam abijcit*: Atqui, quando voluntas gratiæ diſſentit, poſſet illi conſentire ſi vellet: ergo ſecundùm illius mentem; quando eidem gratiæ conſentit, ita conſentit, vt illi etiam diſſentire poſſit, ſi velit.

Tertia denique eſt, ſi quæratur quomodo hæc duo adeò inter ſe oppoſita ſimul conuenire poſſint, vt & gratia inuictiſſimè & voluntas liberrimè operetur: & quæ ſit illa diuinæ gratiæ virtus adeo mirabilis, quæ ſine vlla humanæ libertatis læſione effectum ſuum infallibiliter ſortiatur.

Nihil certius ac melius reſpondere poſſumus, niſi quod ille ſolus no-

nouit, qui id efficit: neque aliquid vlterius inquirere neceſſarium eſt. Hoc ipſe S. Auguſtinus profitetur lib. de grat. Chriſti cap. 24. *Fateamur*, inquit, *interna atque occulta, mirabili ac ineffabili poteſtate operari in cordibus hominum non ſolum veras reuelationes, ſed etiam bonas voluntates.* Et Epiſt. 107. gratiam efficacem dicit eſſe, *Vocationem altam ac ſecretam*. Et lib. de Spirit. & litt. cap. 34. *Cur*, inquit, *illa ita ſuadeatur vt perſuadeatur, alteri autem non ita? duo ſola occurrunt, quæ reſpondere mihi placet: O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius, & nunquid eſt iniquitas apud Deum? Cui reſponſio iſta diſplicet, quærat doctiores, ſed caueat ne inueniat præſumptores.* Quare merito hìc profiteri poſſumus, quod idem ſanctus Pater Epiſt. 3. ad Voluſianum alia occaſione dixit: *Demus Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inueſtigare non poſſe.* Et certè videtur hæc quæſtio vna eſſe ex illis occurrentibus, quas *profundiores difficilioreſque* appellat Cœleſtinus Papa in Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ: quaſque (vt eiuſdem Pontificis verbis vtamur) *latiùs pertractarunt ij, qui hæreticis reſtiterunt*; & adhuc hodie pertractant illi, qui in Theologicis paleſtris exercentur; ac proinde *ſicut illas non audemus contemnere, ſic etiam non neceſſe habemus adſtruere: cum ad cognitionem & confeſſionem diuinæ gratiæ, cuius operi ac dignationi nihil ſubtrahendum eſt, ſufficere poſſint ea quæ hìc ſecundùm Eccleſiæ regulas, & Sedis Apoſtolicæ definitiones explicata ſunt.*

CAPVT VI.

De gratiæ effectibus, ac in primis de iuſtificatione.

SECTIO I.

In quo propriè & formaliter conſtat hominis iuſtificatio.

1 SENSVS quæſtionis eſt, quidnam ſit, quod propriè & formaliter efficiat hominem coram Deo iuſtum & ſanctum; & in quo vera & formalis eius iuſtitia conſiſtat. Pro cuius reſolutione,

Dicendum 1. iuſtitiam illam & ſanctitatem, quæ verè & formaliter nos iuſtos efficit, non eſſe fauorem aliquem extrinſecum Dei; ſed

ſed donum aliquod ſupernaturale nobis inhærens, quo verè & formaliter iuſti dicimur & ſumus.

Huic veritati, quæ de fide eſt, varii hæreticorum opponuntur errores. Quidam enim dixerunt nos formaliter iuſtos eſſe per ipſammet eſſentialem Dei iuſtitiam. Alii per Chriſti iuſtitiam nobis imputatam. Alii per ſolam extrinſecam peccatorum condonationem.

Hi errores, & ſi qui ſunt alii ſimiles, damnati ſunt in Concilio Tridentino ſeſſ. 6 cap. 7. & ſimul noſtræ aſſertionis veritas definita & explicata his verbis: *Vnica & formalis cauſa*, noſtræ iuſtificationis ſcilicet) *eſt iuſtitia Dei; non qua ipſe iuſtus eſt, ſed qua nos iuſtos facit: qua videlicet ab eo donati, renouamur ſpiritu mentis noſtræ, & non modò reputamur, ſed verè iuſti nominamur & ſumus, &c. dum eiuſdem ſanctiſſimæ paſſionis merito, per Spiritum ſanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui iuſtificantur atque ipſis inhæret.*

Huius autem controuerſiæ ſtatus (vt rectè obſeruat Bellarminus li. 2. de iuſtificatione cap. 1.) reuocari poteſt ad hanc vnicam quæſtionem: vtrum ſcilicet formaliter iuſti efficiamur per iuſtitiam aliquam in nobis inhærentem. Si enim partem affirmantem probauerimus, conſequens erit nos, neque ſola eſſentiali Dei iuſtitia, aut ipſius Chriſti iuſtitia nobis imputata, neque etiam ſola extrinſeca peccatorum condonatione, ſed aliquo alio dono ſupernaturali nobis inhærente, verè & formaliter iuſtificari. Quod antequam probemus,

Obſeruandum eſt, nos hìc ſumere nomen iuſtitiæ, non prout ſignificat ſpecialem illam virtutem moralem, quæ ius ſuum vnicuique reddit; ſed prout in Scripturis frequentiſſimè, præſertimque in Epiſtolis S. Pauli accipitur; ſcilicet pro rectitudine illa interna, qua homo benè ac rectè ordinatur erga Deum. A qua iuſtitia ſic intellecta deriuatur nomen iuſtificationis: quod quidem, ſi ſumatur in fieri, denotat translationem hominis in ſtatu peccati, ad ſtatum iuſtitiæ & ſanctitatis; quo ſenſu accipitur in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 4. ſi verò ſumatur in facto eſſe, ſignificat terminum illius translationis, qui eſt: hominem eſſe iuſtum, & erga Deum rectè ſe habere. Hac obſeruatione ſuppoſita,

2 Aſſertionis noſtræ veritas probatur 1. ex Scriptura. Rom. 5. *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi; ita per vnius obeditionem iuſti conſtituentur multi.* Sicut igitur per inobedientiam Adami conſtituti ſumus iniuſti, non ſola iniuſtitia eius nobis imputata; ſed iniuſtitia aliqua nobis verè intrinſeca & inhærente, vt probauimus tractatu 4. vbi de peccato originali egimus: Ita ex mente Apoſtoli, per obeditionem Chriſti conſtituimur & efficimur iuſti: nō ſola iuſtitia Chriſti nobis imputata, ſed per iuſti-

tiam nobis intrinſecam & inhærentem Et 1. Cor. 6. *Et hæc quidem fuiſtis,ſed abluti eſtis,ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis:* vbi Apoſtolus explicans, quid ſit hominem eſſe iuſtificatum, dicit idem eſſe ac ablutum & ſanctificatum eſſe. Et ad Tit. 3. iuſtificationem dicit eſſe regenerationem, renouationem, effuſionem Spiritus ſancti. Quæ verba de ſola iuſtitiæ imputatione, vel extrinſeca peccatorum condonatione, explicari nequeunt, ſed aliquid longè maius ſignificant; ac proinde de dono aliquo ſupernaturali nobis inhærente intelligi debent.

Probatur 2. ex Concilio Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. *Si quis dixerit homines iuſtificari, vel ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffundatur, atque illis inhæreat: aut etiam gratiam, qua iuſtificamur, eſſe tantum fauorem Dei anathema ſit.*

Probatur 3. ex S. Auguſt. qui variis in locis & nominatim in Epiſt. 85. ad Conſentium, iuſtitiam & ſanctitatem vocat interioris hominis pulchritudinem: vnde ſequitur illam eſſe ipſi intrinſecam & inhærentem. Et enarratione in Pſalm. 98. *Laudemus*, inquit, *& exaltemus illum, qui fecit ipſam iuſtitiam quam habemus: ipſe in nobis fecit, quis enim in nobis fecit iuſtitiam, niſi qui nos iuſtificauit?*

3 Obiicies 1. hæc verba Pſalm. 31. *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata: beatus vir, cui non imputauit Deus peccatum:* ex quibus colligunt hæretici, peccatorem eatenùs iuſtificari quatenùs peccatum illi à Deo non imputatur.

Reſpondetur, ſanctos Patres hunc locum longè alio ſenſu intelligere & explicare, quàm faciant hæretici. Quod vt euidens fiat, aliquot illius loci explicationes ex illis colligemus & breuiter hic afferemus. S. Iuſtinus martyr in Dialogo cum Tryphone propè finem, *Beatus*, inquit, *cui non imputabit Dominus peccatum; hoc eſt, cui pœnitenti Deus peccata remittet, non ſicut prædicatis, voſmet ipſos fallentes, & alij quidam noſtri ſimiles aſſeuerant; quod, etiamſi peccatores fuerint, modò Deum nouerint, non imputabit eis Dominus peccatum*, S. Hieron. in illum Pſalmi locum, poſtquam ſic illum explicauit: *Beati, quorum peccata per confeſſionem à Domino diluuntur;* immediatè ſubiungit: *remittuntur peccata per Baptiſmum, teguntur per charitatem, non imputantur per martyrium*. S. Auguſt. in enarrat. 2. in eundem Pſalm. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata, id eſt, quorum peccata abolita ſunt.* Et paucis interiectis: *Deus tegat vulnera, non tu: nam ſi tu tegere volueris erubeſcens, medicus non curabit, medicus tegat & curet, emplaſtro enim tegit; & ſub tegmine medici ſanatur vulnus.*

Obiici-

Objicies 2. 1. Cor. 1. dici Chriſtum factum eſſe nobis à Deo iuſtitiam & redemptionem : vnde videtur ſequi nos per ipſammet Chriſti iuſtitiam nobis imputatam iuſtificari.

Reſpondetur cum diſtinctione: ſi enim dicatur Chriſtum eſſe redemptionem & iuſtitiam noſtram in genere cauſæ meritoriæ, verum eſt: ſi autem in genere cauſæ formalis, falſum, & à veritate prorſus alienum, vt ex ſuprà dictis conſtat.

4 Dicendum 2. donum illud ſupernaturale animæ inhærens, per quod formaliter iuſti efficimur, eſſe ipſammet gratiam habitualem ſic dictam, quòd animæ inhæreat per modum habitus.

Probatur 1. ex eo quod (vt ſuprà dictum eſt) Apoſtolus de dono illo loquens dicit illud effundi, diffundi in cordibus noſtris, nos illo vngi: quæ verba meliùs & aptiùs intelligi non poſſunt, quàm de gratia habitualiter inhærente.

Probatur 2. authoritate Concilij Viennenſis Clementina 1. vbi dicitur opinionem illam Theologorum (quæ aſſerit in Baptiſmo virtutes, & gratiam informantem quoad habitum conferri) tanquam probabiliorem, & dictis ſanctorum magis conſonam & concordem, ſacro approbante Conc. eſſe amplectendam.

Probatur 3. ex SS. Patribus, quorum verba nonniſi de gratia habituali propriè intelligi poſſunt. S. Dion. Eccleſiaſt. Hierarch. parte 1. c. 2 dicit, per ſacræ dilectionis operationem ſtatum in nobis diuinum effici. S. Baſil. lib. de Spiritu ſancto c. 26. explicans quomodò Spiritus ſanctus per gratiam inhabitet in homine: *Sicut*, inquit, *cernendi vis eſt in oculo ſano, ſic & operatio Spiritus in anima purgata &c. Et quemadmodum ars eſt in eo qui nactus eſt illam, ita Spiritus in eo qui recipit; ſemper quidem præſens, at non perpetuò operans.* Et S. Cyril. Alex. lib. 4. in Iſai. orat. 2. *Formatur*; inquit *in nobis Chriſtus, Spiritu ſancto nobis quandam formam per ſanctificationem & iuſtitiam imprimente: ſic enim in animis noſtris elucet character ſubſtantiæ Dei ac Patris reformans* (vt dixit) *Spiritu ſancto nos per ſanctificationem in ipſum.*

Probatur 4. hac ratione: homo denominatur iuſtus non ſolùm quandò actu operatur, ſed etiam quando nihil actu agit; v. g. quando dormit: & hæc denominatio non eſt extrinſeca, ſed intrinſeca, & ex conſequenti per gratiam inhærentem, quæ proinde habitualis eſſe debet. Prætereà etiam ipſi infantes per Baptiſmum iuſtificantur, per ſuſceptionem veræ & internæ gratiæ: atqui eiuſmodi gratia actualis eſſe non poteſt, cùm ipſi infantes nullius motionis actualis in Deum capaces ſint: ergo gratia illa per quam iuſtificantur debet eſſe permanens & habitualis.

Quæres, an huius ſecundæ aſſertionis veritas de fide ſit.

Reſpondet Philippus Gammachæus ad quæſt. 120. cap. 1. quòd,

quãuis de fide ſit hominem iuſtificari per aliquã gratiã,quæ habeat veram entitatem realem in anima iuſti, vt ex antè dictis conſtat: non eſſe tamen prorsùs ex fide certum, an gratia illa iuſtificans ſit verus habitus: quâmuis proximè ad fidem accedat, nec niſi maxima temeritate negari poſſit. Licet enim Concilium Viennenſe ſuprà relatum, veritatem illam non definiat, tanquam fide certam; illam tamen approbat & amplectendam dicit tanquam ſanctorum doctrinæ magis conſonam & concordem.

SECTIO II.

Quinam ſint effectus gratiæ habitualis ſanctificantis.

1 INTER plurimos alios ipſius gratiæ habitualis effectus, qui à ſanctis Patribus & Doctoribus enumerantur, ſeptem ſunt præcipui, quos hìc breuiter explicabimus.

Primus eſt remiſſio peccatorum: quæ ſtatim ac animæ gratia infunditur, eſſe deſinunt, & penitùs ab ea delentur.

Probatur 1. ex Scriptura, Ezechiel. 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamemtis veſtris.* Pſal. 50. *Lauabis me & ſuper niuem dealbabor.* Et Rom. 8. *Nihil ergo damnationis eſt ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu.*

Probatur 2. ex Concilio Trident. ſeſſ. 5. can. 5. vbi profert anathema in eum qui dixerit, *per gratiam, quæ in baptiſmate confertur, non tolli totũ id, quod verã & propriã peccati rationem habet.*

Probatur 3. ex S. Greg. Nazianz. orat. in ſanctum baptiſma: vbi dicit, baptiſmi gratiam vniuſcuiuſq; hominis peccatum purgare, & maculas omnes peccati prorsùs abſtergere. Quod & teſtatur S. Ambroſius lib. de initiandis cap. 7. S. Aug. lib. 1. cont. duas Epiſt. Pelagianorum cap. 13. vbi dicit gratiam in baptiſmo collatam *dare omnium indulgentiam peccatorum; auferre crimina, non radere &c.*

Secundus gratiæ effectus, eſt naturæ ſanitas. Cùm enim peccatum ſit languor & morbus maximus, illo ſublato ſequitur naturæ ſanitas: iuxta quod dicitur Pſalm. 102. vbi poſtquam Pſalmiſta ſic locutus eſt: *Benedic anima mea Domino. &c. qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis,* adiungit immediatè poſteà: *Qui ſanat omnes infirmitates tuas*: & eadem ratione S. Matth. 9. Chriſtus Dominus ſe medicum eſſe declarat his verbis: *Non eſt opus valentibus medicus, ſed male habentibus.*

3 Obſeruandum eſt autem ſanitatem illam, quam confert gratia, in eo non conſiſtere, quòd per illius infuſionem eximatur homo ab omnibus illis infirmitatibus, quas per peccatum originale contraxit cùm in baptizatis remaneat ſemper concupiſcentia ſeu fomes peccati ſed quòd per gratiam, infirmitates illæ, quæ mortem animæ inferunt,

runt omninò curentur. Quamuis autem aliæ quædam infirmitates ex originali peccato contractæ, in homine iuſtificato remaneant; quidquid tamen in illis verè & propriè nociuum eſt, hoc per gratiam aufertur: quod Concilium Tridentinum ſeſſ.5. canon. 5. declarat his verbis: *Manere autem in baptizatis concupiſcentiam vel fomitem, hac ſancta Synodus fatetur & ſentit; quæ cùm ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, ſed viriliter per Christi gratiam repugnantibus non valet; quinimo qui legitimè certauerit, coronabitur.*

Tertius effectus, eſt decor & pulchritudo quædam ſpiritualis ipſius animæ, vt habetur in Catechiſmo Concilii Tridentini part. 2. cap.11. *Eſt autem gratia, qualitas diuina in anima inhærens, ac veluti ſplendor quidam & lux, quæ animarum noſtrarum maculas omnes delet ipſaſque pulchriores & ſplendidiores efficit.* Vnde S. Aug. tract. 9. in 1. Epiſt. S. Ioan. *Anima noſtra fœda eſt per iniquitatem; amando Deũ pulchra efficitur: quantũ in te creſcit amor, tantũ creſcit pulchritudo:* Porrò ex hac pulchritudine animæ ſequitur

Quartus effectus, qui eſt reddere hominem Deo gratum & dilectum. Pſal.145. *Dominus diligit iuſtos.* Sap.11. *Placita erat Deo anima illius.* Et S. Hieron. in c. 10. Danielis, ad illa verba: *vir deſideriorum,* dicit in alia verſione haberi virum deſiderabilem, eo quòd omnis ſanctus habens in ſe animæ pulchritudinem, amabilis & deſiderabilis Domino efficitur.

Quintus gratiæ effectus eſt, hominem iuſtum efficere Filium Dei adoptiuum. Vnde Apoſtolus Rom. 8. gratiam Chriſti vocat *Spiritum adoptionis.* Et Ioannes Epiſt. 1. cap.3. *Videte,* inquit, *qualem charitatem dedit nobis Pater, vt Filij Dei nominemur & ſimus.* Et in Catechiſmo Concilij Tridentini, parte 4. cap.9. dicitur Baptiſmum ideò Sacramentum regenerationis ab Apoſtolo vocari, quia per gratiam in eo collatam naſcimur ex Deo, tanquam eius filij. Et S. Thom. q. 114. art. 3. dicit per eandem gratiam hominem diuinæ naturæ conſortem fieri, ac in Filium Dei adoptari. Ex qua adoptione; vt ibidem aſſerit S. Thom. ſequitur

3 Sextus gratiæ effectus, ſcilicet ius ad vitam æternam, id que titulo hæreditatis. *Si Filij* (inquit Apoſtolus Rom. 8.) *& hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Pſalm.36. *Iuſti autem hæreditabunt terram.* Illud autem ius ad æternam gloriam, eatenùs effectum ſuum obtinebit, ſi homo iuſtus vſque ad extremum vitæ in ſtatu gratiæ perſeueret.

Septimus denique gratiæ effectus, eſt dignitas & valor, qui ex ipſa gratia deriuatur in actiones bonas & meritorias hominis iuſti: ratione cuius poteſt per illas de condigno eiuſdem gratiæ & gloriæ augmentum promereri. Vnde Concilium Tridentinum ſeſſ.6.

cap. 16. docet vitam æternam duplici titulo iuſtis, vſque in finem vitæ in iuſtitia perſeuerantibus, eſſe reddendam, hæreditatis ſcilicet & mercedis. Hanc enim vt hæreditatem obtinent infantes poſt Baptiſmi ſuſceptionem, ante rationis vſum ex hac vita decedentes cùm nullius meriti capaces ſint. Eandem verò, tùm vt hæreditatem, tùm vt mercedem, iuſti adulti recipiunt, qui præter ius adoptionis ad illam, etiam bonorum operum meritis ſe illa dignos reddiderint; & ſic vſque in finem vitæ perſeuerauerint. Verùm de illo ſeptimo gratiæ effectu pleniùs capite ſequenti agetur.

SECTIO III.

An ſimul cum habituali gratia, aliqui virtutum habitus in animam infundantur.

SVPPONIMVS ex S. Thoma 1.2. qu. 57. & ſequentibus, duo eſſe virtutum genera, acquiſitarum ſcilicet & infuſarum. Acquiſitæ dicuntur illæ, quarum habitus per earundem actus acquiruntur; de quibus Philoſophi in Ethicis agere conſueuerunt. Infuſæ verò illæ dicuntur, quarum habitus non producuntur per actus, ſed diuinitùs infunduntur. Virtutes autem illæ infuſæ duplicis adhuc ſunt generis. Quædam enim ſunt Theologicæ: ſic dictæ, quòd Deum, tanquam obiectum ſuum immediatum, reſpiciant: quales ſunt fides, ſpes, & charitas. Aliæ verò ſunt morales: quæ in eo præſertim ab acquiſitis differunt, quòd morales virtutes acquiſitæ, finem aliquem rectæ rationi naturali conuenientem, duntaxat ſpectent: infuſæ verò ad altiorem & ſupernaturalem finem actus ſuos dirigant.

Supponimus 2. præter illas virtutes morales infuſas, dari etiam aliquos alios habitus ſupernaturales qui communiter vocantur dona Spiritus ſancti, de quibus agit S. Thom. quæſt. 68. art. 1. Vbi docet dona illa differre à virtutibus infuſis, in eo quod animã perficiũt ad hoc, vt efficiatur promptè mobilis ab inſpiratione diuina, ſeu a Spiritu ſancto; ad actiones quaſdam virtutum exequendas. His præſuppoſitis pro quæſtionis propoſitæ reſolutione,

Dicendum 1. ſimul cum gratia, virtutum Theologicarum, fidei, ſpei & charitatis, habitus in animam infundi.

Hæc veritas expreſſe habetur in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 7. his verbis: *Vnde in ipſa iuſtificatione, cum remiſſione peccatorum, hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtum cui inſeritur fidem, ſpem, & charitatem, &c.*

2 Dicendum 2. ſimul cum gratia, habitus virtutum moralium ſupernaturalium, quæ ad communem ſtatum Chriſtianorum pertinent, in animam infundi.

Proba-

Probatur 1. ex cap. 8. Sap. vbi dicitur ſapientiam diuinam docere ſobrietatem & prudentiam, iuſtitiam & virtutem. Atqui Sapientiam diuinam ſeu Deum docere illas virtutes, nihil eſt aliud quàm eas infundere, vt dicitur in Concilio Mileuitano ſeu potiùs Carthaginenſi cap. 4.

Probatur 2. ex SS. Patribus, qui ſimpliciter aſſerunt hominem, dum in gratia Dei eſt, omnibus præditum eſſe virtutibus, quas cum ab eadem gratia excidit, infœliciter amittit. Vnde S. Hieron. præfatione in Threnos Ieremiæ, de anima in peccatum lapſa loquens: *Non auri, inquit, & argenti metallo, ſed virtutibus radiabat: ablata ſunt: hæc omnia, nudata eſt domus Dei cunctis ornamentis ſuis*. Et S. Auguſt. tract. 8. in Epiſt. 1. S. Ioannis, enumeratis variis virtutibus quæ in anima iuſti reperiuntur, dicit illas eſſe ad inſtar exercitus, Chriſtumque Dominum in interiori homine habitantem, virtutibus illis quaſi miniſtris ſuis vti. Et in Catechiſ. Concil. Trident. parte 2. cap. 2. hæc verba habentur: *Huic autem gratiæ additur nobiliſſimum omnium virtutum comitatus, quæ in animam cum gratia diuinitus infunduntur. Quare, cum Apoſtolus ſcribens ad Titum ait: ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis Spiritus Sancti, quem effudit in nobis abundè per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum; S. Auguſtinus hæc verba explanans (effudit abundè) nimirum inquit, ad remiſſionem peccatorum & copiam virtutum.*

3 Diximus in aſſertione, virtutes illas infundi, quæ ad communem Chriſtianorum ſtatum pertinent. Certum eſt enim virtutes quaſdam eximias & ſingulares, quæ ad ſtatum illum non ſunt neceſſariæ, in iuſtificatione ſimul cum gratia omnibus non conferri: vt patet de continentia virginali, de qua loquens Apoſtolus 1. Cor. 7. *Vnuſquiſque, inquit, proprium donum habet ex Deo*.

Notandum eſt virtutum illarum infuſarum habitus non conferre facilitatem in operando: cùm formaliter non expellant malos habitus contrarios, qui antè iuſtificationem in ſtatu peccati contracti ſunt: ſed tribuere ſolum voluntati nouam poteſtatem, ad actus ſibi proprios exercendos. Vnde minimè mirum videri debet, ſi aliquando peccatores recenter iuſtificati, difficultatem in exercendis illis actibus experiantur: quæ tamen difficultas ab ipſis ſuperari poteſt auxilio, tùm ipſarum virtutum infuſarum, tùm etiam gratiarum actualium quæ nunquam illis deſunt.

Dicendum 3. præter ſuprà dictas virtutes Theologicas & morales, dona etiam Spiritus ſancti ſimul cum gratia in animam infundi.

Conſtat ex Concilio Trident. ſeſſ. 6. c. 7. vbi dicit, *Iuſtificationem non eſſe ſolam peccatorum remiſſionem, ſed ſanctificationem & renouationem interioris hominis, per voluntariam ſuſceptionem gra-*

tiæ & donorum. Id etiam docet S.Thom. ſuprà q.68.art.2. vbi dicit dona illa Spiritus ſancti eſſe homini ad ſalutem neceſſaria: quoniam ad hunc finem, qui prorsùs ſupernaturalis eſt, & omnẽ eius facultatem longè ſupergreditur, præter omnia ſuprà dicta, indiget adhuc peculiari motione & ductu Spiritus ſancti, iuxta illud Pſalm. 142. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*.

In quo elucet admirabilis prorsùs & magnifica Dei erga homines benignitas & miſericordia, qui naturæ noſtræ adeo fragili & imbecilli, tot & tanta gratiæ ſuæ adminicula & auxilia prouidit; vt nos eleuet & deducat ad finem illum ſublimem & ſupernaturalem, propter quem creati & redempti ſumus.

Dices multos eſſe idiotas & ſimplices, qui quamuis ſint in ſtatu gratiæ, illis tamen donis carere videntur, vt dono ſapientiæ, ſcientiæ, &c.

Reſpondetur dona illa infundi quoad habitus, quorum actus varii ſunt pro varietate conditionum & ſtatuum, in quibus Spiritus ſanctus per illa dona vnumquemque iuſtum ad ſequendum inſtinctum ſuum diſponit in iis quæ ſtatui ſuo competunt, vt ſalutem æternam conſequatur. Vnde nullus eſt adeo idiota & ſimplex, qui ſi gratia ſanctificante præditus ſit, non habeat lumen ſapientiæ & ſcientiæ infuſum, quatenùs ſibi neceſſarium eſt, vt ad finem ſupernaturalem in omnibus ſuis actibus dirigatur. Imo experientia ſatis conſtat, idiotas & ſimplices in gratia Dei conſtitutos, quamuis nullo ingenii acumine, nulla ſcientia, aut humana ſapientia præditi ſint: in iis tamen quæ ad ſalutem ſpectant, interiori lumine dirigi, quo carent illi quos ſapientes & prudentes huius ſæculi vocat Apoſtolus; qui in temporalibus negotiis maximè perſpicaces, in rebus ad æternam ſalutem ſpectantibus cæci ſunt, & quaſi iudicio ac ratione deſtituti. Vnde dicit Apoſtolus 1.Cor.1. *Videte, fratres, vocationem veſtram, quia non multi ſapientes ſecundùm carnem &c.* Et S. Aug. lib. 8. Conf. c.8. *Surgunt indocti, & cælum rapiunt: & nos cum doctrinis noſtris ſine corde, volutamur in carne & ſanguine.*

SECTIO IV.

An gratia habitualis à charitate diſtincta ſit.

1 CERTVM eſt ex antedictis charitatem à gratia habituali ſanctificante nunquam eſſe diſiunctam; proindeque illum, qui gratiam habitualem accipit, etiam charitatis habitum ſibi infuſum recipere. Sed controuerſum eſt inter Doctores, an gratia & charitas ſint à parte rei quid vnum, an verò illarum habitus realiter inter ſe ſint diſtincti.

Duæ

Duæ ſunt autem ſuper hac quæſtione Theologorum ſententiæ.

Alij enim exiſtimant realiter inter ſe diſtingui; & gratiam quidem in ipſa animæ ſubſtantia, tanquam in proprio ſubiecto, ſedem habere; charitatem verò in voluntate: & per charitatem nos diligere Deum; per gratiam autem nos à Deo diligi.

Alij verò aſſerunt gratiam & charitatem vnum eundemque eſſe habitum, nec ab inuicem niſi ratione diſtingui. Ita Bellarm. lib. 1. de grat. & lib. & alij.

Huius autem ſecundæ ſententiæ (quam vt probabiliorem amplectimur) veritas probatur 1. ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 7. vbi quamuis ſuper hac quæſtione (cùm ad finem minimè pertineat) nihil definire voluerit, ſatis apertè tamen indicauit, cui ſententiæ magis faueret. Poſtquam enim dixit, vnicam formalem cauſam noſtræ iuſtificationis eſſe iuſtitiam Dei, non qua ipſe iuſtus eſt, ſed qua nos iuſtos facit; explicans poſteà quænam ſit illa iuſtitia, dicit peccatorem iuſtum fieri, dùm paſſionis Chriſti merito, per Spiritum ſanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui iuſtificantur, atque ipſis inhæret. Vbi nullius alterius gratiæ iuſtificantis præter quam charitatis mentionem facit.

Probatur 2. ex S. Aug. lib. donat. & gr. c. vlt. vbi ſic loquitur, *Charitas inchoata, inchoata iuſtitia eſt: charitas prouecta, prouecta iuſtitia eſt: charitas magna, magna iuſtitia eſt, charitas perfecta, perfecta iuſtitia eſt:* Et S. Bernard. lib. de modo benè viuendi c. 4. *Timor ſanctus introducit in mentè hominis perfectam charitatem; perfecta autem charitas perfecta eſt ſanctitas.*

3 Quærunt hìc aliqui, an ſicut habitualis, ſic etiam actualis charitas formaliter hominem ſanctificet, an v.g. actus perfectæ contritionis ex vero charitatis motiuo elicitus, per ſe & formaliter hominem iuſtificet.

Reſpondetur 1. certùm eſſe, quacunque ratione id fiat, ſiue formaliter, ſiue meritoriè, ſiue alio quouis modo, actum perfectæ contritionis, ſeu charitatis, peccata delere, hominemque iuſtificare. Id enim expreſsè definitum eſt in Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 4. vbi dicit contingere aliquando contritionem charitate perfectam eſſe, hominemque Deo reconciliare, priuſquam Sacramentum pœnitentiæ actu ſuſcipiatur.

Reſpondetur 2. probabiliſſimum eſſe, etiam formaliter, per ipſummet actum charitatis hominem iuſtificari, proindeque peccata omnia deleri. Cùm (vt ait S. Doctor 2. 2. q. 27. a. 4. ad 3.) per actum quemlibet perfectum charitatis, auerſio à Deo formaliter tollatur, & anima immediatè Deo coniugatur vinculo ſpiritualis vnionis. Vnde dicitur 1. S. Ioan. 4. quod, *Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.* Et S. Bernard. ſerm. 83. in Cant. dicit Cha-

Charitatis actum eſſe, *ſpiritualis connubij animæ cum Deo, non ſolum contractum, ſed etiam amplexum.*

SECTIO V.

An aliquæ diſpoſitiones ad iuſtificationem requirantur, & quæ?

1 SVpponimus tanquam certum ex fide, ſolum Deum eſſe cauſam principalem efficientem iuſtificationis. Hoc enim conſtat ex Scriptura: Iob. 14. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nonne tu qui ſolus es?* Iſai. 43. *Ego ſum qui deleo iniquitates tuas.* Vnde ſequitur ex pura & gratuita Dei miſericordia pendere iuſtificationem hominis; illumque proinde non alio modo poſſe iuſtificationem conſequi, niſi eo, quem ipſe Deus illi præſcripſit. Hoc præſuppoſito, pro quæſtionis propoſitæ reſolutione,

Dicendum 1. Deum, vt hominem adultum iuſtificet, aliquas ab illo diſpoſitiones, ſeu bonos aliquos motus liberi arbitrij exigere; ad quos tamen illum gratiæ actualis auxilio excitat & adiuuat. Ita Sanctus Thomas quæſt. 113. art. 3.

Probatur 1. ex Scriptura, quæ innumeris propè in locis hortatur peccatores ad pœnitentiam, ad timorem Dei, & alios ſimiles actus virtutum; vt per illos ad peccatorum remiſſionem accipiendam ſe diſponant.

Probatur 2. ex Concilio Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. vbi explicat varios actus virtutum, per quos peccator ad iuſtificationem diſponitur: ca. 9. profert anathema in eum qui dixerit nulla ex parte neceſſe eſſe, vt impius, ad iuſtificationis gratiam conſequendam, voluntatis ſuæ motu præparetur ac diſponatur.

Probatur 3. ex his S. Aug. verbis ſerm 15. de verbis Dom. cap. 11. *Qui fecit te ſine te, non iuſtificat te ſine te: fecit neſcientem, iuſtificat volentem.*

Obiicies, in Concilio Arauſicano 2. can. 4. dici Deum, vt à peccato purgemur, voluntatem noſtram non expectare.

Reſpondetur verum eſſe quòd Deus non expectat voluntatem noſtram, vt primam gratiam vocantem & excitantem tribuat, à qua incipit noſtra iuſtificatio: falſum autem eſſe poſt quam Deus peccatorem gratia ſua excitauit vt pœniteat, illum eius voluntatem non expectare, vt ei tribuat peccati remiſſionem, gratiamque iuſtificantem ei infundat. Et hunc eſſe Concilii ſenſum indicant verba ſequentia, quibus dicit: Vt purgari velimus, per Spiritus ſancti infuſionem & operationem in nobis fieri.

Dicen-

Dicendum 2. primam ex diſpoſitionibus in adulto requiſitis ad iuſtificationem, eſſe fidem. Ita S. Thom. 1. 2. q. 113. a. 4. & 5.

2 Probatur ex eò quòd dicit Apoſtolus Hebr. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum.*

Deinde ex Concilio Trident. ſeſſ. 6. cap. 8. vbi fides dicitur eſſe, *humanæ ſalutis initium, & fundamentum, ac radix omnis iuſtificationis.*

Et ex S. Auguſt. lib. de prædeſt. ſanct. cap. 7. *Fides*, inquit, *prima dicitur, ex qua cætera impetrantur.* Et ex S. Cyrill. Ieroſol. Catecheſi. 1. vbi dicit fidem eſſe quaſi oculum & lampadem ad viam ſalutis inueniendam.

Obſeruandum eſt autem, fidem illam, quam dicimus ad iuſtificationem requiri, non eſſe fiduciam ſeu confidentiam, qua credit homo ſua peccata ſibi eſſe à Deo remiſſa (vt falsò dicunt hæretici) ſed eſſe fidem illam, qua veritatibus à Deo reuelatis aſſentimur. Vnde Scriptura deſcribens fidei actum ad iuſtificationem neceſſarium, explicat illum per aſſenſum datum veritatibus à Deo reuelatis, non verò per fiduciam de peccatorum commiſſorum obtenta remiſſione: S. Ioan. 20. *Hæc ſcripta ſunt, vt credatis, quia Ieſus eſt Filius Dei: & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.* Et Eccleſia etiam nullam aliam à baptizandis fidem exigit, quam eorum quæ in Symbolo continentur.

Dicendum 3. fidem ſolam non ſufficere, ſed præter illam, aliarum quoque virtutum actus, tanquam diſpoſitiones, ad iuſtificationem conſequendam requiri.

Hoc conſtat ex eo quòd Scriptura ad peccatoris iuſtificationem, timoris, ſpei, pœnitentiæ aliarumque ſimilium virtutum actus æquè ac fidei requirit, vt mox dicetur.

Ad obiectiones autem hæreticorum ſoluendas, hoc vnum aduertere ſufficiat, nuſquam haberi in Scripturis fidem ſolam iuſtificare. Dicit quidem Apoſtolus variis in locis, nos iuſtificari ex fide: quod veriſſimum eſt, cùm ſit initium ac radix omnis iuſtificationis; ſed non dicit nos ex ſola fide iuſtificari.

3 Dicendum 4. præter fidem quinque alias diſpoſitiones ordinariè concurrere ad iuſtificationem, vt habetur in Concilio Trident. ſeſſ. 6. c. 6. ſcilicet diuinæ iuſtitiæ timorem, ſpem veniæ ex diuina miſericordia, dilectionem Dei, qua ipſe propter ſe & ſuper omnia diligatur, & ex illius dilectionis motiuo odium ac deteſtationem peccati ac propoſitum novæ vitæ, obſeruationiſque mandatorum, nec non ſuſcipiendi baptiſmi: in eo qui nondum baptizatus eſt. Eſt idem dicendum de pœnitentiæ ſacramento, ſi homo baptizatus ſit.

Iam quod ſpectat ad timorem diuinæ iuſtitiæ, dicit Concilium pec-

Charitatis actum eſſe, *ſpiritualis connubij animæ cum Deo, non ſolum contractum, ſed etiam amplexum.*

SECTIO V.

An aliquæ diſpoſitiones ad iuſtificationem requirantur & quæ?

1 SVpponimus tanquam certum ex fide, ſolum Deum eſſe cauſam principalem efficientem iuſtificationis. Hoc enim conſtat ex Scriptura: Iob. 14. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nonne tu qui ſolus es?* Iſai. 43. *Ego ſum qui deleo iniquitates tuas.* Vnde ſequitur ex pura & gratuita Dei miſericordia pendere iuſtificationem hominis; illumque proinde non alio modo poſſe iuſtificationem conſequi, niſi eo, quem ipſe Deus illi præſcripſit. Hoc præſuppoſito, pro quæſtionis propoſitæ reſolutione,

Dicendum 1. Deum, vt hominem adultum iuſtificet, aliquas ab illo diſpoſitiones, ſeu bonos aliquos motus liberi arbitrij exigere; ad quos tamen illum gratiæ actualis auxilio excitat & adiuuat. Ita Sanctus Thomas quæſt. 113. art. 3.

Probatur 1. ex Scriptura, quæ innumeris propè in locis hortatur peccatores ad pœnitentiam, ad timorem Dei, & alios ſimiles actus virtutum; vt per illos ad peccatorum remiſſionem accipiendam ſe diſponant.

Probatur 2. ex Concilio Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. vbi explicat varios actus virtutum, per quos peccator ad iuſtificationem diſponitur: ca. 9. profert anathema in eum qui dixerit nulla ex parte neceſſe eſſe, vt impius, ad iuſtificationis gratiam conſequendam, voluntatis ſuæ motu præparetur ac diſponatur.

Probatur 3. ex his S. Aug. verbis ſerm 15. de verbis Dom. cap. 11. *Qui fecit te ſine te, non iuſtificat te ſine te: fecit neſcientem, iuſtificat volentem.*

Obiicies, in Concilio Arauſicano 2. can. 4. dici Deum, vt à peccato purgemur, voluntatem noſtram non expectare.

Reſpondetur verum eſſe quòd Deus non expectat voluntatem noſtram, vt primam gratiam vocantem & excitantem tribuat, à qua incipit noſtra iuſtificatio: falſum autem eſſe poſt quam Deus peccatorem gratia ſua excitauit vt pœniteat, illum eius voluntatem non expectare, vt ei tribuat peccati remiſſionem, gratiamque iuſtificantem ei infundat. Et hunc eſſe Concilii ſenſum indicant verba ſequentia, quibus dicit: Vt purgari velimus, per Spiritus ſancti infuſionem & operationem in nobis fieri.

Dicen-

Dicendum 2. primam ex diſpoſitionibus in adulto requiſitis ad iuſtificationem, eſſe fidem. Ita S.Thom.1.2.q. 113. a.4. & 5.

2 Probatur ex eò quòd dicit Apoſtolus Hebr.11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum.*

Deinde ex Concilio Trident. ſeſſ. 6. cap. 8. vbi fides dicitur eſſe, *humanæ ſalutis initium, & fundamentum, ac radix omnis iuſtificationis.*

Et ex S. Auguſt. lib. de prædeſt. ſanct. cap.7. *Fides*, inquit, *prima dicitur, ex qua cætera impetrantur*. Et ex S. Cyrill. Ieroſol. Catecheſi. 1. vbi dicit fidem eſſe quaſi oculum & lampadem ad viam ſalutis inueniendam.

Obſeruandum eſt autem, fidem illam, quam dicimus ad iuſtificationem requiri, non eſſe fiduciam ſeu confidentiam, qua credit homo ſua peccata ſibi eſſe à Deo remiſſa (vt falsò dicunt hæretici) ſed eſſe fidem illam, qua veritatibus à Deo reuelatis aſſentimur. Vnde Scriptura deſcribens fidei actum ad iuſtificationem neceſſarium, explicat illum per aſſenſum datum veritatibus à Deo reuelatis, non verò per fiduciam de peccatorum commiſſorum obtenta remiſſione: S. Ioan.20. *Hæc ſcripta ſunt, vt credatis, quia Ieſus eſt Filius Dei: & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.* Et Eccleſia etiam nullam aliam à baptizandis fidem exigit, quam eorum quæ in Symbolo continentur.

Dicendum 3. fidem ſolam non ſufficere, ſed præter illam, aliarum quoque virtutum actus, tanquam diſpoſitiones, ad iuſtificationem conſequendam requiri.

Hoc conſtat ex eo quòd Scriptura ad peccatoris iuſtificationem, timoris, ſpei, pœnitentiæ aliarumque ſimilium virtutum actus æquè ac fidei requirit, vt mox dicetur.

Ad obiectiones autem hæreticorum ſoluendas, hoc vnum aduertere ſufficiat, nuſquam haberi in Scripturis fidem ſolam iuſtificare. Dicit quidem Apoſtolus variis in locis, nos iuſtificari ex fide: quod veriſſimum eſt, cùm ſit initium ac radix omnis iuſtificationis; ſed non dicit nos ex ſola fide iuſtificari.

3 Dicendum 4. præter fidem quinque alias diſpoſitiones ordinariè concurrere ad iuſtificationem, vt habetur in Concilio Trident. ſeſſ. 6.c.6. ſcilicet diuinæ iuſtitiæ timorem, ſpem veniæ ex diuina miſericordia, dilectionem Dei, qua ipſe propter ſe & ſuper omnia diligatur, & ex illius dilectionis motiuo odium ac deteſtationem peccati ac propoſitum novæ vitæ, obſeruationiſque mandatorum, nec non ſuſcipiendi baptiſmi: in eo qui nondum baptizatus eſt. Eſt idem dicendum de pœnitentiæ ſacramento, ſi homo baptizatus ſit.

Iam quod ſpectat ad timorem diuinæ iuſtitiæ, dicit Concilium

pec-

peccatores illo vtiliter concuti: quod aduerſus Lutherum declarauit; qui docuit timorem illum eſſe peccatum, vt patet ex bulla condemnationis articulorum ipſius à Leone X. factæ. Et ex can. 8. eiuſdem ſeſſ.6. Concil. Trident. vbi anathema dicitur ei, qui hoc docuerit.

Hæc autem veritas, præter ipſius Concilii ac ſummi Pontificis authoritatem, probari poteſt, error oppoſitus refellitur ex Scriptura. Prou. 14. *Timor Domini fons vitæ.* Eccl. 1. *Timor Domini expellit peccatum.* Et lib. 2. Reg. cap. 12. Natan. Propheta comminatione pœnarum Dauidem ad pœnitentiam cohortatus eſt. Et S. Matth. 3. S. Ioannes Baptiſta idem fecit erga Iudæos. Et Chriſtus Dominus S. Luc. 15. hortatur ad timendum eum, qui poſtquam corpus occiderit, animam poteſt mittere in gehennam. Vnde patet quàm verè dixit Concilium Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. timorem illum gehennæ *eſſe donum Dei, & impulſum Spiritus Sancti; non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum mouentis: quo pœnitens adiutus, viam ſibi ad iuſtitiam parat.* Vt autem hæc melius intelligantur.

4 Obſeruandum eſt, timorem illum ſeruilem duplici modo concipi poſſe 1. quando quis à peccato abſtinet, vel bonum aliquod facit, eo tantùm fine, vt effugiat pœnam, & ita diſpoſitus eſt, vt niſi timeret pœnam, nec à malo abſtineret, nec bonum faceret: & ſic fuga pœnæ fit quaſi vltimus finis, quem ſibi proponit in faciendo bono, vel abſtinendo à malo: & hic timor malus eſt 2. quando aliquis abſtinet quidem à malo, vel bonum aliquod facit, vt pœnam effugiat: ſed ita vt fuga & deuitatio pœnæ ſit tantùm finis proximus, non verò vltimus, quo ad abſtinendum à malo, vel ad bonum faciendum moueatur; atque ita diſpoſitus ſit, vt quamuis pœnam euitare poſſet, non tamen propterea vellet aut malum committere, aut bonum quod ſibi faciendum eſt, omittere. Et hic timor bonus eſt, atque vtilis, ac de illo intelligenda ſunt ea quæ ſuprà diximus.

Quod ſpectat ad ſpem, certum quoque eſt ex Scriptura illam requiri ad iuſtificationem. Pſal. 31. *Sperantem in Domino miſericordia circumdabit.* Prou. 28. *Qui ſperat in Domino, ſanabitur.*

De dilectione Dei ſimiliter conſtat ex his Chriſti Domini verbis S. Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

De odio etiam & deteſtatione peccati patet ex innumeris propè Scripturæ locis, hanc præſertim diſpoſitionem ad peccatoris iuſtificationem requiri; ſicut & propoſitum nouæ vitæ, obſeruationis mandatorum, ac ſuſcipiendi ſacramenti ſiue baptiſmi, ſiue pœnitentiæ, vt pleniùs dicetur in tractatu de Sacramentis.

Dices ex Concilio Tridentino ſuprà, ſolam contritionem perfectam ſufficere ad peccatoris iuſtificationem: vnde ſequitur illarum virtutum actus ad eam minimè requiri.

Reſpon-

Reſpondetur concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens; non requiri vt illarum virtutum actus explicitè ſemper eliciantur, conceditur; non requiri, vt ſaltem virtualiter & implicitè; negatur. In actu enim perfectæ contritionis omnium illarum virtutum actus virtualiter & implicitè continentur: nam qui verè dolet Deum offendiſſe, eo quod illum perfectè & ſummè diligat; is & virtualiter in Deum credit, & timet illum, ſi non timore ſeruili, certè reuerentiali & filiali; & ſperat in eum, quem ſummè bonum agnoſcit; & in poſterum vult illi obſequi, & omnia præſtare, quæ ipſi placita eſſe cognoſcit.

SECTIO VI.

An gratia habitualis, ſeu charitas, augeri, vel minui, vel amitti poſſit?

1 QVOD ſpectat ad primam quæſtionis propoſitæ partem, dicendum eſt gratiam habitualem ſeu charitatem, poſſe in hac vita augeri. Ita S. Thomas 2.2.q.24.a.4.

Conſtat in primis ex Scriptura, Prou.4. *Iuſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens, creſcit vſque in perfectam diem*: & Apoc. 24: *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc; & qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc*. Deinde ex Concilio Tridentino ſeſſ.6.cap.10. vbi dicit, *Iuſtificatos in ipſa iuſtitia per Chriſti gratiam accepta, cooperante fide, bonis operibus, creſcere, atque magis iuſtificari.*

Obſeruandum eſt autem gratiæ habitualis, ſeu charitatis augmentum non fieri inſtar aliarum virtutum acquiſitarum; quæ quidem, ſicut per actus producuntur, ſic etiam per eoſdem augentur & intenduntur. Cum enim gratiæ ſeu charitatis habitus non producatur per actus, ſed à Deo infundatur, augmentum illius à ſolo Deo eſt; tanquam a cauſa efficiente, non verò ab actibus bonis hominis iuſtificati, niſi quatenùs per illos ipſius gratiæ & charitatis augmentum promeretur, vt capite ſequenti dicemus.

Quod ſpectat ad ſecundam quæſtionis propoſitæ partem, dicendum eſt gratiam habitualem, ſeu charitatem minui non poſſe. Ita S.Thom.ſup.art.10.

Quod probat ex eo, quòd ſi minueretur, hoc fieret, vel per ceſſationem ab actibus ipſius charitatis, vel per aliquos actus ſibi contrarios; ſicut & in virtutibus acquiſitis, quæ vtroque illo modo minuuntur: quia conſeruatio cuiuſque rei dependet à ſua cauſa; virtutis autem acquiſitæ cauſa ſunt ipſius actus, vnde illis ceſſantibus, vel aliis contrariis aduenientibus, paulatim minuitur ipſius virtutis habitus, ac tandem totaliter corrumpitur. Hoc autem in gratia ſeu cha-

charitate locum non habet: cùm enim charitatis habitus neque producatur, neque augeatur per actus; hinc fit vt (præciſè loquendo) per actuum ceſſationem directè non minuatur; neque etiam per actus contrarios, ſeu per peccata: peccatum enim ſi mortale ſit, non minuit, ſed totaliter charitatis habitum corrumpit, vt mox dicetur: ſi autem veniale ſit, habitum Charitatis non minuit, ſi enim minueret, vel effectiuè, vel meritoriè minueret: non effectiuè, quia ipſi charitati non opponitur: neque etiam meritoriè: qui enim delinquit in minori (vt ait S. Doctor) non meretur detrimentum in maiori: neque Deus ſe ab homine magis auertit, quàm homo auertat ſe ab ipſo. Quod quamuis verum ſit, rectè tamen monet S. Doctor ibidem, aliquo ſenſu dici poſſe, per peccata venialia, vel per ceſſationem ab exercitio bonorum operum, indirectè minui gratiam vel charitatem; in quantum minuitur feruor eius, & homo magis ac magis diſponitur ad totalem ipſius corruptionem.

Quod denique ad tertiam quæſtionis propoſitæ partem attinet, certum eſt, gratiam poſſe amitti.

Conſtat tum ex Scriptura, 1. Ezech. 18. *Si auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, omnes iuſtitiæ eius non recordabuntur*. Experientia nimis funeſta compertum eſt, iuſtitiam & gratiam non ſolùm poſſe amitti, ſed etiam de facto ferè ab omnibus amitti: ac pauciſſimos eſſe, imo penè nullos, qui gratiam in Baptiſmo acceptam vſque in finem vitæ retineant, quique pœnitentiæ remedio non indigeant.

SECTIO VII.

An aliquis certò ſcire poſſit ſe eſſe iuſtificatum.

1 QVÆSTIONIS ſenſus eſt, an aliquis certus eſſe poſſit, certitudine fidei, cui proinde non poſſit ſubeſſe falſum, ſe eſſe iuſtificatum, ac in ſtatu gratiæ habitualis ſanctificantis conſtitutum. Pro cuius reſolutione,

Dicendum 1. neminem debere, nec poſſe credere certò, ſe eſſe iuſtificatum.

Eſt de fide contra Caluinum qui lib. 3. Inſt. c. 2. §. 16. & ſequentibus, & in Antidoto Concil. Trident. ad cap. 13. & 1. ſeſſ. 6. aſſerit quemlibet fidelem, non ſolùm eſſe certum de ſua iuſtificatione: ſed etiam teneri ad credendum ſe per Chriſti iuſtitiam ſibi imputatam, eſſe iuſtificatum.

Refellitur hic error, & veritas noſtræ fidei probatur 1. ex Scriptura Eccleſ. 9. *Neſcit homo vtrùm odio vel amore dignus ſit*. Pſalm. 18. *Deli-*

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine: ex quo loco S. Hieron. l. 1. aduerſus Pelagianos probat iuſtorum nemini planè cognitum eſſe, ſit ne abſque peccatis, an non. Et 1. Cor. 4. *Nihil mihi conſcius ſum; ſed non in hoc iuſtificatus ſum.*

Probatur 2. ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 9. vbi expreſsè habetur quod, *Sicut nemo pius de miſericordia Dei, de Chriſti merito, deque ſacramentorum virtute & efficacia dubitare debet: ſic quilibet, dum ſeipſum, ſuamque propriam infirmitatem & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare & timere debet; cum nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum.*

Probatur 3. ex S. Aug. ſerm. 23. de verbis Domini: *Fortaſſe*, inquit, *tu nihil inuenis in conſcientia tua: inuenit ille qui meliùs videt.* Et S Bernard. ſerm. 3. de Aduentu: *Accedit ad ſollicitudinis cumulum & pondus timoris, quod cùm & meam, & proximi conſcientiam ſeruare neceſſe ſit, neutra mihi ſatis eſt nota; vtraque abyſſus eſt imperſcrutabilis: vtraque mihi nox eſt.*

Porro id ſapientiſſimè à Deo factum eſſe, vt de propria iuſtificatione nullam habeant homines (quandiu in hac mortali vita degunt) certitudinem; inde conſtat, quod (vt ait S. Aug. lib. de corrept. & grat. cap. 13.) *in hoc loco tentationis, tanta eſt infirmitas, vt etiam poſſit ſuperbiam generare ſecuritas.*

2 Dicendum 2. quod, quamuis ſecundum legem ordinariam nemo ſcire certo poſſit, ſe eſſe in ſtatu gratiæ ſanctificantis: id tamen extraordinariè, per ſpecialem reuelationem diuinitùs factam poſſe cognoſci; vt de facto ſanctiſſima Virgo id cognouit: cùm ab Angelo audiuit; *Aue gratia plena, Dominus tecum*: Item S. Magdalena, cùm Chriſtus Dominus illi dixit: *Remittuntur tibi peccata tua*: & etiam omnes ſancti Apoſtoli, vt docet S. Tho. 24. de veritate a. 4. 9.

Dicendum 3. poſſe etiam quemlibet iuſtum, citra omnem reuelationem, habere certitudinem aliquam moralem, ſeu coniecturalem de ſua iuſtificatione, ſigniſque quibuſdam & veriſimilibus argumentis atque coniecturis probabiliter cognoſcere, ſe eſſe in ſtatu gratiæ: in quibus tamen, qualiacunque ſint, nullus abſolutè debet conquieſcere, neque in ſeipſo confidere, vel gloriari; quoniam (vt rectè monet Concilium Trident. ſeſſ. 6. cap. 16.) *Omnis hominum vita non humano iudicio examinanda & iudicanda eſt, ſed Dei qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo.*

CAPVT V.

De altero gratiæ effectu, ſeu de merito.

SECTIO I.

An poſſit homo aliquid à Deo mereri.

1 OBSERVANDVM eſt, nos hîc non ſumere nomen meriti latè, provt etiam aliquando in malam partem accipitur; vt 2. Paralip. cap. 16. *Iram Domini merebaris:* ſed ſtrictè & propriè, provt ſignificat actionem liberam, honeſtam & bonam, quæ mercede aliqua & præmio digna eſt: qua in ſignificatione dicitur Eccl. 17. *Omnis miſericordia faciet locum vnicuique, ſecundùm meritum operum ſuorum.* Hac obſeruatione ſuppoſita, pro quæſtionis propoſitæ reſolutione,

Dicendum eſt hominem poſſe verè & propriè aliquid à Deo mereri.

Eſt de fide contra Caluinum & eius affeclas: qui nomen meriti communiter reijciunt, tanquam diuinæ gratiæ ac miſericordiæ iniurioſum, ac ſuperbiam & præſumptionem redolens. Verùm quàm falſo id dicant, & vt potiùs deſidiæ ſuæ ac ſocordiæ, quàm vt Dei gloriæ conſulant, ex ijs quæ mox dicemus, patebit. Noſtræ igitur aſſertionis veritas

Probatur 1. ex pluribus Scripturæ locis, in quibus mentio fit mercedis à Deo iuſtis reddendæ, propter bona illorum opera: vt S. Matth. 5. *Cùm perſecuti vos fuerint propter nomen meum, gaudete & exultate; quia merces veſtra multa eſt in cœlo* 1. Cor. 3. *vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundùm laborem ſuum.*

Probatur 2. ex Concilio Arauſicano can. 18. *Debetur merces bonis operibus, ſi fiant: ſed gratia quæ non debetur, præcedit vt fiant.* Et ex Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. *Benè operantibus vſque in finem, & in Deo ſperantibus, proponenda eſt vita æterna; & tanquam gratia filijs Dei per Chriſtum Ieſum miſericorditer promiſſa, & tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus & meritis fideliter credenda,*

Probatur 3. ex SS. Patribus, qui vnanimi conſenſu bonis iuſtorum operibus merendi vim ineſſe docent; vt S. Cypr. lib. de vnitate Eccleſiæ poſt medium: *Iuſtitia,* inquit, *opus eſt, vt promereri quis poſſit Deum: præceptis eius, ac monitis obtemperandum eſt, vt accipiant merita noſtra mercedem.* S. Auguſt. Epiſt. 105. *Nullane,* inquit, *ſunt*

ſunt planè, quia iuſti ſunt: ſed vt iuſti fierent, merita non fuerunt.

Obiicies 1. S. Luc. cap. 11. *Cùm feceritis omnia, dicite, quia ſerui inutiles ſumus.*

Reſpondetur nos eſſe ſeruos inutiles (vt explicat S. Ambr. lib. 8. in S. Luc. ſi conſideremus id quod facimus, prout à nobis tantum eſt, ſed non vt eſt à Chriſto in nobis per gratiam ſuam operante, vel vt explicat Beda in hunc locum nos eſſe ſeruos inutiles reſpectu Dei: cùm nihil illi vtilitatis accedat ex operibus noſtris, quamuis per eius miſericordiam & gratiam opera illa bona nobis ſint valdè vtilia & proficua.

Objicies 2. ex Iſai 64. *Facti ſumus immundi omnes nos, & vt pannus menſtruatæ omnes iuſtitiæ noſtræ.*

Reſpondetur Prophetam illic loqui, non in perſona iuſtorum, ſed Iudæorum; qui cum peccatis in animæ ſordeſcerent, meritò dicere poterant iuſtitias ſuas, id eſt, legis externas obſeruationes, immundas eſſe & ſordidas in conſpectu Dei: cùm (vt Chriſtus dixit) quæ de corde exeunt, ea ſint, quæ coinquinent hominem. Ita hunc locum explicat S. Hieronymus in commentarijs in illud Prophetæ caput.

SECTIO II.

An meritum rectè diuidatur in meritum de condigno, & meritum de congruo.

1 PER meritum de condigno intelligunt Theologi meritum illud, quod mercede ac præmio ex ſe dignum eſt, & cui proinde ex quadam iuſtitia debetur merces ac præmium. Per meritum autem de congruo illud, quod, quamuis mercede non ſit ex ſe dignum, illi tamen ex decentia quadam & congruitate debetur. Hac obſeruatione ſuppoſita,

Dicendum 1. iuſtos poſſe de condigno aliquid à Deo mereri.

Probatur 1. ex iis Scripturæ locis, in quibus dicitur iuſtos per bona opera fieri dignos præmio & remuneratione. Sap. 3. *Deus tentauit illos, & inuenit illos dignos ſe* S. Matth. 10. *Dignus eſt operarius mercede ſua.* Apoc. 3. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt.* Item ex ijs in quibus dicitur, Deum bonis iuſtorum operibus reddere mercedem ex quadam iuſtitia. S. Matth. 20. *Quod iuſtum fuerit, dabo vobis.* Hebr. 6. *Non eſt iniuſtus Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri.* 2. ad Timoth. 4. *Bonum certamen certaui, &c. in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ; quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex, non ſolùm autem mihi, ſed & ijs qui diligunt aduentũ eius.* Quæ Apoſtoli verba Concilium Tridentinum ſuprà de mercede bonis iuſtorum

operibus debita,& à Deo reddenda explicat.

Probatur 2. ex SS. Patribus, qui paſſim Deum erga iuſtos debitorem eſſe dicunt: vt S. Cypr. lib. de eleemoſyna: *Praclara,* inquit *ac diuina res,ſalutaris operatio, qua promeretur Chriſtum iudicem & Deum computat debitorem*. S. Ambr. lib. 7. in S. Luc. *Reddes ergò,Domine,quod debes:beati quibus es debitor* S. Hieron. Epiſt. ad Heluidiam cap. 1. *Quanta beatitudo pro paruis magna recipere, & Deum habere debitorem* Et S. Aug. ſer. 6. de verbis Apoſtoli, *Poſſumus ita Deum alloqui tanquam debitorem eique dicere: Redde quod promiſiſti,quia fecimus quod iuſſiſti*.

Obiicies inter Deum & creaturam nullam eſſe poſſe iuſtitiam: neque Deum poſſe vnquam debitorem vlli creaturæ fieri.

2 Reſpondetur hoc veriſſimum eſſe, ſi creatura præcisè ſecundùm ſe conſideretur; non item, ſi quatenùs homo iuſtus eſt membrum viuum Chriſti Domini, & ex eius merito ac virtute operatur. Et quamuis etiam ea ratione inter Deum & hominem non poſſit eſſe iuſtitia ſtrictè ſumpta; eſt tamen inter vtrumque vera aliqua ratio iuſtitiæ latè ſumptæ, qualis eſt inter Patrem & Filium, dominum & ſeruum.

Dicendum 2. dari etiam meritum de congruo.

Probatur ex iis Scripturæ locis, in quibus aliquid à Deo peccatoribus dari dicitur, intuitu aliquorum bonorum operum, vt Exod. 1. refertur de obſtetricibus Ægyptiorũ,& Act. 10. de Cornelio Centurione. Certum eſt autem peccatores nihil à Deo poſſe de condigno mereri, vt ſectione ſequenti dicetur. Vnde ſequitur meritum illorum eſſe tantùm de congruo.

SECTIO III.

Quænam conditiones requirantur ad meritum, ex parte illius qui meretur?

1 QVÆSTIO intelligenda eſt de merito condigno quod propriè & ſimpliciter meritum dicitur, & pro illius reſolutione,

Dicendum eſt duas potiſſimum conditiones requiri ex parte illius qui meretur. Prima eſt, vt ſit in ſtatu gratiæ ſanctificantis. Secunda, vt ſit in ſtatu viæ. Ita communiter omnes.

Primæ conditionis neceſſitas probatur 1. ex Scriptura S. Ioan. 5. *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ſic nec vos, niſi in me manſeritis.* Et 1. Cor. 13. *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.*

Probatur 2. ex Concilio Tridentino ſeſſ.6. cap. 16. vbi meritum dicitur eſſe fructum iuſtificationis; diciturque ſine vnione cum Chriſto, ac virtute quam in iuſtificatos influit, bona illorum opera meritoria eſſe non poſſe.

Probatur 1. ex S.Greg. lib. 2. Moral. cap. 8. vbi dicit, quod *non Abel ex muneribus. ſed ex Abel munera oblata placuerunt*: quaſi dicat, Deum priùs intueri perſonam, quam munera & opera eius; illaque ipſi accepta eſſe non poſſe, niſi perſona offerentis, vel operantis ipſi grata & accepta ſit.

2 Secundæ conditionis neceſſitas conſtat 1. ex Scrptura S. Ioan. 9. *Venit nox* (mortis tempus ſcilicet) *quando nemo poteſt operari*. Galat. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum*. Eccleſ. 11. *In quocunque loco ceciderit lignum, ibi erit.*

Conſtat 2. ex S. Hier. in c..6. 1. ad Cor. *Tempus*, inquit, *ſementis, eſt vita præſens quam currimus: cum vita iſta tranſierit, operandi tempus auferetur*. Et S. Auguſt. in Enchir. cap. 110. *Nemo* inquit, *ſperet quod hic neglexerit, cũ obierit, apud Deum promereri.*

Ratio autem huius conditionis alia non eſt, quàm ipſius Dei voluntas, qui conſtituit vt merita omnia morte finirentur; alias, ſi ita voluiſſet, beati etiam in cœlo mereri potuiſſent, cùm ſtatus beatitudinis merito non repugnet, vt patet in Chriſto Domino.

SECTIO IV.

Quænam conditiones requirantur ex parte actus meritorij.

1 DVÆ ſunt præſertim conditiones, quæ ex parte actus requiruntur ad hoc vt ſit meritorius.

Conditio prima eſt, vt ſit liber, non tantùm à coactione, ſed etiam à neceſſitate. Quod hæc conditio requiratur ex parte actus,

Probatur 1. ex Scriptura. Eccli. 31. vbi de homine iuſto benè operante hæc dicuntur: *Qui probatus eſt in illo, & perfectus eſt, erit illi gloria æterna: qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus: facere mala, & non fecit: ideò ſtabilita ſunt bona illius in Domino*. Et 2. Cor. 6. vbi Apoſtolus loquens de eleemoſyna, ad quam fideles hortabatur: *vnuſquiſq; pro vt deſtinauit in corde ſuo, non ex iuſtitia, aut ex neceſſitate*.

Probatur 2. ex SS Patribus, qui vnanimiter hanc in bonis operibus conditionem requirunt: vt S. Iuſtin. mart. Apolog. 1. circa medium, vbi de bonis iuſtorum operibus loquens, *Neque enim*, inquit, *quidquam horum laude dignum eſſet, niſi vtramque in partem conuertere, & quaſi flectere ſe poſſent*. S. Iren. lib. 4. cap. 11. *Qui operantur bonum, gloriam & honorem percipient, quoniam operati ſunt bonum, cùm poſſent illud non operari*. Tertull. lib. 2. contra Marcion.

capite 4. *Tota libertas arbitrij conceſſa eſt homini, vt ſui Dominus conſtanter occurreret & bono ſponte ſeruando, & malo ſponte vitando, &c. Cæterum nec boni nec mali merces iure penſaretur ei, qui aut bonus aut malus neceſſitate inuentus fuiſſet*. Sanctus Hieron. libro 2. cont. Iouin. *Liberi arbitrij nos condidit Deus; nec ad virtutes, nec ad vitia neceſſitate trahimur, alioquin, vbi neceſſitas, nec corona, nec damnatio eſt.* Quam illius ſententiam referens & approbans S. Auguſtinus lib. de nat. & grat. cap. 5. *Quis*, inquit, *non agnoſcat, quis non toto corde ſuſcipiat, quis taliter conditam humanam neget eſſe naturam? ſed in rectè faciendo ideò nullum eſt vinculum neceſſitatis, quia libertas eſt charitatis*. S. Bernard. lib. de grat. & lib. arb. non longè poſt initium; *vbi neceſſitas*, inquit, *ibi libertas non eſt, nec meritum*.

2 Probatur 3. ex eo quod ad demeritum ſeu peccatum requiritur vt peccantis voluntas libera ſit, non ſolùm a coactione, ſed etiam à neceſſitate: ergo à contrario ad meritum benè operantis voluntas nullam in agendo non modo coactionem, ſed etiam neceſſitatem pati debet. Conſequentia patet, cùm vtrobique ſit par ratio. Antecedens probatur ex S. Auguſt. lib. de duabus animabus, vbi dicit cap. 11. *Neminem vituperatione ſuppliciove dignum eſſe, qui id non faciat, quod facere non poteſt*. Additque: *Nonne iſta cantant & in montibus paſtores, & in theatris Poetæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & magiſtri in ſcholis, & antiſtites in ſacris locis, & in orbe terrarum genus humanum?* Et in lib. de libero arbitrio cap. 18. *Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caueri poteſt? peccatur autem, caueri igitur poteſt*.

3 Secunda conditio requiſita ex parte ipſius actus, ad hoc, vt ſit meritorius, eſt vt ſit bonus & honeſtus, tam ex parte obiecti, quam finis & aliarum circumſtantiarum: id eſt, vt actus ille habeat obiectum bonum & honeſtum, & fiat propter finem bonum ac Deo gratum, ac in ipſum Deum, vel actualiter, vel ſaltem virtualiter referatur, nec vlla praua circumſtantia vitietur.

Huius conditionis neceſſitas conſtat ex eo quod in Scripturis retributio, merces, & corona promittuntur tantùm operibus bonis. Id etiam expreſsè habetur in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 16. & can. 31. & 32. vnde S. Auguſt. lib. de grat. & lib. arbit. cap. 6. *Qua mala ſunt*, inquit, *non coronat Deus*. Quod autem opera illa bona nullâ mala circumſtantia vitiari debeant, patet ex eo, quod ſi aliqua tali circumſtantia vitiarentur, deſinerent eſſe bona & honeſta: Cùm iuxta commune Philoſophorum axioma, bonum ſit ex integra cauſa, malum ex quocumq; defectu: quod fuſiùs explicabitur in tractatu de actibus humanis.

Addunt aliqui Doctores tertiam conditionem ex parte ipſius actus

ad

ad hoc vt ſit meritorius; nimirum vt à charitate ſit elicitus, aut ſaltem imperatus. Quamuis autem verum ſit actus illos qui à charitate eliciuntur vel imperantur, eſſe maximè meritorios præ actibus aliarum quarumque virtutum: Nihilominùs diuinam largitatem ac benignitatem magis commendat ſententia illorum, qui exiſtimant conditionem hanc, licet optimam, minimè tamen eſſe neceſſariam ad meritum, quam proinde vt probabiliorem amplectimur, aſſerimuſque cuiuis operi bono & honeſto hominis iuſti, quamuis non eliciatur ex motiuo vel imperio charitatis, ineſſe veram & propriam rationem meriti: dummodo conditiones omnes ſuprà explicatæ illi adſint.

Probatur hæc ſententia 1. ex iis omnibus Scripturæ & ſanctorum Patrum teſtimoniis, quæ propè innumera ſunt; in quibus excitantur & adiuuantur homines ad opera miſericordiæ aliarumque virtutum exercenda, nulla facta mentione, quod ex motiuo, vel imperio charitatis fieri debeant, aſſeriturque bonis illis operibus reddendam eſſe à Deo mercedem.

4 Probatur 2. ex Concilii Trident. ſeſſ. 6. cap. 16. vbi poſtquam dixit Chriſtum Dominum in iuſtificatos iugiter influeret virtutem, id eſt, gratiam actualem, quæ bona eorum opera antecedit, comitatur, & ſubſequitur; addit poſteà, *Nihil deeſſe ipſis iuſtificatis, quominus operibus illis, quæ in Deo* (hoc eſt in ſtatu gratiæ habitualis ſanctificantis, ſeu charitatis, per quam Deo vnimur, & in ipſo manemus) *ſunt facta, diuinæ legi benè ſatisfeciſſe; & æternam vitam promeruiſſe cenſeantur.*

Ex quibus Concilii verbis conſtat; bonis operibus, quæ per gratiæ actualis auxilium, & in ſtatu gratiæ ſanctificantis fiunt, nihil deeſſe, quominùs ſint meritoria. Atqui talia ſunt opera bona iuſtorum, quæ conditiones ſuprà explicatas habent: fiunt enim in ſtatu gratiæ ſanctificantis vt ſupponimus: fiunt etiam per auxilium gratiæ actualis, vt cap. 1. docuimus. Ergo talia opera ſunt meritoria; nec vlterius requiritur vt à charitate eliciantur, aut imperentur.

5 Confirmari poteſt eadem ſententia ex can. 24. eiuſdem ſeſſ. vbi anathema profertur in eum qui dixerit, *Iuſtitiam acceptam non conſeruari, atque etiam augeri, coram Deo per bona opera*. Vbi duo aduertenda ſunt. Primũ eſt, iuſtitiam ſeu gratiã ſanctificantem augeri per bona opera, non phyſicè, ſed tantùm meritoriè, vt ſupra diximus: ac proinde, quando Concilium dicit iuſtitiam ſeu gratiam augeri per bona opera, idem eſſe, ac ſi diceret, hominem iuſtum per bona opera, ipſius iuſtitiæ & gratiæ augmentum promereri. Secundum eſt, Concilium loqui de quibuſcumq; operibus bonis diſtinctè & indefinitè, vt rectè obſeruauit S. Franciſcus Saleſius in tractatu diuini amoris lib. 3. c. 2. vnde (vt ibidem monet) vbi nihil excipitur,

nihil diſtinguendum eſt: proindeque ipſius Concilij verba intelligi debent de quibuſcũq. iuſtorum operibus, dummodò ex omni parte bona ſint, qualia ſunt illa, quæ ſupradictas conditiones habent, quæque haud dubiè iuxta Concilij mentem ſunt verè meritoria.

Probatur 3. hac ratione ducta ex ſuprà relatis Concilij verbis: iiſdem operibus poteſt homo iuſtus mereri, quibus poteſt diuinæ legi ſatisfacere. Atqui poteſt homo iuſtus diuinæ legi ſatisfacere per opera moraliter bona, etiam ſi non fiant ex motiuo vel imperio charitatis. Quis enim dixerit hominem iuſtum v. g. eleemoſynam grauiter, aut extremè indigenti erogantem ex motiuo obedientiæ; quia Deus ſic fieri præcepit, non ſatisfacere diuino præcepto, quo eleemoſyna in tali caſu facienda præſcribitur? Ergo, ſi per illud opus moraliter bonum diuinæ legi ſatisfacit; quamuis illud non eliciat ex motiuo vel imperio charitatis, per idem opus bonum etiam mereri poterit.

6 Quæres an præter ſupradictas conditiones, tam ex parte operantis, quàm ex parte operis, requiratur inſuper pactum vel promiſſio ex parte ipſius Dei.

Reſpondetur affirmatiuè cum S. Doctore q. 14. art. 1. ad 3. vbi dicit actionem noſtram non habere rationem meriti, niſi ex præſuppoſitione diuinæ ordinationis.

Conſtat ex Scriptura, in qua bonorum operum merces dicitur reddi ex promiſſione Dei: S. Iac. 1. *Cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Et ex S. Auguſt. in Pſalm. 86. *Debitorem,* inquit, *Dominus ipſe fecit ſe non accipiendo, ſed promittendo.* Accedit & hæc ratio, quia reddenti acceptum non debetur merces, niſi ex promiſſione remunerantis. Atqui, quando aliquis bonum operatur, Deo reddit quod ab illo accepit: vnde Cæleſtinus Papa in Epiſt. ad Epiſcopos Gallię, *Tanta eſt,* inquit, *bonitas Dei erga homines, vt noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona.*

Ex dictis collige, quinque conditiones requiri ad hoc, vt opus aliquod ſit de condigno meritorium. Prima eſt, vt is qui meretur, ſit in ſtatu viæ. Secunda vt ſit in ſtatu gratiæ ſanctificantis. Tertia, vt liber ſit ab omni coactione & neceſſitate. Quarta, vt opus quod exercet, ſit omni ex parte bonum & honeſtum. Quinta denique, vt intercedat pactum & promiſſio ex parte ipſius Dei de mercede pro huiuſmodi opere bono retribuenda. Ad hoc autem vt opus ſit meritorium de congruo, ſecunda & quinta conditio minimè requiruntur, ſed ſufficit ſtatus viæ, libertas operantis, ac bonitas & honeſtas operis.

SE-

SECTIO V.

Quanam res cadant ſub meritum.

1 QVÆSTIO intelligenda eſt de rebus illis, quas qui ſibi mereri poteſt; de iis enim, quas alteri poteſt mereri, agetur ſectione 7. & pro illius reſolutione,

Dicendum 1. neminem de condigno vel de congruo poſſe ſibi primam gratiam actualem promereri.

Hæc veritas quæ de fide eſt, conſtat tùm ex Scriptura, 2. Timoth. 1. *Vocauit nos vocatione ſua ſancta; non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum & gratiam.* Tum ex Concil. Trident. ſeſſ. 6. c. 5. vbi dicit *Iuſtificationis exordium in adultis à Deo per Ieſum Chriſtum, præueniente gratia, ſumendum eſſe: hoc eſt ab eius vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur.* Tùm etiam ex iis omnibus quæ c. 1. contra Pelagianos & Semipelagianos allata ſunt.

Dicendum 2. hominem in ſtatu peccati mortalis, non poſſe vllis bonis operibus de condigno, mereri primam gratiam iuſtificantem, poſſe tamen de congruo.

Quod non poſſit de condigno conſtat ex Scriptura. Rom. 4. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius*, id eſt Chriſti: quæ verba expendens Concil. Trident. ſeſſ. 6. c. 8. *Gratis*, inquit, *iuſtificari dicimur: quia nihil eorũ quæ iuſtificationem præcedunt, ſiue fides, ſiue opera ipſius iuſtificationis gratiã promeretur*; de condigno ſcilicet.

Quod autem peccator, gratiæ actualis auxilio præuentus, poſſit de congruo primam gratiam ſanctificantem promereri, conſtat ex Scriptura Dan. 4. vbi Propheta Nabuchodonoſorem infidelem & peccatorem alloquens, *Peccata*, inquit, *tua eleemoſynis redime*. Et ex S. Auguſt. Epiſt. 89. q. 4. *Si diues epulo pauperis vlceroſi miſertus fuiſſet, mereretur & ipſe miſericordiam.* Et Epiſt. 105. iam aliàs citata, *neque*, inquit, *ipſa remiſſio peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetrat: neque enim nullum eſt fidei meritum.*

2 Dicendum 3. hominem in ſtatu gratiæ ſanctificantis conſtitutum poſſe ipſius gratiæ augmentum de condigno promereri. Ita S. Thom. q. 114. art. 8. Probatur ex Concilio Trident. ſeſſ. 6. can. 32. vbi profert anathema in eum qui dixerit, *Hominem iuſtificatum, bonis operibus non verè mereri augmentum gratiæ.* Quæ illius verba de vero & propriè dicto merito, quale eſt meritum de condigno, intelligenda ſunt: non autem de congruo, quod non niſi impropriè meritum dicitur.

Probatur prætereà ex eo quod eiuſmodi iuſtorum bonis operibus

nihil deſit ad hoc, vt ſint augmenti ipſius gratiæ de condigno meritoria. Sunt enim (vt ſupponimus) opera ex omni parte bona, liberè ab homine viatore & iuſto exercita; & præterea eiuſmodi operibus gratiæ augmentum Deus promiſit. S. Ioan. 14. *Si quis diligit me, mandata mea ſeruabit; & ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis*: illis enim verbis, dum Spiritus ſanctus iuſtis promittitur, augmentum ipſius gratiæ promitti intelligendum eſt, vt docet S. Aug. tract. 74. in S. Ioan. *Reſtat vt intelligamus Spiritum ſanctum habere illum, qui diligit; & diligendo mereri, vt plus habeat, & plus habendo diligat.*

Dicendum 4. hominem iuſtum ſibi reparationem poſt lapſum non poſſe de condigno promereri.

Conſtat ex iis verbis Ezech. 18. *Si auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem: omnes iuſtitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur.* Ex quibus rectè inferunt Theologi, omnia hominis iuſti merita mortificari & extingui per peccatum mortale ſuperueniens: nemo autem meretur per opera quæ mortificata & extincta ſunt. Præterea nuſquam Deus promiſit ſe quibuſcunque iuſti operibus hanc conceſſurum gratiam, vt ſi iuſtus ille peccatum aliquod mortale committat, ipſi tempus pœnitendi, & gratiam efficacem à peccato reſurgendi concedat: quæ tamen promiſſio neceſſaria eſſet ad hoc, vt de condigno illam promereri poſſet.

3. An autem id ſaltem de congruo mereri poſſit, valdè dubium & incertum eſt: quamuis enim quidam Theologi hoc aſſerant, alii tamen probabilius negare videntur. Quia (vt ex antedictis patet) omnia prorsùs merita hominis iuſti per peccatum mortale quod committit, extinguuntur: vnde, quamdiu in ſtatu illo peccati remanet, nullum prorsùs effectum habere poſſunt.

Dicendum 5. hominem iuſtum non poſſe de condigno finalem in ſtatu gratiæ perſeuerantiam vllis operibus bonis promereri. Ita S. Thom. ſuprà art. 9.

Conſtat 1. ex eo quod dicit Apoſtolus omnes & quoſcunque Iuſtos alloquens Philipp. 2. *Cum metu & tremore ſalutem veſtram operamini*: metu autem illo ac timore ampliùs non indigeret; qui finalem perſeuerantiam de condigno ſemel meritus eſſet.

Conſtat 2. ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 13. vbi dicit neminem ſibi certi aliquid abſoluta certitudine circa perſeuerantiam ſuam poſſe polliceri; poſſet autem is, qui perſeuerantiam illam de condigno meritus eſſet.

Conſtat 3. ex eo quod nulla in Scripturis habetur Dei promiſſio de dono perſeuerantiæ, infallibiliter in vllius boni operis compenſationem tribuendo per modum mercedis: quin potiùs vetat nos de perſeuerantia eſſe ſecuros 1. Cor. 10. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat*

ne

ne cadat. Apoc. 3. *Tene quod habes; vt nemo accipiat coronam tuam*.

Quæres an ſaltem de congruo iuſtus finalem in gratia perſeuerantiam mereri poſſit?

Reſpondetur affirmatiuè, quia quamuis Deus illam tanquam alicuius operis mercedem non promiſerit; eſt tamen eius infinitæ bonitati valdè congruum, vt illam iuſto humiliter & obnixè petenti tribuat: aliàs, ſi illius perſeuerantiæ donum iuſtus nulla ratione mereri poſſet, fruſtrà pro illo impetrando Deum oraret. Quare, cùm ſaluberrimum ſit & conſultiſſimum homini iuſto, quotidie donum perſeuerantiæ illius finalis à Deo poſtulare: indicium eſt quod poſſit illam aliquo pacto promereri & impetrare. Vnde S. Auguſt. lib. de bono perſeu. cap. 17. *Reſtat*, inquit, *in his bonis vſque in finem perſeuerantia, quæ fruſtrà quotidie a Deo poſcitur, ſi non eam Dominus per gratiam ſuam in illo, cuius orationem exaudit, operatur*.

Dicendum 6. bona temporalia, quatenùs ad vitam æternam conſequendam neceſſaria ſunt, cadere poſſe ſub meritum condignum hominis iuſti. Ita S. Thom. ſuprà art. 10.

Probatur ex eo quod qui poteſt mereri finem, poteſt etiam mereri media neceſſaria ad illum finem. Atqui iuſtus ſalutem æternam de condigno mereri poteſt, vt conſtat, tùm ex antedictis, tùm ex iis quæ ſectione ſequenti dicentur. Ergo poterit etiam de condigno mereri bona illa temporalia, quatenùs ſibi neceſſaria ſunt ad vitam æternam conſequendam: id eſt, poterit mereri vt Deus ſpeciali prouidentia ita diſponat rerum exteriorum ordinem, vt conatus viri iuſti neceſſarius ad bona illa temporalia obtinenda, ſuum effectum aſſequatur.

5 Hinc ſequitur bona temporalia non dari iuſtis ſecundùm proportionem & quantitatem meritorum, ſicut ipſis tribuuntur bona ſpiritualia ipſius gratiæ; ſed prout magis, vel minùs ipſis conducunt ad ſalutis æternæ conſecutionem. Vnde fit vt multi iuſti relinquantur in extrema paupertate, alii è contra diuitiis affluant, alii in ſtatu quaſi medio conſiſtant, Deo pro ſua prouidentia ita diſponente, prout vnicuique videt magis expedire ad ſalutem.

Quod ſi de iis bonis temporalibus, præcisè & ſecundùm ſe conſideratis, quæſtio ſit; dicendum eſt illa non cadere ſub meritum de condigno: cùm vt ſic re vera bona non ſint, ſed res indifferentes, quibus homo benè vel malè vti poteſt, ac proinde ad quæ Chriſti gratia (quæ eſt omnis meriti principium) non ordinatur. Poſſe tamen cadere ſub meritum de congruo: vnde S. Auguſt. paſſim in lib. de Ciuit. Dei dicit, Deum virtutes antiquorum Romanorum variis bonis temporalibus compenſaſſe.

SECTIO VI.

An iuſtus de condigno mereri vitam æternam poſſit.

1 NEGANT hæretici huius temporis, affirmant è contrario Catholici; quorum ſententia, vt certiſſima & fide credenda,

Probatur 1. ex Scriptura. S. Matth. 5. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Et ibidem, *merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* Rom. 2. *Reddet vnicuique ſecundùm opera ſua, ijs quidem, qui ſecundùm patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem, quærunt vitam æternam.*

Probatur 2. ex Concilio Trident. ſeſſ. 6. cap. 16. vbi dicit vitam æternam, tanquam mercedem, ex ipſius Dei promiſſione bonis iuſtorum operibus & meritis eſſe fideliter reddendam. Et can. 32. anathema profertur in eum, qui dixerit iuſtificatum bonis operibus non verè mereri vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ (ſi tamen in gratia deceſſerit) conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum.

Probatur 3. ex S. Baſil. orat. in initium Prouerbiorum; *Omnes*, inquit, *qui viam Euangelicam incedimus, mercatores ſumus; per opera mandatorum nobis poſſeſſionem cœleſtium comparantes*: quibus verbis, cùm dicat bona opera eſſe veluti pretium, quo gloria cœleſtis emitur; hinc ſequitur illa eſſe verè digna, quæ tali gloria cõpenſentur, ac proinde illius de condigno meritoria. Et S. Aug. Epiſt. 105. ad Sixtũ, *Sicut*, inquit, *merito peccati, tanquã ſtipendium, redditur mors: ſic merito iuſtitiæ, tanquam ſtipendium, vita æterna.*

Probatur 4. ex eo quod in bonis iuſtorum operibus reperiuntur omnes conditiones neceſſariæ ad promerendum de condigno vitam æternam. Sunt enim opera liberè ab homine iuſto & viatore facta, & ex omni parte bona, vt ſupponimus; & talibus operibus Deus pro mercede vitam æternam pollicitus eſt, iuxta quod dicit Apoſtolus 1. Timoth. 4. *Pietas ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ quæ nunc eſt, & futuræ.* Et Timoth. 1. *In ſpem vitæ æternæ, quam promiſit, qui non mentitur, Deus.*

Obijcies varijs Scripturæ locis dici gloriam æternam dandam eſſe iuſtis hominibus ex Dei miſericordia; ergo non ex iuſtitia, nec proinde illam iuſti de condigno merentur.

Reſpondetur illorum Scripturæ locorum, quæ à S. Auguſtino diligenter expendũtur tùm citata Epiſt. 105. tùm in lib. de corrept. & gr. cap. 13. duas afferri expoſitiones, vna eſt gloriam æternam

ex diuina miſericordia iuſtis tribui, non quod non ſit vera merces meritorum, ſed quia ipſa iuſtorum merita ex Dei miſericordia & gratia ortum ducunt. Altera eſt, quia iuſti ex hac vita decedentes ſemper diuina indigent miſericordia, vt æternæ vitæ mercedem percipiant: nullus eſt enim adeo iuſtus, qui in multis non offendat, quique peccata venialia non committat, ſine quibus (vt ait S. Aug.) nulli viuunt, & pauci vitam finiunt; vnde diuina indigent miſericordia, vt illorum remiſſionem percipiant, & ſic ad æternæ vitæ fruitionem perueniant.

Addere poſſumus vitæ æternæ mercedem rectè dici ex diuina dari miſericordia; quia Deus (ſecundùm commune Theologorum axioma) iuſtos ſemper remunerat ſupra condignum; & ipſius gloriæ cæleſtis merces quorumcumq; operũ meritũ longè exuperat: vnde S. Baſil. in illud Pſal. 114. *Conuertere anima mea in requiem tuam. Propoſita eſt*, inquit, *æterna requies ijs, qui legitime in hac vita decertarint; quæ non ſecundùm operum debitum ac meritum retribuitur, ſed iuxta magnificentiam Dei ijs qui in ipſam ſperauerunt, exhibetur*. Et S. Fulgent. lib. 1. cap. 10. ad Monimum rationem reddens, cur vita æterna dicatur gratia, cùm ſit merces meriti, dicit, id eſſe: *Quia non ſolùm donis ſuis Deus dona ſua reddit: ſed etiam quia tantum ibi gratia diuinæ retributionis exuberat, vt incomparabiliter atque ineffabiliter omne meritum, quantumuis bonæ & ex Deo datæ humanæ voluntatis atque operationis excedat.*

Quæres hìc obiter in quo conſiſtat vita illa & beatitudo æterna, quam iuſti bonis operibus promerentur. Pro illius quæſtionis reſolutione.

3 Dicendum 1. vitam illam & beatitudinem æternam, propriè & formaliter conſiſtere in actionibus intellectus ſimul & voluntatis; quibus beati Deum prout in ſe eſt, clarè vident, perfectè amant, illoque perfruuntur.

De actione intellectus conſtat ex Scriptura Pſalm. 8. *Videbitur Deus Deorum in Sion* 1. Ioan. 3. *Videbimus eum ſicuti eſt*. 1. Cor. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem*. Item ex S. Ambr. lib 2. cap. 2. Offic. *Scriptura poſuit vitam æternam in cognitione diuinitatis*. S. Aug. lib. 1. de Trinit. cap. 10. *Chriſtus tradet regnum Deo Patri, quando perducet credentes ad contemplationem Dei, vbi eſt finis omnium bonarum actionum*.

De actione autem voluntatis conſtat ex eadem Scriptura Pſal. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*. S. Matth. 5. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam; quoniam ipſi ſaturabuntur:* vera autem ſaturitas propriè reſpicit appetitum & voluntatem, & in cœleſti beatitudine tantùm reperitur. Et ita hunc locum exponit S. Hier. cap. 32. Item ex S. Auguſt. lib. 1. de

Doctrina.Chriſt. cap. 30. *Summa hæc eſt merces, vt fruamur Deo:* Et libr. 22. de Ciuit. cap.vlt. *Ibi* (in cœleſti beatitudine ſcilicet) *vacabimus & videbimus, videbimus & amabimus; amabimus & laudabimus: ecce quod erit in fine, ſine fine, nam quis alius eſt noſter finis, niſi peruenire ad regnum, cuius nullus eſt finis?* Et S.Bern. Epiſt.28. *Sicut in hac vita initiat fides & deſiderium: ita in alia conſummat viſio & amor.*

Dicendum 2. ad complementum illius beatitudinis, pertinere quoque ipſius corporis reſurrectionem & glorificationem.

Quod corpora ſint reſurrectura conſtat ex Scriptura Iob. 19. *In nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea.* 1. Cor. 15. *Canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti.*

Quod autem iuſtorum corpora ſint glorificanda, conſtat ex eo quod dicit Apoſtolus ibidem: *Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale. Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione: ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria.*

Porro hæc corporum glorificatio in eo conſiſtit, quod corpora rediuiua ſanctorum inſignia quædam & præclara ornamenta Eccleſiæ habitura ſint, quæ communiter dotes gloriæ vocantur, & quatuor præſertim à Doctoribus: Scilicet impaſſibilitas, ratione cuius nulla vnquam moleſtia aut dolore afficientur, vt dicitur Apoc. 21. *Mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor.* Claritas, qua luce quadam excellentiſſima radiabunt. S.Matth. 13. *Fulgebunt iuſti ſicut Sol.* Et 2. Cor. 3. *Reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratũ corpori claritatis ſuæ.* Agilitas qua corpus ab onere, quo nunc premitur, liberabitur, & faciliimè in quamcumque partem pro libito moueri ita poterit, vt eâ motione nihil celerius eſſe queat. Ita docet S.Aug. lib. 3. de Ciuit. c.18. & 20. & lib.22. c.11. & S.Hieron cap.40. Iſai. vnde ab Apoſtolo dicitur 1. Cor. 15. *Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute.* Subtilitas denique, qua fiet, vt corpus animæ imperio perfectè & omnimodè ſubiiciatur, eique ad nutum præſto ſit: quod ex ſuprà citatis Apoſtoli verbis colligitur: *Seminatur corpus animale, ſurget ſpirituale.* Quæ quidem verba non ſic intelligenda ſunt; quod ſanctorum corpora in reſurrectione futura ſint ætherea, aut aerea, aut auræ & ſpiritui ſimilia, vt quidam olim arbitrati ſunt, contra quos agit S.Hieron. Epiſt. 61. ad Pammachium: ſed quia, quamuis corpora beatorum vera carne conſtent, vt ibidem probat, perfectæ ſubtilitatis dote prædita erunt, per quam dotem perfectiſſimè ſpiritui ſubijcientur, ideoque corpus ſanctorum ab Apoſtolo ſpirituale futurum eſſe dicitur.

4 Dicendum 3. præter ſupradictæ beatitudinis dona, quæ omnibus beatis (licet inæqualiter pro meritorum inæqualitate) communia erunt; tria inſuper ſpecialia gloriæ præmia quibuſdam ſanctorum

bonis

bonis operibus eſſe à Deo conſtituta, quæ communiter aureolæ vocantur, quaſi paruæ coronæ aureæ, non quod ſimpliciter in ſe maximæ non ſint, ſed quod in comparatione ipſius eſſentialis beatitudinis ſint exiguæ. Hæ autem tres aureolæ conceduntur ob tres inſignes victorias, quas iuſti aliqui præ aliis in hac vita reportauerint: contra carnem quidem, per continentiam virginalem: contra mundum verò, ſuſtinendo opprobria & perſecutiones mundi vſque ad mortem propter Deum: contra diabolum denique, per ſapientiam & doctrinam, qua non tantùm à ſe, ſed etiam ab aliis ignorantiæ & infidelitatis tenebras, in his quæ ad ſalutem ſpectant, propulſauerint. Diabolus enim tenebrarum Princeps dicitur, & continuo decipere, & in errorem homines mittere nititur. Et ſic hæ tres aureolæ Virginibus, Martyribus & Doctoribus competunt. Et de Virginibus, quidem ſpecialis mentio Apoc.14. vbi dicitur quod ij, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, ſequuntur agnum quocumque ierit; & canticum nouum cantant, quod alij cantare non poſſunt. De martyribus autem eiuſdem lib.c.7. dicitur quod ij, qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni, amicti ſunt ſtolis albis, & palmas in manibus geſtant. De Doctoribus denique Daniel. 11. dicitur quod qui ad iuſtitiam erudiunt multos fulgebunt, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates: Et S. Matth. 5. dicitur, quod is qui fecerit & docuerit, magnus vocabitur in regno Cœlorum.

5 Dicendum 4. beatum in fruitione gloriæ æternæ ſemper manſurum, ac gloriam illam eius fore æternam. Eſt de fide.

Conſtat ex eo quod beatitudo illa paſſim in Euangelijs & alijs ſacræ Scripturæ libris vocatur vita æterna: etenim æterna non eſſet, nec dici poſſet, ſi aliquando admittenda eſſet. Eadem veritas definita eſt ab Eccleſia in 6. Synodo generali in Epiſt. Sophronii, quæ actione 11. lecta, actione 13. recepta & approbata eſt. Et in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. c. *Firmiter*. Quare ſanctus Aug. lib. 12. de Ciuit c. 20. vocat turpem eorum ſtultitiam, qui putant ſanctorum beatitudinem aliquando eſſe deſituram.

SECTIO VII.

An vnus poſſit alteri mereri primam gratiam: & alia dona ad ſalutem neceſſaria.

1 QVÆSTIO intelligi debet de puro homine: certum eſt enim Chriſtum Dominum potuiſſe ratione vnionis hypoſtaticæ, de condigno pro aliis mereri, & de facto nobis quaſcumque gratias fuiſſe promeritum, vt in tractatu de Incarnatione diximus. Intelli-

pi etiam debet ſecundùm legem Dei ordinariam, & poſito rerum ſtatu qui nunc eſt, quia nihil repugnat, ſi Deus ita vellet, talem ac tantam gratiam puro homini concedi, vt accedente præſertim Dei pacto & promiſſione, non tantum ſibi, ſed etiam illis mereri aliquid de condigno poſſet. Hac obſeruatione præmiſſa, pro quæſtionis propoſitæ reſolutione,

Dicendum 1. purum hominem nullam poſſe gratiam alteri de condigno prómereri. Ita S. Tho. q. 114. a. 6.

Probatur 1. ex eo quod dicitur 1. Cor. 5. & paſſim in alijs Scripturæ, locis, vnumquemque recepturum, provt egerit ipſe, non alter pro eo. Vnde S. Hier. in cap. 25. S. Matth. *Vnuſquiſque*, inquit, *pro operibus ſuis mercedem accipiet*. Et S. Aug. tract. 102. in S. Ioan. explicans hæc Chriſti Domini verba: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis: Exaudiuntur;* inquit, *omnes ſancti pro ſeipſis, non autem pro omnibus exaudiuntur, vel amicis, vel inimicis ſuis, vel quibuslibet alijs: quia non vtcunque dictum eſt (dabit) ſed dabit vobis.*

Dicendum 2. poſſe vnum alteri primam gratiam aliaque dona de congruo promereri.

Conſtat 1. ex Scriptura Iob. 4. *Iob ſeruus meus orabit pro vobis, faciem eius ſuſcipiam: vt non vobis imputetur ſtultitia.* S. Iac. 5. *Orate pro inuicem, vt ſaluemini.*

Conſtat 2. ex praxi vniuerſæ Eccleſiæ; in qua hæc pia conſuetudo ſemper viguit, vt fideles pro inuicem orarent: vnde S. Aug. ſerm. 90. de diuerſis c. 20. *Si martyr Stephanus non oraſſet, Eccleſia Paulum hodie non haberet.*

Obſeruandum eſt autem, vnum alteri primam gratiam ſanctificantem aut illius augmentum non aliter mereri, etiam de congruo poſſe; niſi in quantum meretur illi gratias actuales, aut alia media, quibus ad illam gratiam, aut eius augmentum diſponatur. Vt autem eiuſmodi ſequatur effectus, opus eſt vt is, qui pro altero meretur, opus illud bonum, quo meretur, ſaltem interpretatiuè, referat ad hunc finem. Requiritur etiam prætereà vt is, cuius gratiam opus illud bonum dirigitur, nullum eius effectui obicem ponat.

Porrò cùm hoc meritum (ſicut diximus) quadam ſolùm congruentia, & conuenientia, non verò vlla Dei promiſſione innitatur: fieri etiam aliquando poteſt, vt effectum ſuum non conſequatur: cùm poſſint eſſe aliæ rationes, ob quas magis conueniens ſit, vt Deus bona illa non conferat, quæ vnus alteri impetrare ac prómereri intendit. Hinc apud Ier. cap. 31. dicebat Deus, *Si Moyſes & Samuel ſteterint coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.*

Atque hactenùs de gratia diuina eiuſque effectibus, ad ipſius gratiæ omniumque eius effectuum authoris & largitoris maiorem gloriam.

Cum ab eo tempore quo prima huius Medullæ Theologicæ Editio in lucem prodijt, duæ Conſtitutiones in materia fidei à ſummis Pontificibus Innocentio decimo, & Alexandro ſeptimo emanauerint, quibus quinque propoſitiones ex libro Cornelij Ianſenij Epiſcopi Yprenſis qui inſcribitur (Auguſtinus) *excerptæ tanquam hæreticæ damnatæ ſunt, aliaque inſuper reſcripta Apoſtolica ad Epiſcopos Gallicanos miſſa, nec non varia ipſorum Epiſcoporum Gallicanorum Epiſtolæ tum ad præfatos ſummos Pontifices, tum ad alios Epiſcopos diuerſis temporibus ſuper eadem materia directæ fuerint, in quibus omnibus plurima continentur, quæ ad veritates catholicas præſertim in materia gratiæ elucidandas maximè conferre poſſunt: Idcircò viſum eſt non modò pergratum, ſed & perutile, vt non dicam aliquo pacto neceſſarium, Lectori catholico, veritatum Theologicarum ſtudioſo, fore; ſi præfatas Conſtitutiones & Epiſtolas ad calcem huius tractatus de Gratia ſubiungeremus, vt ex ijs nouam lucem, nouumque robur haurire queat, tum ad nouas æquè ac veteres hæreſes, circa gratiam Chriſti, dignoſcendas ac profligandas: tum ad fidem Catholicam ab omni errore illibatam dilucidius ac firmius profitendam.*

RELATIO GALLICANORVM

Epiſcoporum ad Pont. Max. INNOC. X.

BEATISSIME PATER,

Maiores cauſas ad Sedem Apoſtolicam referre ſolemnis Eccleſiæ mos eſt, quem fides Petri numquam deficiens perpetuò retineri pro iure ſuo poſtulat. Æquiſſimæ huic legi obſequentes, de grauiſſimo circa religionem negotio, Sanctitati Tuæ ſcribendum eſſe cenſuimus. Decennium eſt, ex quo vehementiſſimis turbis Gallia magno noſtro mœrore commouetur, ob librum poſthumum & doctrinam Reuerendiſſimi Cornelij Ianſenij Iprenſis Epiſcopi. Tales quidem motus ſedari oportebat tum Concilii Tridentini auctoritate, tum Bullæ illius, qua Vrbanus VIII. felicis memoriæ aduerſus Ianſenij dogmata pronuntiauit, & Decreta Pij V. ac Gregorij XIII. in Baium edita confirmauit. Atque huius quidem Bullæ veritatem

ritatem ac robur nouo diplomate vindicaſti: ſed quia nulli ſigillatim propoſitioni certa cenſuræ nota inuſta fuit, locus etiamnum aliquis quorumdam cauillis & effugio relictus eſt. Intercludendum autem penitus ſperamus: ſi, vt precamur, S.T. quid hac in re ſentiendum ſit, clarè diſtinctèque definiat. Obteſtamur ergo vt has præſertim propoſitiones, de quibus diſceptatio periculoſior, ac contentio ardentior eſt, S.T. expendat, & perſpicuam ac certam de vnaquaque ſententiam ferat.

PRIMA: Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque iis gratia qua poſſibilia fiant.

SECVNDA: Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.

TERTIA: Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas à neceſſitate: ſed ſufficit libertas à coactione.

QVARTA: Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium Fidei: & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare.

QVINTA: Semipelagianum eſt dicere, CHRISTVM pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.

Experta eſt nuper Beatitudo tua, quantùm Apoſtolicæ Sedis in gemini Eccleſiæ capitis errore profligando valuerit authoritas: continuò ſedata eſt tempeſtas, atque ad CHRISTI vocem & imperium venti & mare obedierunt. Quamobrem flagitamus, Beatiſſime Pater, vt clara firmaque de propoſitionum iſtarum ſenſu prolata ſententia, cui Reuerend. ipſe Ianſenius morti proximus opus ſuum ſubiecit, caliginem omnem diſcutias, animos fluctuantes componas, diſſidia prohibeas, Eccleſiæ tranquillitatem, ſplendoremque reſtituas. Dum hæc ſpes mentibus noſtris affulget, Sanctitati tuæ multos & proſperos annos, ſeculaque, Beatiſſimam æternitatem Rex ſæculorum immortalis adiiciat, optamus ac vouemus.

Subſcripſerunt Epiſcopi octoginta quinque.

CON-

CONSTITVTIO SS. IN CHRISTO P.

ac D. N. Innocentij Papæ X. Qua declarantur & definiuntur quinque Propoſitiones in materia Fidei.

INNOCENTIVS EPISCOPVS SERVVS Seruorum Dei,

Vniuerſis Chriſtifidelibus Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

CVm occaſione impreſſionis libri, cui titulus, *Auguſtinus Cornelij Ianſenij Epiſcopi Iprenſis*, inter alias eius opiniones orta fuerit, præſertim in Galliis, controuerſia ſuper quinque ex illis, complures Galliarum Epiſcopi apud nos inſtiterunt, vt eaſdem Propoſitiones nobis oblatas expenderemus, ac de vnaquaque earum certam, & perſpicuam ferremus ſententiam.

Tenor verò præfatarum Propoſitionum eſt prout ſequitur.

PRIMA: Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia qua poſſibilia fiant.

SECVNDA: Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.

TERTIA: Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas à neceſſitate: ſed ſufficit libertas à coactione.

QVARTA: Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium Fidei: & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare.

QVINTA: Semipelagianum eſt dicere, CHRISTVM pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.

Nos quibus inter multiplices curas, quæ animum noſtrum aſſiduè pulſant, illa in primis cordi eſt, vt Eccleſia Dei nobis ex Alto commiſſa purgatis prauarum opinionum erroribus, tuto militare, & tanquam nauis in tranquillo mari, ſedatis omnium tempeſtatum fluctibus, ac procellis, ſecurè nauigare, & ad optatum ſalutis portum peruenire poſſit.

Pro rei grauitate, coram aliquibus S.R.E. Cardinalibus ad id ſpecialiter ſæpius congregatis, à pluribus in ſacra Thelogia Magiſtris, eaſdem quinque Propoſitiones, vt ſuprà nobis oblatas, fecimus ſingillatim deligenter examinare, eorumque ſuffragia, tum voce, tùm ſcripto relata maturè conſiderauimus, eoſdemque Magiſtros, variis coram nobis actis Congregationibus, prolixè ſuper eiſdem ac ſuper earum qualibet differentes audiuimus.

Cùm autem ab initio huiuſmodi diſcuſſionis ad Diuinum implorandum auxilium multorum Chriſti fidelium preces, tum priuatim, tum publicè indixiſſemus, poſtmodum iteratis eiſdem feruentius, ac per nos ſollicitè implorata ſancti Spiritus aſſiſtentia, tandem Diuino Numine fauente, ad infraſcriptam deuenimus declarationem & definitionem.

Primam prædictarum Propoſitionum: Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus, & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant: *temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.*

Secundam: Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur: *hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.*

Tertiam: Ad merendum, & demerendũ in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione; *hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.*

Quartam: Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium Fidei: & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare: *falſam, & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.*

Quintam: Semipelagianum eſt dicere, CHRISTVM pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe: *falſam, temerariam, ſcandaloſam*: Et intellectam eo ſenſu: vt Chriſtus pro ſalute dumtaxat Prædeſtinatorum mortuus ſit; *impiam, blaſphemam contumelioſam, diuinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.*

Mandamus igitur omnibus Chriſti fidelibus vtriuſque ſexus, ne de dictis Propoſitionibus ſentire, docere, prædicare aliter præſumant quàm in hac præſenti noſtra declaratione & definitione continetur, ſub cenſuris & pœnis contra hæreticos, & eorum fautores in iure expreſſis.

Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis aliiſq; locorum Ordinariis; nec non hæreticæ prauitatis Inquiſitoribus vt contradictores, & rebelles quoſcumque per cenſuras, & pænas prædictas, cæteràque iuris, & facti remedia opportuna, inuoca-

uocato etiam ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachii ſæcularis, omnino coerceant & compeſcant.

Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem ſuper prædictis quinque Propoſitionibus factam, approbare vllatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelii Ianſenii. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicæ 1653. pridie Kal. Iunii, Pontificatus noſtri anno nono.

RESCRIPTVM SS. D. N. INNOCENTII

Papæ X. ad vniuerſos Archiepiſcopos, & Epiſcopos Galliæ.

INNOCENTIVS PAPA X.

VENERABILES Fratres; Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Rectè, atque ordine fecit Fraternitatum veſtrarum pietas, quæ cum in Eccleſiis iſtis Propoſitionum, de quibus ad nos ſcripſiſtis, occaſione turbas ingentes excitari cerneret, aſcendit ad locum hunc ſanctum, quem elegit Dominus, vt Catholicam ſuper his veritatem a nobis quæreret. Nos igitur poſt longam accurati examinis indaginem, & preces luminum Patri Deo enixè porrectas, quid ſentiendum ſit de Propoſitionibus illis declarauimus, ac definiuimus hac conſtitutione, quam cum his literis ad vos mittimus. Ex ea, ſententiam orthodoxæ Fidei in graui hoc negotio à nobis audietis, nec dubitamus quin futura ſit cum populis Chriſtianis ſalutaris, tum ſummoperè grata inſigni zelo Fraternitatum veſtrarum, quibus benedictionem Apoſtolicam peramanter impartimur. Datum Romæ apud Sanct. Mariam Maiorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 13. Maij 1653. Pontif. noſtri anno nono.

EPISTOLA ARCHIEPISCOPORVM ET

Epiſcoporum Galliæ in Pariſienſi vrbe Congregatorum,

SANCTISSIMO PATRI INNOCENTIO X. ſummo Pontifici.

BEATISSIME PATER.

Optata peruenit ad nos tandem Conſtitutio illa qua VESTRÆ

 SAN-

SANCTITATIS auctoritate, quid ſentiendum ſit de controuerſis quinque Propoſitionibus, quæ ſunt excerptæ è Cornelii Ianſenii Iprenſis Epiſcopi Libris, perſpicuè decernitur. Excitatæ in Belgio contentiones, flagrabant etiam in Galliis, & latiſſimum incendium per vniuerſas Eccleſiæ partes minabantur, ni peſti graſſanti & certiſſimam perniciē allaturæ obſtitiſſet BEATITVDINIS VESTRAE indefeſſum ſtudium, & ex alto petita poteſtas, quæ ſola acerrimam illam animorum colliſionem compeſcere poterat. Agebatur de rē magni momenti; de aditu ſcilicet ad ſalutem perneceſſaria Chriſtianæ gratiæ præſidia, & humanæ voluntatis adiumentis illis excitatæ, ac fotæ conatus libero; atque de diuina CHRISTI pietate; ac beneficentia in vniuerſum genus humanum. Huius doctrinæ lucem, recentioris illius Auctoris diſputationibus obſcuratā, priſtino nitori reſtituit, iuxta veterem Fidei regulam, ex Scripturis & antiqua Patrum traditione, in Conciliis olim & nuper authoribus Summis Pontificibus conſtitutam, prolatum à SANCTITATE VESTRA, poſtulantibus compluribus Galliarum Epiſcopis, Decretum. Quo in negotio, illud obſeruatione dignum accidit, vt quemadmodum ad Epiſcoporum Africæ relationem, Innocentius I. Pelagianam hæreſim damnauit olim; ſic ad Gallicanorum Epiſcoporum conſultationem, hæreſim ex aduerſo Pelagianæ oppoſitam, Innocentius X. auctoritate ſua proſcripſerit. Enim verò vetuſtæ illius ætatis Eccleſia Catholica, ſola Cathedræ Petri communione & auctoritate fulta, quæ in Decretali Epiſtola Innocentii ad Africanos data elucebat; quamque dein Zoſimi altera ad vniuerſos orbis Epiſcopos Epiſtola ſubſecuta eſt, Pelagianæ hæreſis damnationi abſq; cunctatione ſubſcripſit. Perſpectum enim habeat, non ſolum CHRISTI Domini noſtri pollicitatione Petro facta, ſed etiam ex actis priorum Pontificum, & ex anathematiſmis aduerſus Apollinarium & Macedonium, nondum ab vlla Synodo Oecumenica damnatos à Damaſo paulò anteà iactis, Iudicia, pro ſancienda Regula fidei à Summis Pontificibus lata, ſuper Epiſcoporum conſultatione (ſiue ſuam in actis relationis ſententiam ponant, ſiue omittant, pro vt illis collibuerit). diuina æquè ac ſumma per vniuerſam Eccleſiam auctoritate niti: cui Chriſtiani omnes ex officio, ipſius quoque mentis obſequium præſtare teneantur. Ea nos quoq; ſententia ac Fide imbuti, Romanæ Eccleſiæ præſentem, quæ in Summo Pontifice Innocentio X. viget auctoritatem, debita obſeruantia colentes, Conſtitutionem diuini numinis inſtinctu à B. V. conditam, nobiſque traditam ab Illuſtriſſimo Athenarum Archiepiſcopo Nuntio Apoſtolico, & promulgandam curabimus in Eccleſiis ac Diœceſibus noſtris; atq; illius executionem apud Fideles populos vrgebimus. Neque verò pœnæ deerunt aduerſus temerarios illius violatores, quæ à iure

Here-

Hæreticis infligũtur, quibus iuxta Conſtitutionis tenorem,& Breue SANCTITATIS VESTRAE nobis directum, contumaces omnes, nullo conditionum vel ſtatuum diſcrimine facto, perſtringemus: præſertim cùm in Gallijs ad Epiſcopos inſolidum iſthæc cura pertineat, vbi nullos hæreticæ prauitatis Inquiſitores cõſtitui patitur, mos antiquus ex iure communi profectus. Sanè ſpondere poſſumus B.V. nihil fore quod Decreto Apoſtolico, noſtræque in eo exequendo ſolicitudini moram afferre poſſit: præcipuè cum Pijſſimus ac Chriſtianiſſimus Rex noſter, cui Breue Apoſtolicum vna cum exemplo Conſtitutionis Illuſtriſſimus Nuncius tradidit, interpellato quoque Regiæ Maieſtatis præſidio. Nos ad illius Decreti executionem, Edicto ſuo ad nos dato, pro ea quam debet Eccleſiæ conſtitutis tuitione, conſtanter hortetur; & Magiſtratibus vniuerſis, atque cæteris ſibi ſubditis, tùm ad vim arcendam, tùm ad amputandas quæ fortè poſſent ab Hæreſeos reis excitari de foro competenti cauillationes, præcipiat, quatenus executionem illam omni ſtudio & opera iuuent, atque tueantur. Quare cùm Rex cœleſtis hac in cauſa fœderatum habeat Regem terrarum (ſi fas ita loqui cum Sixto III.) Sanct. V. per Petræ ſoliditatem, iam contuſis veritatis hoſtium animis, ſecuros ab omni externa perturbatione de noua hæreſi triumphos aget. Porrò nos Innocentio X. cuius ore Petrus locutus eſt, vt Leoni I. acclamabat quarta Synodus, hanc diuinam lauream gratulati, ſacros inter Eccleſiæ faſtos, quod olim de Synodis Oecumenicis fieri ſolitum, Conſtitutionem iſtam ab eo editam lubentes ex animo reponemus; Cui optatiſſimam in longæua vita felicitatem adprecantur qui ſunt cum ea qua par eſt veneratione,

BEATISSIME PATER,

SANCTITATIS VESTRÆ

Deuotiſſimi & addictiſſimi filij Cardinales, Archiepiſcopi & Epiſcopi Galliæ in Pariſienſi vrbe congregati.

Pariſiis die 15. *Iulij* 1653.

ALIA EPISTOLA ARCHIEPISCOPORUM

& Epiſcoporum Galliæ in Pariſienſi vrbe congregatorum.

SANCTISSIMO PATRI INNOCENTIO X. Pontifici Max.

BEATISSIME PATER,

Poſt promulgatam ab vniuerſis Galliarum Epiſcopis, SANCTITATIS VESTRAE Conſtitutionem, qua quinque Propoſitiones è libris Cornelij Ianſenij Iprenſis Epiſcopi excerptæ damnantur, nihil aliud expectandum videbatur, præcipuè à Gallis, qui in Sede Apoſtolica colenda ſemper potiores fuerunt, quàm vt pura & non fucata concordia, in veræ fidei vnitatem omnium animi conſpirarent. Sed diſſidiorum auctor, tam ſingulare, & piis omnibus ſummopere expetendum bonum Gallijs inuidit: quodque palam obtinere non poterat, nempè vt à debita Sedi Apoſtolicæ reuerentia, per apertum Conſtitutionis editæ contemptum recederetur: callidis molitionibus, ad ſimplicium & incautorum mentes ſubuertendas aggredi tentauit. Quare ad munus Epiſcopale pertinere putauimus, recens excitatas à Clericis numero paucis contentiones, definitione noſtra compeſcere: qua Conſtitutionis Apoſtolicæ integra executio, quæ nobis commiſſa eſt, aduerſus alienas à vero illius ſenſu expoſitiones ſanciatur. Et vetere fidei depoſito, cuius cuſtodia Cathedræ Petri à CHRISTO concredita eſt, partem adimere tentant; Decreti Apoſtolici maieſtatem ad fictas controuerſias dirimendas turpiter deiiciendo. Quinque etenim Propoſitiones Decreto illo proſcriptas, damnare ſe quoque profitentur: ſed alio planè ſenſu, quam qui à Ianſenio traditus & explicatus eſt, ad quem Propoſitiones illas nullatenùs pertinere conſtantiſſimè aſſerunt. Hac arte, reſtaurandis diſputationibus iiſdem ſibi locum apertum relinquere parant, & rediuiuæ litis prolixam materiam. Quare vt his incommodis præuerteretur, & Conſtitutionis auctoritas ſua conſtaret, atque ſincera eius executio ſequeretur, Nos in hac vrbe Pariſienſi congregati cenſuimus, & per Epiſtolam encyclicam his litteris adiunctam declarauimus, Propoſitiones illas, & opiniones eſſe Cornelij Ianſenij, & in ſenſu eiuſdem Ianſenij à S. V. damnatas diſertis & manifeſtis verbis. Quam enim auctor ille vſurpatione priuata, nouam doctrinam, ſub ſpecie veteris inducebat, neceſſum fuit, vt Apoſtolica Sedes, iudicio lato, ex publica & antiqua Eccleſiæ traditione re-

refelleret : ne Chriſtianæ Fidei doctrina, prauis ab illo Scriptore ad teſtimonia veterum Patrum quos laudat adhibitis interpretationibus obrueretur. Nihil quippe aliud egit Conſtitutione ſua Innocentius X. quàm vt auctoritatis ſuæ præſidio antiquam fidem muniret (Vinc.Lirin. Common. 1. c. 27. & 32.) *non dicendo noua, ſed dicendo nouè*, iuxtà receptas in Scholis Theologiæ locutiones, quibus Ianſenius quoque vtitur. Eo pacto B.V. liquidò explicuit, atque confirmauit, regulam Fidei de gratia & libero arbitrio, quam ex parte priùs aſſertam aduerſus Manichæos, quod attinet ad arbitrij libertatem, poſteà deceſſores veſtri Innocentius I. & Zoſimus (Aug. lib. 2. Retr. c. 50. *cooperantibus Africanorum Conciliorum litteris*) contra Pelagianos plenè conſtabiliuerant; Quamque deinde Celeſtinus I. ac Concilium Arauſicanum, iuxta capitula à Sede Apoſtolica tranſmiſſa, & ſuperiori ſæculo Tridentinum ſollicitè atque diligenter enucleatam definiuerant. Quapropter & Conſtitutionem ordine Canonico latam, atque genuino in ſenſu intellectam, quem literæ iſtæ patefaciunt, deuotiſſimo obſequio nos ſuſcipere teſtamur: prætereà verò daturos operam profitemur, ne quis curæ noſtræ ſubditus, impunè contraria veſtris definitionibus docere, ſcribere aut loqui præſumat, pœnis in hæreticos à iure decretis, alioquin à nobis ſtatim puniendus. Ex qua concordi omnium ſententia, ſubſcriptionibus noſtris firmata, BEATITVDO VESTRA facile intelliget, nulli è Collegio noſtro propoſitum fuiſſe, vt aliquid dignitati Cõſtitutionis aduerſum proferret, aut ſcriberet; Quinimo deſtinatum eſſe nobis, pleniſſima veneratione ſacram B. Petri Sedem & SANCTITATEM VESTRAM colere: cui proſperos & felices annos vouent, qui ſunt cum ea, par eſt obſeruantia,

BEATISSIME PATER,

SANCTITATIS VESTRÆ,

Deuotiſſimi & addictiſſimi filij, Cardinales, Archiepiſcopi & Epiſcopi Galliæ in Pariſienſi vrbe congregati.

Pariſiis die 28. Martij 1654.

ALIA EPISTOLA ARCHIEPISCOPORUM

& Epiſcoporum Galliæ in Pariſienſi vrbe congregatorum.

REVERENDISSIMIS AC RELIGIOSISS.

D. D. Archiepiſcopis & Epiſcopis per Gallias, Fratribus obſeruandiſſimis,

Cardinales Archiepiſcopi & Epiſcopi Pariſiis agentes ſalutem in Chriſto & fœlicitatem.

QVOD B. quondam Auguſtino & aliis Concilii Carthaginenſis & Mileuitani Patribus, magnis illis diuinæ Gratiæ defenſoribus aſſertoribuſque contigit, idem nunc prorſus eueniſſe nobis videtur. Sperabant illi, ſed fruſtra poſt Librum quendã, cuius auctor ſcriptorque fuerat Pelagius, ab Innocentio I. Papa (S. Au. ep. 5. & 95.) *anathematizatum & damnatum, Pelagianos non auſuros vlteriùs de gratia illa peruerſa & pernicioſa ſentiendo loquendoq; pectora fidelia, & ſimpliciter Chriſtiana turbare, ſed tanti Præſulis auctoritati ceſſuros.* Et ſpes quoq; nobis erat homines eos, qui ſe Cornelii Ianſenii Epiſcopi Iprenſis amatores ſectatoreſq; profitentur, poſt eius ab Innocentio X. anathematizatas & damnatas quinque opiniones, deſituros tandem ab omni motu, atque cum ſuo ille Decreto (*Mat. 8.*) *imperaſſet ventis, futuram* in Eccleſia *tranquillitatem magnam.* Sed contra planè quàm expectatum à nobis fuerit accidit: mirarique ſatis non poſſumus poſt æquiſſimam, ſanctiſſimamq; Conſtitutionẽ illam, qua Beatiſſimus Pater Innoc. X. prædictas quinque Propoſitiones damnauit, & ijs quidem verbis, quibus nihil dici poteſt expreſſius, nihil clarius, homines illos affirmare, imò & perſuadere alijs velle, res duas, vanas omninò & inanes: alteram, quinque illas propoſitiones non eſſe Ianſenij alteram; damnatas eſſe eo in ſenſu qui ad Ianſenium nihil pertineat. poteſt enim quicquam eſſe abſurdius, quàm tueri id velle, cui refellendo reuincendoque nihil opus ſit multis rationibus nihil diſquiſitione, etiam mediocri aut leui, ſed ſola Pontificiæ Conſtitutionis, quæ per ſe ipsã rem totã apertè dirimit, lectione? Et quidem cùm eiuſmodi ſint duæ res illæ, vt multis videri poſſint ipſæ per ſe & ſponte ſua ruituræ; atque adeò ſpernendæ prorsùs & negligendæ: Nobis tamen, quibus compertum eſt eas (*1. Tim. 1. Cor. 8 Mat. 13.*) *ignorantibus infirmiſq;* nõ paucis *eſſe offendiculo*, quibuſque pro muneris noſtri ratione id præſertĩ incubit, *vt tollamus omnia ſcandala de regno Dei*, viſũ fuit occurendũ eſſe huic

ſe huic malo, comprimendumque maturè hoc virus, quod iam aliquos occupauit. Quod vt fieret accuratius, & pro ea qua par erat grauitate dignitateque, quotquot in hac vrbe Regni primaria negotiorum Eccleſiaſticorum cauſa fuimus, Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi, collecti in vnum cenſuimus, hoc quicquid eſt rei committendum eſſe curæ ac diligentiæ Illuſtriſſimorum, Reuerendiſſimorumque Fratrum noſtrorum Archiepiſcoporum Turonenſis, Ebrodunenſis, Rothomagenſis, Tholoſani, & Epiſcoporum Eduenſis, Montalbanenſis, Redonenſis, Carnotenſis: ſic tamen, vt quicquid inter ſe ipſi legiſſent, obſeruaſſent, ſenſiſſent, referrent ad nos. His verò ex ipſa Conſtitutionis lectione, atque inſuper ex opere Ianſeniano, quod etiam quantùm ad quinque illas propoſitiones attinet, ſtudioſè legerunt expenderuntq; (quamquam ſola per ſe ad id ſufficiat Conſtitutio) manifeſtum & perſpectū fuit illas quinque Propoſitiones verè eſſe Ianſenij, & damnatas eſſe in vero ac proprio verborum ſenſu, & eo planè quo à Ianſenio traduntur & explicantur. Atque cum id ipſi ad nos, ſcilicet in vnum rurſus congregatos, retuliſſet, & à nobis quoque idem cognitum & exploratum fuiſſet, DECLARAVIMVS, & hoc noſtro Iudicio DECLARAMVS, rem planè ita ſe habere, & nullum dubitandi eſſe locum. Quare & eos, qui quinque illas Propoſitiones tuentur, aut probant, verè eſſe ex eorum numero, quos Innocentius X. ſua illa in Conſtitutione vocat *contradictores & rebelles*: & quos vult *à Patriarchis & Archiepiſcopis & Epiſcopis per cenſuras & pœnas, contra hæreticos & eorum fautores in iure expreſſas, cæteraque iuris & facti remedia opportuna, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis, omnino coerceri & compeſci*. Id verò nos omnes, quantum in nobis quidem erit, effecturi ſumus: rogamuſque quotquot hinc abſunt, Gallicani Cleri dilectiſſimos & religioſiſſimos Fratres noſtros, vt idem quoque pro virili præſtent: vt ſic *idem omnes ſentiamus ſecundùm* IESVM CHRISTVM (*Rom.* 15.) *& vnanimes atq; vno ore honorificemus, Deum & Patrem Domini noſtri* IESV CHRISTI; (1. *Cor.* 10.) *ædificemus Eccleſiam Dei*: atque adeò *nos ipſos, & eos qui nos audiunt*, curæque noſtræ ſunt ab ipſo commiſſi, *ſaluos faciamus*.

Pariſiis die 28. *Martij* 1654.

ALIVD RESCRIPTVM SS. D. N.

Innocentij Papæ X. ad Cardinales, Archiepiſcopos & Epiſcopos Clerici Gallicani in Comitijs generalibus congregatos.

INNOCENTIVS PAPA X.

DILECTI Filij noſtri, ac venerabiles Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Ex litteris, quas à vobis, die 28. Martii proximè elapſi ad Nos datas à venerabili Fratre Epiſcopo Lodeuenſi accepimus; iucundum ſanè accidit, probari Nobis luculentius veſtræ pietatis zelum in iis partibus obeundis: quas nos omnibus Paſtoralis officij Adminiſtris iniunximus, vt qua par eſt obedientia, vbique ſeruari enixè curent Conſtitutionem noſtram, qua 31. Maij anni 1553. damnauimus in quinque Propoſitionibus Cornelij Ianſenij doctrinam eius libro contentam, cui titulus *Auguſtinus*. Atque ideo placet auctam exinde in vos beneuolentiam noſtram hoc itidem locupletiſſimo litterarum noſtrarum teſtimonio palam fieri maioribus etiam in dies argumentis vobis præclarius conſtitutam; ac ſimul vos dilecti Filij noſtri, & venerabiles Fratres, ac cæteros quoſcumque Regni iſtius Epiſcopos hortamur quàm vehementer in viſceribus CHRISTI IESV, vt ſtudio, & conatu prorsùs vnanimi conſpirantes in Domino in id ſedulo operam detis, quod opportuniùs validiuſque contulerit ad exequutionem ſtabiliendam: ac firmandum pœnitùs vſum eiuſdem noſtræ Conſtitutionis: noſtrique identidem Decreti, quo ſanctiorem ipſam neceſſariò conſequente die vigeſima tertia Aprilis 1654. Libri quoque de ea re editi damnantur. Id verò ſi vos vna, & conſtanter exequamini piæ ſollicitudinis zelum, quo ſanctæ huic Sedi, ac Nobis egregiè obſequuti hactenus eſtis, inſigni profecto meritorum incremento cumulabitis, ac ſponte propenſam in vos Pontificiam voluntatem excitabitis, maiorem in modum ad beneuolentiſſimos erga vos ſenſus Apoſtolicæ charitatis, qua interim vobis ex animo benedicimus. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, ſub Annulo Piſcatoris, die vigeſima nona Septembris, M. DC. LIV. Pontificatus noſtri anno decimo.

EPISTOLA ARCHIEPISCOPORUM ET

Epiſcoporum Galliæ in generalibus Cleri Gallicani comitijs congregatorum,

SANCTISSIMO PATRI ALEXANDRO VII. Pontifici Max.

BEATISSIME PATER,

Non obſcura ſunt diuini Numinis conſilia, cur BEATITVDINEM VESTRAM ad Epiſcopatus apicem id eſt, Apoſtolicæ Sedis Principatum, ſuffragantibus omnium votis, euexerint. Intererat quippe rei Chriſtianæ, vt is vnitatem Eccleſiæ his difficillimis temporibus regeret, qui pietate ſua, cæleſte præſidium fidelium gregi promereri poſſet; atque prudentia ſua, æquè ac conſtantia, fluctus illos ſuperare, quibus Petri nauis, cuius clauo feliciter tenendo admotus eſt, atrociter concutitur. Nos ſanè qui à CHRISTO Domino in partem ſollicitudinis vocati ſumus, miniſterio noſtro id egimus, ſuperioribus annis, apud felicis memoriæ Innocentium X. vt Conſtitutionem ederet; qua motus in Galliis excitati, ob Ianſenij Iprenſis quondam Epiſcopi doctrinam certis capitibus comprehenſam, compeſcerentur. Promulgatum à Gallicanis Epiſcopis decretum ſtudioſè amplexi ſunt fideles populi, demptis paucis, qui de Ianſenii doctrina nihil conſtitutum fuiſſe palàm cùm ſimularent, intimis animorum ſenſibus ex illius damnatione vrebantur. Horum cauillationes ſine mora comprimendas rati, iudicio ſuo decreuerunt religioſiſſimi Epiſcopi, quinque Propoſitiones illas ad Ianſenium pertinere, eiuſque opiniones fuiſſe proſcriptas. Quam ſuam ſententiam cum retuliſſent ad eundem Pontificem maximum, illam humaniſſimis verbis non ſolum probauit, ſed auctoritatis Apoſtolicæ pondere de integro confirmauit, Breui dato ad hunc Cleri Gallicani Cœtum, qui tunc propè diem cogendus erat, niſi moræ quædam obſtitiſſent. Porrò dum conuentum agimus, primum nobis ſtudium fuit tuendæ religionis, quam ab infeſtis Caluinianæ hæreſeos ſectatorum molitionibus vindicare curauimus, impetrato à clementia Chriſtianiſſimi noſtri Regis edicto, quo nefarios illorum conatus repreſſum iri nobis merito pollicemur. Priorem curam excepit alia illi germana ob erroris ſocietatem de profliganda Ianſeniana doctrina, Breuis Apoſtolici maieſtate, quod frequenti cœtu legi, promulgari, in acta redigi, omniumque ſubſcriptionibus muniri decreuimus. Eadem ſanè mentis alacritate illud ſuſcepimus, qua Concilii Africani Patres ab ipſis

expe-

expetitam Zoſimi Epiſtolam amplexi ſunt ; quæ Pelagij atque Cœleſtij errores , quos clanculum propagabant , peremptorio Decreto proſtrauit . Iiſdem artibus graſſantur nouæ ſectæ diſcipuli ; ac præterea vt à capitibus ſuis fulminis Apoſtolici amoliantur ictum (licet obfirmato animo , quinque Propoſitiones Ianſenio iterum abiudicent) ad Facti quæſtionem , in qua Eccleſiam falli poſſe docent , controuerſiam deducere nituntur . Quas ingeniorum verſutias vera prudentique verborum complexione infregit Breue Apoſtolicum ; quod tricis illis ſyllabarum ad vmbratiles ſcholarum diſputationes relegatis deciſioniſq; auctoritate ad iuris quæſtionem reſtricta doctrinam Ianſenii , quam opere illo ſuo explicuit , in Propoſitionum confixarum materia , Pontificia Conſtitutione damnatam fuiſſe declarat . At enim vt ſe damnationi ſubducant, celeberrimum beati Auguſtini nomen obtendunt , cuius doctrinæ ſe profitentur eſſe ſectatores , repudiato etiam , ſi res eorum ita ferant , ipſo Ianſenio . Huius tamen prauas & detortas , quas ad Doctoris egregii locos adhibet , interpretationes amplectuntur ; ſicque magiſtrum illum optimum à Cœleſtino laudatum, dum verbis colunt , adultero ſenſu violant , Quod à nobis adnotari oportuit , in actis de Breuis promulgatione confectis , vt eorum calliditatibus iretur obuiam, quibus incautorum & ſimplicium animis illudunt , ac ſi Auguſtinum aſſererent ipſi ; à cuius tamen ſententia pertinaciter diſcedunt , quæ per Conſtitutionem de iis , quæ ſunt regulæ fidei aduerſa , latam, conſtabilita eſt ; ſicque in priorem illam fulguriti Ianſeniani erroris damnationem recidunt . Totam videremur debellati hoſtis gloriam in Deceſſorem refudiſſe , niſi conſtaret orbi Chriſtiano , quis tunc fuiſſet particeps curarum & præcipuus rerum adminiſter , quem Parens optimus ad laudis ex hoc egregio facinore partæ communionem adſciuiſſet . Decoris iſtius pars maxima pertinet ad SANCTITATEM VESTRAM , quæ quidem cum ſuis nunc auſpiciis res Eccleſiæ vniuerſæ inexhauſta ſollicitudine gerat , illud augere perget meditata , & vberiore, ſi opus ſit , Catholici dogmatis illuſtratione . Nos ſanè officio noſtro non deerimus, nec reliqui Epiſcopi , quos encyclica Epiſtola nouimus de rebus in hoc Conuentu actis , deque iis, quæ nobis gerenda videntur in Prouinciis, vt fideles omnes, obſequio ſuo & vſu, Conſtitutionem firment, pœnis alioquin à iure Decretis aduerſus hæreticos Epiſcopali iudicio coercendi . Finita eſt cauſa reſcriptis Apoſtolicis ; vtinam finiatur & error, ſi licet verbis Auguſtini vota noſtra concipere , quorum compotes erimus , ſi ALEXANDRI VII. Pontificis Maximi Sanctitas , iuxta veterem ritum , diuino numini illa conſecrauerit , à

quo viciſſim longæuitatem BEATITVDINI VESTRAE ſtudioſiſſimè poſtulant, qui ſunt cum ea, qua par eſt reuerentia & veneratione,

BEATISSIME PATER,

Obſequentiſſimi & deuotiſſimi Filij veſtri, Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi & Eccleſiaſtici viri in generalibus Cleri Gallicani Comitijs congregati.

Die 2. Septembris 1656.

CONSTITVTIO SS. IN CHRISTO P.

Ac D. N. D. ALEXANDRI *Papæ VII. Super quinque Propoſitionibus, ab* INNOCENTIO X. *damnatis.*

ALEXANDER EPISCOPVS, SERVVS Seruorum Dei.

Vniuerſis Chriſti fidelibus Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

AD ſacram B. Petri Sedem, & vniuerſalis Eccleſiæ regimen inſcrutabili diuinæ Prouidentiæ diſpoſitione, nullis noſtris ſuffragantibus meritis euecti, nihil nobis antiquius ex muneris noſtri debito eſſe duximus: quàm vt ſanctæ fidei noſtræ, ac ſacrorum dogmatum integritati, tradita nobis a Deo poteſtate opportunè conſuleremus.

Ac licet ea quæ Apoſtolicis Conſtitutionibus abundè fuerunt definita, nouæ deciſionis, ſeu declarationis acceſſione nequaquam indigeant; quia tamen aliqui publicæ tranquillitatis perturbatores illa in dubium reuocare, vel ſubdolis interpretationibus labefactare non verentur, ne morbus iſte latiùs diuagetur, promptum Apoſtolicæ auctoritatis remedium cenſuimus non eſſe differendum: Emanauit ſiquidem alias à fel. recordationis Innocentio PP. X. Prædeceſſore noſtro Conſtitutio, declaratio, & definitio tenoris qui ſequitur, videlicet:

INNOCENTIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Vniuerſis Chriſti fidelibus ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum occaſione im-

impreſſionis libri, cui titulus *Auguſtinus Cornelij Ianſenij Epiſcopi Iprenſis*, inter alias eius opiniones orta fuerit; præſertim in Galliis controuerſia ſuper quinque ex illis, complures Galliarum Epiſcopi apud Nos inſtiterunt, vt eaſdem Propoſitiones nobis oblatas expenderemus, ac de vnaquaque earum certam, & perſpicuam ferremus ſententiam.

Tenor verò præfatarum Propoſitionum eſt prout ſequitur.

PRIMA: Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia qua poſſibilia fiant.

SECVNDA: Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.

TERTIA: Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas à neceſſitate: ſed ſufficit libertas à coactione.

QVARTA: Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium Fidei: & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare.

QVINTA: Semipelagianum eſt dicere, CHRISTVM pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.

Nos quibus inter multiplices curas, quæ animum noſtrum aſſiduè pulſant, illa in primis cordi eſt, vt Eccleſia Dei nobis ex Alto commiſſa purgatis prauarum opinionum erroribus, tuto militare, & tanquam nauis in tranquillo mari, ſedatis omnium tempeſtatum fluctibus, ac procellis, ſecurè nauigare, & ad optatum ſalutis portum peruenire poſſit.

Pro rei grauitate, coram aliquibus S.R.E. Cardinalibus ad id ſpecialiter ſæpius congregatis, à pluribus in ſacra Theologia Magiſtris, eaſdem quinque Propoſitiones, vt ſupra nobis oblatas fecimus ſingillatim diligenter examinare, eorumque ſuffragia, tum voce tum ſcripto relata matureconſiderauimus, eoſdemque Magiſtros, varijs coram nobis actis Congregationibus, prolixè ſuper iiſdem, ac ſuper earum qualibet diſſerentes audiuimus.

Cùm autem ab initio huiuſcemodi diſcuſſionis ad Diuinum implorandum auxilium multorum Chriſti fidelium preces, tùm priuatim, tum publicè indixiſſemus, poſtmodum iteratis eiſdem feruentius, ac per nos ſollicitè implorata ſancti Spiritus aſſiſtentia, tandem Diuino Numine fauente, ad infraſcriptam deuenimus declarationem & definitionem.

Pri-

Primam prædictarum Propoſitionum: Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus,& conantibus;ſecundùm præſentes quas habent vires,ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia,qua poſſibilia fiant:*temerariam,impiam,blaſphemam, anathemate damnatam,& hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.*

Secundam: Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur:*hæreticam declaramus,& vti talem damnamus.*

Tertiam: Ad merendum,vel demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione;*hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.*

Quartam: Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium Fidei: & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare: *falſam, & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.*

Quintam: Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe; *falſam, temerariam, ſcandaloſam:* Et intellectam eo ſenſu, vt Chriſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus ſit; *impiam, blaſphemam, contumelioſam, diuinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.*

Mandamus igitur omnibus Chriſti fidelibus vtriuſque ſexus,ne de dictis Propoſitionibus ſentire,docere, prædicare aliter præſumant, quàm in hac præſenti noſtra declaratione continetur, ſub cenſuris, & pœnis contra hæreticos, & eorum fautores in iure expreſſis.

Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis,Epiſcopis,aliiſque locorum Ordinariis,necnon hæreticæ prauitatis Inquiſitoribus,vt contradictores, & rebelles quoſcumque per cenſuras, & pœnas prædictas, cæteraque iuris & facti remedia opportuna, implorato etiam ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachii ſæcularis,omninò coerceant, & compeſcant.

Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem ſuper prædictis quinque Propoſitionibus factam approbare vllatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelii Ianſenii. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicæ 1653. pridie Kal. Iulii, Pontificatus noſtri anno nono.

Cùm autem, ſicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii prædictas quinque Propoſitiones,vel in libro prædicto eiuſdem Cornelii Ianſenii non reperiri,ſed fictè & pro arbitrio compoſitas eſſe,vel non in ſenſu ab eodem intento damnatas fuiſſe aſſerere, magno cum Chriſti fidelium ſcandalo,non reformident. Nos qui omnia,quæ hac in re geſta ſunt ſufficienter & attentè perſpeximus, vtpote qui eiuſdem Innocentii Prædeceſſoris iuſſu, dum adhuc in minoribus conſtituti,

Cardinalatus munere fungeremur, omnibus congreſſibus interfuimus, in quibus Apoſtolica auctoritate eadem cauſa eſt ea profectò diligentia, qua maior deſiderari non poſſet, quamcumque dubitationem ſuper præmiſſis in poſterum auferre volentes, vt omnes Chriſti fideles in eiuſdem fidei vnitate ſeſe contineant; ex debito noſtro Paſtoralis officii, ac matura deliberatione præinſertam Innocentii Prædeceſſoris noſtri Conſtitutionem, declarationem, & definitionem harum ſerie confirmamus, approbamus, & innouamus; & quinque illas Propoſitiones, ex libro præmemorati Cornelij Ianſenij Iprenſis, cui titulus eſt, *Auguſtinus*, excerptas, ac in ſenſu ab eodem Cornelio intento damnatas fuiſſe declaramus, & definimus; & vti tales, inuſta ſcilicet eadem ſingulis nota, quæ in prædicta declaratione, & definitione, vnicuique illarum ſigillatim inuritur, iterum damnamus.

Ac eundem librum ſæpe dicti Cornelij Ianſenij, cui titulus, *Auguſtinus* omneſque alios tam manuſcriptos, quam typis editos, & ſi quos forſan in poſterum edi contigerit, in quibus prædicta eius Cornelij Ianſenij doctrina, vt ſupra damnata defenditur, vel aſtruitur, aut defendetur, vel aſtruetur, damnamus itidem atque prohibemus. Mandantes omnibus Chriſti fidelibus, ne prædictam doctrinam teneant, prædicent, doceant, verbo, vel ſcripto exponant, vel interpretentur publicè, vel priuatim, palam, vel occultè imprimant, ſub pœnis, & cenſuris contra hæreticos in iure expreſſis ipſofacto, abſque alia declaratione incurrendis.

Præcipimus igitur omnibus Venerabilibus Fratribus noſtris Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, cæteriſque locorum Ordinarijs, ac hæreticæ prauitatis Inquiſitoribus, & Iudicibus Eccleſiaſticis, ad quos pertinet, vt præinſertam Innocentij Prædeceſſoris Conſtitutionem, declarationem, & definitionem, iuxta præſentem noſtram determinationem ab omnibus obſeruari faciant, ac inobedientes & rebelles prædictis pœnis, alijſque iuris & facti remedijs, inuocato etiam, ſi opus fuerit, brachij ſæcularis auxilio, omnino coerceant. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicæ 1656. 17. Kal. Nouembris, Pontificatus noſtri anno 2.

ALIA

ALIA EPISTOLA ARCHIEPISCOPORUM & Epiſcoporum Galliæ in generalibus Cleri Gallicani Comitijs congregatorum.

SANCTISSIMO PATRI ALEXANDRO VII. Pontifici Max.

BEATISSIME PATER,

Ad Petri Sedem per nos accurrit Eccleſia Gallicana, tuoque obſequens Decreto, qua par eſt, vigilantia, & labore ſollicitè curat, vt proſcripta iampridem à SANCTITATE TVA, Ianſenii dogmata procul è Galliæ finibus exulent. Ad eam enim nouimus referri debere, vt aiebat Innocentius I. quod per totum mundum poſſit in omnibus Eccleſiis in commune prodeſſe. Quod præcipuè locum habet in his, quæ ſpectant ad exequendum Apoſtolicum Reſcriptum tam ſalutare Reipublicæ Chriſtianæ, quàm tibi magnificum, quo quinque Propoſitiones è Ianſenio excerptas prolocutus es damnatas eſſe à Deceſſore tuo in ſenſu ab hoc authore intento. Iamdudum Montiũ tuorum altitudo primos diuini ſolis excipiens radios coruſcabat in illo eminentiſſimorum purpuratorum procerum cœtu, è quibus Dominus illuminat tanquam à montibus æternis, & turbantur inſipientes corde, vnde aſcitus es à Deceſſore tuo, vt doctiſſimus fidei noſtræ myſtes, ad efferenda ex diuinis Eccleſiæ adytis Fidei dogmata, & ad enucleandos hæreticos, qui in Ianſenio latebant, ſenſus. Scimus te ſummi huius Pontificis conſiliorum, & curarum fuiſſe participem; tuam opem in hoc negotio valdè fuiſſe probatam, teque non minùs feliciter, quàm ſtrenue laboraſſe; ita vt, ſicut quõdã Proſper de ſtudio Africanorum Conciliorũ in profligãda hæreſi Pelagiana dicebat, tua induſtria diſcuſſæ artes, viruſque retectũ ſit hæretici ſenſus: at poſtquam ſupra montem illum, qui eſt in vertice montium, aſcendiſti, vt euangelizares Sion, vox Domini in manu forti, quippe dedit Deus voci ſuæ vocem virtutis in tua Beatitudine, quæ locuta eſt ſicuti poteſtatem habens, clamauit, & quaſi tuba exaltauit vocem ſuam, ad retundendos omnes impetus Ianſenianæ ſectæ. Hoc patuit, cùm incipientes ſummi Pontificii tui curas oneraſti ad exquirendas omnes huius hæreticæ prauitatis verſutias, edita tua Conſtitutione; quam Epiſcopi Gallicani in poſterioribus Comitiis officio ſuo incumbentes, ſumma erga tuum Apoſtolatum reuerentia receperunt (quem Valentinianus diuinæ Fidei principatum appellat) & fidem explicatam in illis quinque

Dd Propo-

Propoſitionibus non à te inuentam, ſed tibi à Deo creditam, cuius exaltatio fuit prouectio; proprijs ſubſcriptionibus firmauerunt, & ab omnibus Epiſcopis, eorumque mandato, ab omnibus Presbyteris, & inferioris gradus Clericis tam exemptis, quàm non exemptis, firmandam cenſuerunt. Ad quod remedium excitati ſunt per Apoſtolicum Breue, quo Innocentius X. eos hortatus eſt, vt ſedulo ſtudio, conatuque prorſus vnanimi conſpirantes, in Domino darent operam in id, quod opportuniùs validiùſque conferret ad executionem ſtabiliendam, firmandumque penitus vſum ſuæ Conſtitutionis. Ita ex præcepto ſanctiſſimi Pontificis illius egerunt, nulla alia meliori data via, qua dicta Conſtitutio ipſo vſu roboraretur. Et hoc ex inſtituto Maiorum, qui ad vindicandam veram fidem, ſanctionibus ſummorum Pontificum & decretis Conciliorum ſubſcribebant. Sic Eccleſiæ vnius inſtitutionis iura commiſcebant, vt pateret ex Irenæo Chriſtianos omnes vnius eſſe labii, atq; vnius oris. Ita cõtra hæreticos portabãt fidẽ Chirographo munitã, quæ Ioanne dicẽte vincit mundũ. Ex illo Eccleſiæ more Leo II. ſextæ Synodi ſubſcriptionẽ omnibus Epiſcopis imperat, vt ſecundùm eius Epiſtolæ verba, omnis Epiſcopus, cum Dominus ad iudicandum venerit, conſortẽ ſe Apoſtolicæ Sedis per ſuæ manus ſignaculum demonſtret. Idem quoque Pontifex ſe omnium ſubſcriptiones ad Petri confeſſionem depoſiturum pollicetur, vt mediante Petro, Chriſto ipſi offerantur. Hoc idem ſtatuit Concilium Tridentinum, & ad denſandam (vt Tertullianus aiebat) diſciplinam, omnibus etiam Presbyteris, & Clericis, fidem definitam ſcripto profiteri, & damnatas hæreſes anathematizare præcipit, ad abradendam omnem penitùs hæreticorum cauillationem. His prudentiſſimè ſtatutis Epiſcopi Gallicani Apoſtolicæ Sedis auctoritate muniti, ſcuto Fidei, & Catholicæ veritatis lorica protecti, repentino veluti exciti claſſico, conglobatis agminibus viſi ſunt in cauſa fidei opitulari, vt impia ſecta, propugnante SANCTITATE VESTRA, in æternum proſtrata ſuccumberet, ſicut habetur in Epiſtola Concilii Mediolanenſis ad Leonem. Sed veluti ſi totus orbis Chriſtianus eſſet in ſecuritatem compoſitus, exploſo & exuſtulato errore, Vaticani fulmine, vis horum ſtatutorum aliquatenus imminuta eſt per non vſum, plurimis non ſubſcribentibus, neque de ſubſcriptione requiſitis, acribus initiis, incurioſo fine; omnia in ſpeciem pacata videbantur, ſed quibus compoſitis rebus nulla ſpes, omne in turbido Concilium, lingua ſua cœperunt concinnare dolos, & veluti ſi æternum Sacramentum Ianſenio dicturi eſſent, exquiſierunt nouos ſinus, & nouos ſenſus illarum Propoſitionum vocabula. Ita nouarum rerum auidi nihil intentatum reliquerunt, vt Fides hæc quaſi dubia tractaretur, & damnatæ clariſſimis verbis Ianſenij Propoſitiones rediuiuis conatibus excitarentur, Solertes ſibi videri volunt omnia

nia verba Ianſenij ad aliquem ſenſum Catholicum futiliter detorquentes, quamquam tui obſeruantiam imitentur, contumaciæ propiores. Interim ſermo eorum ſicut Cancer ſerpit, ſcinditque populum Chriſtianum ſtudia in contraria diuerſis incitamentis Hæc indicia non aſpernati ſumus, neque volumus alere dubitatione, aut cunctatione bellum. Quapropter, BEATISSIME PATER, nobis viſum eſt ſociatis laboribus coniunctiſque viribus, tuam exequi Conſtitutionem, atque aliam Deceſſoris tui, ſicque hanc luem, ab Eccleſia procul depellere. Inſiſtentes igitur veſtigiis decreti vltimorũ Comitiorũ Cleri noſtri; te audimus loquentẽ ſapientiam inter perfectos, & volumus ſeruare, quæ ad pacem ſunt Ieruſalem, vt commendat Celeſtinus. Et vt continuò præſtetur aſſenſus dictæ Conſtitutioni, ab omnibus Clericis, quin ab ipſis etiam Epiſcopis ſubſcriptionem duximus requirendam, ſub pœnis in tuo Diplomate expreſſis. Et ſi qui ſunt, qui aliter ſe gerant (quod abſit) aut qui aliqua nouarum rerum, vel occultæ Societatis ſuſpicione laborent, reos læſæ Fraternitatis reputamus, & innodatos pœnis, quæ de Eccleſiaſticis regulis, & canonũ promulgatæ ſunt diſciplinis aduerſus Epiſcopos negligentes, vel doloſè agentes in negotio inquirendæ hæreticæ prauitatis.

Encyclicam quoque ad omnes miſimus, quæ certiores eos de his omnibus faciat, & quid deceat in hac cauſa Catholicæ vnitatis ac veritatis Sacerdotes ex Cõſtitutionis tuæ præſcripto. Optamus verò, vt omnes nobiſcũ choros gaudii celebrẽt, de profligato Iãſenii dogmate ſub tanti Pontificis auſpiciis, eodẽ voto, quod Patres olim Concilii Chalcedonẽſis, in relatione ad Pulcheriã Auguſtã. Te enim nouimus Montem illum Domini, ad quem confluunt omnes, id eſt ea propenſione feruntur, qua flumina per alueos ſuos; Ad te ita fluimus, ita ferimur pondere amoris & obſeruantiæ in te noſtræ. Cùm hæ partes præcipuæ ſint Eccleſiæ Gallicanæ debitam Apoſtolicæ Sedi exhibere reuerentiã. Te ſolũ ſuſpicimus tanquã montẽ coagulatum, montẽ pinguẽ, & inclamamus attendentes gregi noſtro, ſuper quẽ Spiritus ſanctus poſuit nos regere Eccleſiã Dei, vt quid ſuſpicamini montes coagulatos? Nullum quippe nouimus montem coagulatum, quàm Apoſtolicum vbi doctrina cœleſtis, ſicut lac paruulis, benè autem valentibus tanquam ſolidus cibus miniſtratur. In hoc Monte nos ipſi paſcimur (vt ait diuus Auguſtinus ad populũ ſuum) paſcimus vos, paſcimur vobiſcum: Et quia in eo Dominus docet, ſtatuimus ibi ſecundùm verba Tertulliani, finem quærendi, ſtationem credendi, expunctionem inueniendi. Tuam ergo auctoritatem nobis fore præſtò ſperamus aduerſus eos, qui omnem curioſitatis libidinem effundunt poſt definitam Fidei doctrinam, nec ad Marciani dictum attendunt, quo ait cum quis poſt acceptam fidei veritatem aliquid amplius quærit, mendacium quærit. In te autem, velut in Petri ſucceſſore

noſtrum omnium fortitudo firmata eſt, cùm ad conſultationem noſtram reſponſum ab Apoſtolica Sede manauit aduerſus ſcientiam falſi nominis, quæ in diui Auguſtini doctrinam inuaſerat, atque eius nomine circumferebatur. Cauſa hæc iam finita, ſi aliqua nouitas iterum emerſerit, indiget tantùm in ſolatium, defenſione tua, vt Flauianus de hæreſi Eutychiana ad Leonem ſcribebat. Exurgat veritas, & de ſua patientia erumpat tuo munita præſidio, quæ iamdudum abſcondi erubeſcebat, adhibita charitate manſuetudinis. Adhibeat Sanctitas tua charitatem ſeueritatis, iaculare fulmina ex altiſſima tua ſpecula aduerſus ſcientiam extollentem ſe ſupra ſcientiam Dei, dum nos totius Eccleſiæ Gallicanæ vires colligemus, atque inſtructa acie depugnabimus ſub tuis auſpicijs, & Chriſtianiſſimi Regis tutela, cui non ſolum Regium, ſed etiam ſacerdotalem animum in hoc negotio ineſſe gaudemus, & gaudere Sanctitatem tuam nouimus eodem ſenſu, quo Leo de Theodoſij Auguſti animo in Eutychiana hæreſi obruenda loquebatur. Enitnit enim in hacce Ianſeniana lue procul eliminanda non ſolùm Regis, Reginæque matris pietas ſingularis, ſed etiam Eminentiſſimi Cardinalis Iulii Mazarini zelus, ac ſtudium, quo virus hoc ne latiùs ſerperet, vel creſcendo noceret, in aula Regia, totoque Regno vias omnes illi præcluſit. Tot tantiſque ſuffulta præſidiis Eccleſia Gallicana, terribilis vt caſtrorum acies ordinata, ſiſtit ſe SANCTITATI TVAE, cuius armata fulmine non minus certos quam glorioſos in profliganda hac noua hæreſi ſperat triumphos. Hæc conſociatis in vnum animis, viribuſque noſtrum omnium, diſiunctos in contrarias partes paucorum ſenſus ad veram germanamque fidei normam reuocare conabitur, & firmiſſimum ſupra petram vel angularem Chriſti lapidem fundata, inter varias inſultantium Nouatorum procellas immota, ac in æternum duratura, victrixque gloriabitur. Nos interim, BEATISSIME PATER, tuam demirati gloriam, earumque ſplendorem virtutum, quas Pontificalis in te dignitas non peperit; ſed inuenit, diuinam profuſis votis implorabimus clementiam, ab eaque prolixam SANCTITATIS TVAE, Publico bono ſoſpitatem depoſcemus eadem ſemper animi propenſione qua ſumus,

BEATISSIME PATER,

Obſequentiſſimi ac deuotiſſimi filij ac ſerui veſtri, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alij Eccleſiaſtici viri in Comitijs generalibus Cleri Gallicani Pariſijs congregati.

Pariſiis die 20. Februarij 1661.

RES-

RESCRIPTVM SS. DD. N. ALEXANDRI

Papæ VII. ad Cardinales, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, Cleri Gallicani in Comitijs generalibus congregatos.

ALEXANDER PAPA VII.

DILECTI Filii noſtri, venerabiles Fratres, ac dilecti Filii; Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Litteras veſtras accepimus datas die 20. Februarii, eaſque non minus veræ pietatis & in hanc Sedem illuſtribus obſeruantiæ notis diſtinctas, quàm ſacræ ſapientiæ, & inſignium Patrum ſententiis validas. Ex his profectò magna cum animi lætitia cognouimus, quàm vigili & præſtanti zelo ſtudeatis cum tuendæ puritati doctrinæ, quam de fontibus Saluatoris hauſtam Eccleſia Romana communicat, tùm perniciosis nouitatū zizaniis ex agro dominico Diœceſum veſtrarum euellendis, tam præclaram erga Sedem Apoſtolicam obſequij gloriam, vt incorruptam vſque retineatis admonere, tantarum virtutum iniuria ſanè foret: veruntamen quod veſtra ſponte facitis, vt in opus tam ſalutare Ianſeniſmi radicitùs extirpandi ſedulò incumbatis, pro Pontificii debiti ſollicitudine, vos etiam atque etiam hortari non deſinimus. Sed huius mali viuacitas nunquam penitùs extinguetur, niſi contra contumaces ad pœnas præſcriptas in Conſtitutione fel. record: Innocentij X. & in alia noſtra ſeriò procedatur. Porrò autem omnia diligenter curata, eo faciliùs & expeditiùs fluent, quò Chariſſimi in Chriſto filii noſtri Regis Chriſtianiſſimi magis enituit in hac ipſa ſanctæ fidei cauſa pietas ac Religio. In reliquo, Vos omnes dilecti Filii noſtri, venerabiles Fratres & dilecti Filii, eximia paternæ charitatis voluntate complectimur, & Pontificium Patrocinium, vbi vſus eſſe poterit, benignè pollicemur: Sed omnia melius etiam venerabilis Frater Archiepiſcopus Cæſareæ Nuncius noſter ediſſeret. Interim Apoſtolicam benedictionem vnicuique veſtrum peramanter impertimur. Datum Caſtri Gandulphi ſub Annulo Piſcatoris, die 16. Maii milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo primo Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX
ERRORVM FIDEI
Veritatibus aduerſantium, qui paſſim in hac prima Medullæ Theologicæ parte referuntur & refelluntur.

Circa ipſius fidei virtutem.

Elceſaitæ dicebant licitum eſſe, inſtante perſecutione, fidem exteriùs negare, etiam addito iuramento, ac ſufficere ſi tunc in animo retineatur. Tract. 1, Cap. 1. Sect. 5.

Eraſmus arbitratus eſt, poſſe aliquem errorem in ſacris libris reperiri, & ſanctos Euangeliſtas interdùm memoria lapſos eſſe, ſup. cap. 2. ſect. 1.

Idem in dubium reuocauit, an Symbolum fidei fuerit ab Apoſtolis conditum, ibid. ſect. 5.

Caluiniſtæ dicunt ſcripturas eſſe cuiuis apertas & ad intelligendum facillimas. ſup. ſect. 3.

Idem profitentur ſe libros ſcripturæ canonicos à non canonicis dignoſcere, non tam communi Eccleſiæ conſenſu, quàm interiori teſtimonio & ſuaſione Spiritus ſancti. ſup. cap. 3. ſect. 1.

Manichæi dicebant vana ſuperſtitione teneri Chriſtianos in eo quod fides illis imperaret ante rationem: ſeque prius velle per rationem cognoſcere, vt poſteà ſi liberet, crederent. ſup. cap. 3. ſect. 2.

Circa Eccleſiam.

Vicleffus & Caluiniſtæ Solos prædeſtinatos; Lutherani & Confeſſioniſtæ, Solos iuſtos, ad Eccleſiam Chriſti in terris pertinere aſſerunt; Anabaptiſtæ verò illum ex Solis perfectis conſtare volunt ſup. cap. 2. ſect 4.

Circa Deum.

Gilbertus Porretanus aſſerebat, Sapientiam, Iuſtitiam, & reliqua diuina attributa eſſe ab ipſo Deo, & ab eius eſſentia realiter diſtin-

*diſtincta.*Tract.2.cap.2.ſect.1.

AEtius & Eunomius nullam conceptus & rationis diſtinctionem inter attributa diuina admittere volebant, ſed permiſcebant & confundebant omnia, quæ in ipſa etiam ſacra ſcriptura de attributis diuinis dicebantur. ibid.

Antropomorphitæ aſſerebant Deum eſſe corporeum. Eod.tract.cap.2. ſect.2.

Vuicleffus contendebat quamlibet creaturam poſſe dici Deum: Seruetus verò eo veſaniæ prouectus eſt, vt diceret Deum in lapide v. g. eſſe verè & propriè lapidem, in trunco, truncum. ibid.ſect.3.

Circa prædeſtinationem & reprobationem.

VVicleffus aiebat omnia, quæ à Deo præſcita ſunt, ex abſoluta neceſſitate euenire. Tract.2.cap.3.ſect.1.

Caluinus perhorrendam Blaſphemiam Deum authorem peccati faciebat, contendebatque illum non modo permittere, ſed & poſitiuè velle peccatum. Eod.tract.cap.4.ſect.1.

Origenes exiſtimabat animas ante mundum corporeum creatas fuiſſe, & Deum prædeſtinare vel reprobare intuitu operum bonorum vel malorum quæ ab illis animabus facta fuerant antequam corporibus vnirentur. Eod.tract.5.ſect.2.

Pelagiani aſſerebant homines à Deo prædeſtinari intuitu bonorum operum, quæ per ſolas naturæ vires ab ipſis fiebant: illoſque per eiuſmodi bona opera gratiam prædeſtinationis promereri. ibid.

Semipelagiani licet faterentur homines ſine gratia Chriſti ſalutem conſequi non poſſe; exiſtimabant tamen Deum decreuiſſe ab æterno gratiam illam hominibus conferre, intuitu alicuius boni deſiderij, ſeu conatus propriæ voluntatis, per ſolas naturæ vires eliciti. ibid.

Iidem Semipelagiani contendebant paruulos, qui poſt Baptiſmum ſuſceptum moriuntur antequam ad annos diſcretionis perueniant, prædeſtinatos fuiſſe, propter bona opera, quæ facturos illos, ſi diutiùs vixiſſent, Deus præuidit. ibid.

Caluinus aſſerit Deum ante præuiſionem cuiuſcumque peccati, non tantum excluſiſſe aliquos à cœleſti gloria; ſed etiam efficaci voluntate eos ad pœnam æternam deputaſſe; ideoque non modo gratijs ad ſalutem neceſſarijs eos priuare, ſed & peccandi neceſſitatem ijs inijcere, quàm euadere nequeant. ibid.

Circa viſionem Dei & ſtatum beatitudinis.

Eunomius, non minus impiè quàm ſtolidè, iactabat ſe clarè & perfectè eſſentiam Dei in hac vita cognoſcere. tract. 2. cap. 6. ſect. 1.

Armeni negabant ab vllo intellectu creato diuinam eſſentiam prout in ſe eſt, clare cognoſci poſſe: ibid.

Caluiniſtæ contendunt non niſi poſt communem reſurrectionem beatos in cœlo Dei viſione fruituros, ibid. ſect. 2.

Millenarii viſionis illius fruitionem differebant adhuc mille annis poſt reſurrectionem communem, quibus exiſtimabant Chriſtum in terris cum ſanctis regnaturum, antequam ad beatitudinis ſeu beatificæ viſionis fruitionem eos deducat, ibid.

Begardi hæretici negabant intellectum creatum indigere vllo lumine gloriæ ad eſſentiam diuinam intuitiuè videndam, ibid. ſect. 3.

Caluiniſtæ aſſerunt ſanctos beatos, noſtras quæ ad illos diriguntur orationes, nullo modo, in cœlo cognoſcere, ibid. ſect. 5.

Iouinianus contendebat nullam eſſe inter ſanctos beatos, ſiue in ratione meriti, ſiue in ratione præmii: inæqualitatem, ibidem ſect. 6.

Circa myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis.

Sabellius aſſerebat vnam tantum eſſe in Deitate perſonam quæ pro diuerſis officijs diuerſa nomina ſortiretur, tractat. 3. cap. 1. ſect. 2.

Gilbertus Porretanus dicebat relationes, quæ ſunt inter diuinas perſonas, ab ipſa diuina eſſentia diſtingui realiter, eſſeque illi velut aſſiſtentes, & affixas, ibid.

Arius dicebat Filium in diuinis, nec Deum eſſe, nec genitum ex ſubſtantia Patris, nec proinde eſſe conſubſtantialem, ſed eſſe creaturam non ab æterno, ſed in tempore, ante alias tamen creaturas productam, ibid. cap. 2. ſect. 2.

Macedonius rogabat Spiritum ſanctum eſſe Deum, dicebatque illum eſſe ſubſtantiam aliquam ſpiritualem, ſuperiorem omnibus aliis, creatam à Patre per Filium, ibid. ſect. 5.

Græci contendunt Spiritum ſanctum à ſolo Patre procedere, non vero à Filio. ibid.

Circa Creationem.

SImon Magus, Menander, & alij quidam veteres hæretici dicebant, mundum hunc viſibilem, non à Deo, ſed ab Angelis fuiſſe conditum, tract.4.cap.1.ſect.1.

Marcion docebat materiam primam eſſe ex ſe, proindeque non fuiſſe à Deo productam, ibid.

Manichæi aſſerebant res omnes corporeas non à Deo bono, ſed à Deo malo fuiſſe productas, ibid.

Tertullianus cenſebat animas eſſe corporeas, & generari ab animabus parentum, ſicut corpora à corporibus, cap.4.ſect.1.

Origenes exiſtimabat animas diù ante corporum formationem fuiſſe à Deo creatas, ibid.

Circa ſanctos Angelos cuſtodes.

CAluinus negauit Angelos cuſtodes ſingulis hominibus attribui; contenditque cum blaſphemia, illam ſanctorum Angelorum cuſtodiam, quam Eccleſia fidelibus credendam proponit, non aliud eſſe quàm falſum commentum, cap.3.ſect.3.

Circa ſtatum damnatorum.

ORigenes cenſebat dæmonum & damnatorum pœnas aliquando finem habituras eſſe, ipſoſque tam dæmones quàm damnatos de peccatis ſuis aliquando acturos eſſe pœnitentiam, cap.3.ſect.5.

Circa peccatum originale.

PElagiani negabãt pueros vllũ originale peccatũ contrahere, aſſerebantque tales homines naſci poſt peccatum Adami, quales ante illius peccatum nati fuiſſent, & æquè tunc morti obnoxios futuros fuiſſe, etiam Adamo non peccante, quàm nunc ſunt. Ipſumque Adamum vniuerſo generi humano per peccatum obfuiſſe, non peccati ipſius propagatione; ſed exemplo; quatenus ſcilicet imitati ſunt eum qui poſteà peccauerunt, cap.5.ſect.2.

Matthias Illyricus aſſeruit peccatum originale eſſe ſubſtantiã quandam a dæmone factam, quæ ſit ipſius dæmonis eſſentialis imago, quæ quidem poſt peccatum primi hominis ita vnicuique animæ impreſſa eſt, vt illam totam ſubſtantialiter corruperit, & in imaginem ipſius diaboli transformauerit, cap.5.ſect.3.

Lutherus, & Caluinus cenſuerunt peccatũ originale nihil aliud eſſe, quàm

quam concupiſcentiam ſeu inordinationem potentiarum inferiorum animæ, quæ reos nos facit æternæ damnationis. ibid.

Caluinus docuit vnum ex effectibus peccati originalis eſſe extinctionem liberi arbitrij, ita vt poſt peccatum Adami non ampliùs habeat homo liberam boni vel mali electionem, ſed quicquid bene vel male operatur, illud neceſſariò operari, quamuis non coactè operetur. cap. 5. ſect. 4.

Pelagiani aſſerebant paruulos abſque Baptiſmo decedentes æternam nihilominus beatitudinem conſecuturos, cap. 5. ſect. 5.

Circa Myſterium Incarnationis.

NEſtorius prædicabat Beatiſſimam Virginem Mariam purum hominem peperiſſe, proindeque nec eius Filium Deum, nec ipſam Dei Genitricem dici debere. Addebat, perſonam diuinam Verbi vnitam fuiſſe poſteà Filio Mariæ, non quidem ſubſtantialiter ſuam communicando hypoſtaſim, ſed tantùm accidentaliter, in quantum ſcilicet Verbum diuinum illi nomen ac dignitatem ſuã impertiuit, vt nimirùm Deus & Dei Filius diceretur, & vt talis adoraretur, tract. 5. cap. 1. ſect. 4.

Eutyches è contrarium nimio zelo, & abſque ſufficienti ſcientia aduerſus hunc errorem moueretur, in alterum extremum errorem huic oppoſitum delatus eſt: Aſſerebat enim poſt Incarnationem Verbi non modò vnam in Chriſto eſſe perſonam, ſed vnam quoque ſolummodò remanſiſſe naturam, ſiue per compoſitionem vtriuſq; naturæ diuinæ & humanæ, ſiue per conſeruationem alterius in alteram: dicebat prætereà Diuinitatem Verbi in Chriſto, non modò dici poſſe, ſed re vera fuiſſe paſſam, mortuam, & ſepultam. ibid.

Hæretici Vbiquiſtæ contendunt humanam naturam Verbo diuino hypoſtaticè vnitam eo ſenſu intelligi debere, quod omnis plenitudo, & (vt loquuntur) energia diuinitatis Verbi, ſic ipſi humanitati realiter communicata, & ita in eam transfuſa, vt Chriſtus etiam ſecundùm humanitatem, & quatenus homo dicatur eſſe omnipotens, æternus, vbique præſens; vnde & (Vbiquiſtæ) dicti ſunt, cap. 2. ſect. 3.

Cerdon & Manichæus aſſerebant Chriſtum Dominum non habuiſſe verum & naturale corpus, ſed phantaſticum & apparens, eod. cap. ſect. 4.

Apollinaris contendebat Verbum Diuinum aſſumpſiſſe carnem ſine anima, & ipſius Verbi diuinitatem fuiſſe inſtar animæ rationalis in carne aſſumpta, ibid.

Quidam Concionator Barcinonenſis docuit ſanguinem Chriſti fuiſſe in eius morte, ab ipſa diuinitate ſeparatum, ibid.

Seueriani aſſerebant corpus Chriſti non fuiſſe verè paſſibile, aut vulnerabile cum aliquo ſenſu doloris, ibid. ſect. 6.

Agnoitæ aſſerebant Chriſtum diem Iudicij ignoraſſe, ibid. ſect. 7.

Monothelitæ contendebant vnam tantum fuiſſe in Chriſto voluntatem, diuinam ſcilicet, nullamque in eo fuiſſe voluntatem humanam, cap. 6. ſect. 1.

Iouinianus & Heluidius negabant ſanctiſſimam Mariam Matrem Dei poſt partum Virginem permanſiſſe, cap. 7. ſect. 1.

Petrus Abaillardus titulum Redemptoris hominum, Chriſto Domino propriè competere negabat. eod. cap. ſect. 3.

Caluinus articulum Symboli, *de Chriſti deſcenſu ad inferos, eo ſenſu intelligi debere dixit, quod Chriſti anima in deſperationem inciderit, & pœnas damnatorum ad tempus pertulerit*. cap. 7. ſect. 4.

Circa gratiam Chriſti.

Pelagius & eius ſectarij, omnem Chriſti gratiam primò repudiauerunt, aſſeruerunt que, ad ſalutem æternam conſequendam ſolas ſufficere humanæ voluntatis vires.

Poſtea verò vt Eccleſiæ damnationem effugerent, gratiæ neceſſitatem admiſerunt, ſed fictè & ſubdolè nomine gratiæ liberum arbitrium naturamque in qua conditi ſumus intelligentes.

Cumque fraus illorum pateſceret, vt errorem tegerent, gratiam Chriſti in legis notitia, Euangelicæ doctrinæ promulgatione, ipſiuſque Chriſti Domini ac Sanctorum exemplis, necnon in peccatorum remiſſione & condemnatione poſuerunt.

Poſteà cum vrgerentur vt non modo externum, ſed etiam præſertim internum, gratiæ auxilium agnoſcerent, illud tandem Scripturæ teſtimonijs conuicti admiſerunt; ita tamen vt dicerent gratiam illam internam non eſſe abſolutè neceſſariam, ſed tantum vtilem ad bonum faciliùs operandum.

Denique cum omnes ſupradicti errores damnati fuiſſent, eorum ſucceſſores dicti Semipelagiani, gratiæ internæ neceſſitatem agnouerunt, ſed ſimul etiam dixerunt eam non præuenire hominis voluntatem, ſed potius ab illa præueniri, ac per bona deſideria, & pios aliquos affectus & conatus humanæ voluntatis obtineri; Denique primam gratiam internam intuitu piorum illorum deſideriorum & affectuum tribuere, Tract. 6. c. 1. ſect. 2.

Idem Pelagius dicebat hominem in puris naturalibus, ſine vlla gratia aut iuſtitia originali fuiſſe creatum, ibid. ſect. 3.

Caluinus aſſeruit hanc eſſe differentiam inter gratiam ſanitatis, ſeu ſtatus innocentiæ propriam, & gratiam medicinalem, quæ in ſtatu naturæ lapſæ hominibus confertur, quod gratia ſanitatis homo ſi vellet

vellet diſſentire, poſſet, gratia verò medicinali, neceſſariò aſſentiatur, nec ab illa diſſentire, aut eam abÿcere poſſit, ſeu impedire quominus habeat effectum ſuum ob quem data eſt, ibid. ſect. 4.

Ioannes Hus aſſerebat extra gratia ſanctificantis ſtatum nullum opus bonum fieri poſſe, & omnia peccatorum opera mala eſſe, ibid. ſect. 7.

Lutherus dixit timorem omnem diuina Iuſtitia eſſe vitioſum & malum, cap. 4. ſect. 5.

Caluinus aſſeruit quemlibet fidelem non modo de ſua iuſtificatione certum eſſe, ſed & teneri ad credendum ſe eſſe iuſtificatum per Chriſti iuſtitiam ſibi imputatam, eod. cap. 4. ſect. 7.

Caluinus & eius ſectarÿ nomen (Meriti) reÿciunt tanquam diuina gratia iniurioſum, negantque hominem quantumlibet iuſtum & ſanctum, vllis bonis operibus vitam æternam promereri poſſe, cap. 5. ſect. 1. & 6.

Obſeruabit Lector præter errores hîc recenſitos, alias quamplurimas veritates fide diuina credendas, tum in hac prima tum etiam in ſecunda huius operis parte, paſſim explicari & probari: ex quibus plurimarum aliarum hæreſeon, quarum in hoc Indice nulla mentio fit, refutatio ſatis poterit intelligi.

INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM

Quæ in hac prima Medullæ Theologicæ parte continentur.

QVÆ QVIDEM IN EVM ORDINEM digeſtæ ſunt, vt quid de vnaquaque notatu dignum varijs in locis ſparſim continetur, ſub vno veluti aſpectu poſitum reperiatur.

Adoratio.

QVæ ſit differentia inter Laudem, honorem & adorationem? *Tract. 5. Cap. 8. Sect. 1. Num. 1.*

Quænam requirantur ad completum adorationis actum? *ibid.*

Quotuplex ſit adoratio? *ibid.*

Quid ſit adoratio latriæ? quid duliæ? *ibid. n. 2.*

Quænam adoratio Chriſto Domino debeatur? *ibid. n. 3.*

Angelus.

Quid nomine Angeli intelligatur? *Tract. 4. cap. 2. initio.*

An Angeli aliqui exiſtant? *ibid.*

Quandonam Angeli creati ſunt? *ibid. ſect. 1.*

Vtrum de fide ſit, Angelos ſimul cum mundo corporeo fuiſſe creatos? *ibid. n. 3.*

Vbinam Angeli creati ſunt? *ſect. 2.*

An Angeli ſint omnino incorporei? *ſect. 3.*

Qui de apparitionibus Angelorum in forma corporeâ ſentiendum ſit? *ibid. num. 3.*

An Angeli ſint incorruptibiles & immortales? *ibid. n. 4.*

Quid de loco Angelorum ſentiendum ſit? *ſect. 4. n. 1.*

Quænam ſit formalis ratio, per quam Angelus in loco aliquo eſſe dicatur? *ibid.*

Quid

Quid de motu Angelorum ſentiendum ſit? *ibid. num. 2.*
An Angeli poſſint res alias à ſe mouere localiter? *ibid. num 3.*

Cognitio Angelorum.

Quid de cognitione Angelorum ſentiendum ſit? *ſect. 5. num. 1.*
Quomodo Angeli ſeipſos cognoſcant? *ibid.*
An ad alias res cognoſcendas ſpeciebus aliquibus indigeant? *ibid. num. 2.*
An ſpecies illas ab obiectis accipiant? *ibid. n 3.*
An Angeli ſemper actu cognoſcant ea quæ cognoſcunt? *ibid. n. 5.*
An aliquo diſcurſu vtantur? *ibid.*
Quaſnam res Angeli cognoſcant? *ſect. 6. n. 1.*
An cognoſcant res futuras & occultas cordium cogitationes? *ibid. num. 2.*
An cognoſcant res ſupernaturales? *ibid. n. 3.*

Voluntas Angelorum.

An Angeli præditi ſint libero arbitrio? *ſect. 7. n. 1.*
An habeant liberum arbitrium inflexibile? *ibid. n. 2.*

Loquutio Angelorum.

An Angeli inter ſe loquantur? *ſect. 8. n. 1.*
Quomodo Angeli inter ſe loquantur? *ibid. n. 2.*
An vti poſſint vocibus corporeis in corporibus aſſumptis, *ibid.*
Quæ ſit differentia inter locutionem & illuminationem Angelorum, *ibid.*

Ordines Angelorum.

An ſint plures Angeli numero diſtincti? *ſect. 9. n. 1.*
An Angeli inter ſe ſpecie diſtinguantur? *ibid.*
An ſint plures ordines inter Angelos, & quot? *ibid. n. 2.*
An diſtinctio ordinum in Angelos ſit à natura, vel à gratia? *ibid. num. 3.*

Meritum Sanctorum Angelorum.

An Angeli creati ſint in ſtatu beatitudinis ſupernaturalis? *cap. 3. ſect. 1. num. 5.*
An ſint creati in ſtatu gratiæ? *ibid.*

An boni Angeli beatitudinem æternam fuerint promeriti? *ibid.n.2.*
Quanto tempore Angeli fuerint in ſtatu merendi? *ibid.n.5.*

Beatitudo ſanctorum Angelorum.

Quiſnam ſit ſtatus ſanctorum Angelorum in gloria, *ſect.2.n.5.*
An beati Angeli poſſint in beatitudine proficere. *ibid.*
An poſſint beatitudinis accidentalis incrementum aliquod accipere, *ibid.n.2.*

Officia ſanctorum Angelorum erga homines.

An Angeli à Deo mittantur ad homines? *ſect.3.n.1.*
Quinam ex Angelis mittantur? *ibid.*
An cuique homini adſit Angelus tutelaris, *ibid.*
An ſint Angeli tutelares Regnorum, Prouinciarum, &c. *ibid.n.3.*
An ſint aliqui ſingulis rerum ſpeciebus præpoſiti? *ibid.*
Quænam ſint officia ſanctorum Angelorum erga homines? *ibid.n.4.*

Angeli mali ſeu dæmones.

An ſint aliqui Angeli mali, & à Deo reprobati? *cap.3. ſect.1. n.2.*
Quinam Angeli peccauerunt, & quot? *ibid.n.3.*
An Superbia fuerit peccatum malorum Angelorum? *ibid.*
In quo poſita fuit ſuperbia Angelorum peccantium? *ibid.n.4.*
An Angeli mali ſtatim poſt peccatum ſuum in infernum ſint detruſi? *ſect.4.n.1.*
An aliqui dæmones Dei permiſſu ſuper terram diuagentur? *ibid.*
An dæmones ſint alicuius doloris ſuſceptibiles? *ibid.*
An dæmones ab igne inferni torqueantur, & qua ratione? *ibid.n.2.*
An dæmonum pœnæ futuræ ſint æternæ? *ibid.n.3.*
Qua ratione pœnæ æternæ iuſtè dæmonibus infligantur, cùm eorum peccatum fuerit momentaneum? *ibid.n.4.*
Quænam ſit dæmonum conditio quoad intellectum & voluntatem *ſect.5.*
Quomodo homines à dæmonibus impugnentur? *ſect.6.*

Anima humana.

An cuiuſque hominis anima immediatè à Deo creata ſit? *tract. 4. cap.4. ſect.1.n.1.*
An anima humana ſit ſubſtantia purè ſpiritualis. *ibid.n.2.*
An anima humana ſit immortalis? *ibid. n. 3.*

Beatitudo æterna.

In quo formaliter conſiſtat beatitudo? *tract. 6. cap.5. ſect.6. n.3.*
An ad complementum beatitudinis requiratur corporis glorificatio? *ibid.*
Quęnam ſint dotes corporis glorificati? *ibid.*
Quænam ſint aureolæ beatorum? *ibid.n.4.*
An beatitudo futura ſit æterna? *ibid.n.5.*
Vide infra tit. (Viſio beatifica)

Cælum Empireum.

An ſit de fide Cælum, quod dicitur Empireum, exiſtere? *tract. 4.c. 2.ſect.2. n.2.*

Chriſtus Dominus.

An Chriſtus dici debeat Dei Seruus aut Filius adoptiuus? *tract.3.c.1. ſect.5.num.1.*
An Chriſtus ſit Rex? & quæ ſit eius regia poteſtas? *c.7.ſect.8.*
An ſit Iudex & ratione iudiciaria poteſtas illi competat? *ſect.9.*
An Chriſtus ſit caput Angelorum, & hominum? *ſect.10.*
An & qua ratione Chriſtus ſit Sacerdos? *ſect.11.*
An & qua ratione Chriſtus ſit Redemptor & Mediator? *ſect. 12.*

Chriſti ſanctitas, & gratia.

Per quam gratiam Chriſti humanitas ſanctificata fuerit? *c.4.ſect.1. num.1.*
An Chriſtus indiguerit aliqua gratia actuali? *ibid. n.3.*
An habuerit gratias gratis datas? *ibid.n.1.*
An gratia in illo incrementum aliquod acceperit? *ibid.n. 4.*
An in Chriſto fuerint virtutes infuſæ & quæ? *ſect.2.n.1.& 2.*
An in eo fuerint dona Spiritus ſancti? *ibid.n.3.*

Chriſti ſcientia.

Qualis fuit ſcientia Chriſti? *c.5.ſect.1.n.1.*
An in Chriſto fuerit ſcientia aliqua acquiſita *ibid. n.2.*
Ad quas res ſe extenderit ſcientia Chriſti? *ſect.2.*

Chriſti voluntas & meritum.

An voluntas Chriſti fuerit libera? *c.6.ſect.1.& 2.*
An Chriſtus potuerit peccare? *ibid.n.3.*
Qua ratione actiones Chriſti fuerunt meritoriæ? *ſect.3.*
An fuerint infiniti valoris ad merendum? *ibid.n. 2.*
Quandonam Chriſti meritum inceperit & deſierit *ibid.*
Per quam actionem Chriſti completum fuit opus Redemptionis? *ibid.n.4.*
An Chriſtus ſibi aliquid meruerit, & quid? *ſect.4.n.1.*
Quid nobis Chriſtus meruerit? *ibid.n.2.*
An Chriſtus Angelis gratiæ & gloriæ dona promeruerit? *ibid.n.4.*

An Chriſtus pro omnibus hominibus redimendis mortuus fuerit ? *ſect.*5.*n.*1.2.3
An Chriſtus ſingulis hominibus applicauerit merita ſua? *ibid.n.*3.
An Chriſtus Patrem orauerit, & adhuc oret ? *ſect.*6.*n.*1.
An Chriſti oratio fuerit ſemper exaudita? *ibid. n.*2.

Chriſti Domini vita, mors, reſurrectio.

An actiuum principium conceptionis Chriſti fuerit virtus ſupernaturalis diuina? *cap.*7.*ſect.*1.*n.*1.
An corpus Chriſti eodem inſtanti quo conceptum fuit, fuerit etiam diuina virtute perfectè organizatum ? *ibid.num.*2.
An Chriſtus à primo inſtanti conceptionis vſum rationis & liberi arbitrii perfectum habuerit ? *ibid.*
An Chriſtus tempus, & locum natiuitatis ſibi delegerit ; *ibid.n.*2.
An conueniens fuerit Chriſtum à Ioanne baptizari, & à dæmone tentari; *ſect.*3, *n.*1.
An Chriſtus doctrinam ſuam miraculis confirmare debuerit? *ibid. num.*2.
An miracula Chriſti ſufficientia fuerint ad diuinitatem eius comprobandam? *ibid.*
Quid paſſio & mors Chriſti nobis contulerit? *ſect.*4.*n.*1.
An in morte Chriſti diuinitas eius fuerit ab humanitate ſeparata ? *ibid.n.*2.
An corpus Chriſti in morte corruptum fuerit ? *ibid.*
Quomodo intelligi debeat deſcenſus Chriſti ad inferos? *ſect.* 5. *num.*2.
Ad quæ inferorum loca Chriſtus deſcenderit ? *ibid. num* 3.
Quid Chriſtus apud inferos egerit? *ibid. n.* 3.
An Chriſtus propria virtute à mortuis ſurrexerit ? *ſect.*6.*n.*1.
Cur Chriſtus in corpore glorioſo vulnerum cicatrices retinere voluerit? *ibid.*
An Chriſti corpus reſurgendo clauſum ſepulchrum penetrauerit ? *ibid.*
Qua ratione Chriſti reſurrectio dicitur cauſa noſtræ reſurrectionis ? *ibid.n.*2.
An Chriſtus propria virtute cœlos aſcenderit? *ſect.*6.*n.* 1.
Ad quoſnam cœlos Chriſtus aſcenderit? *ibid.*
Quo ſenſu Chriſtus dicitur ſedere ad dexteram Patris? *ibid.n.*2.

Crux Chriſti.

Quis honor & cultus cruci Chriſti, aut ipſius crucis imagini deferri debeat? *tract.*5.*cap.*8.*ſect.*4.*n.*6.

Creatio.

An Deus ſit cauſa efficiens rerum omnium? *tract.*4.*cap.*1.*ſect.*1.
An ſolius Dei proprium ſit creare? *ſect.*1.*n.*1.

An creatura tanquam cauſa inſtrumentalis poſſit ſimul cum Deo concurrere ad creationem alicuius rei? *ibid.n.*3.
An aliquæ creaturæ fuerint aut eſſe potuerint ab æterno? *ſect.*3.
An & qua ratione homo dicitur à Deo creatus? *cap.*4.*ſect.*1.*n.*1.
Quomodo dicitur homo creatus ad imaginem & ſimilitudinem Dei? *ibid.n.*4.

Deus.

Quibus rationibus probari poſſit Deum eſſe? *tract.*2.*cap.*1.*ſect.* 1.
Quomodò probari poſſit non eſſe niſi vnum Deum? *ſect.*2.
An poſſit aliquod nomen Deo imponi? *ſect.*3. *n.*1.
Quænam nomina affirmatiua aut negatiua Deo tribui poſſunt? *ibid. num.*3.
An, & qua ratione attributa Dei, inter ſe & ab eius eſſentia diſtinguantur? *cap.*2.*ſect.*
An diuina eſſentia in ſua ſimplicitate omnium rerum perfectiones contineat? *ſect.* 3.
Quanam ratione rerum omnium creatarum perfectiones ſint in Deo. *ibid.n.*2.
An Deus ſit immutabilis? *ſect.*4.
An Deus ſit æternus? *ſect.*5.
Qua ratione æternitas ſit ſolius Dei propria? *ibid.num.*2.
An & qua ratione Deus ſit vbique præſens? *ſect.*6.
An Deus ſit in omni genere perfectionis infinitus? *ſect.*7.

Scientia Dei.

An ſit in Deo ſcientia & qualis illa ſit? *cap.*3.*ſect.*1.
Quæ ſit differentia inter ſcientiam diuinam & humanam? *ibid. num.*2.
Quodnam ſit obiectum ſcientiæ diuinæ? *ſect.*2.
Qua ratione Deus cognoſcat futura contingentia libera? *ſect.*3.
An & qua ratione Deus cognoſcat futura conditionata? *ſect.*4.
An ſint in Deo rerum creatarum Ideæ? *ſect.*4.

Voluntas Dei.

An ſit in Deo voluntas, qualis? *cap.*4.*ſect.*1.
Quænam ſit illa quæ in Deo dicitur voluntas ſigni, aut beneplaciti; item voluntas antecedens, & conſequens; abſoluta & conditionata? *ibid. n.*2.3.
Quænam ſint obiecta diuinæ voluntatis? *ſect.*2.*n.*1.
An Deus velit malum pœnæ vel culpæ? *ibid.n.*2.& 3.
An & qua ratione voluntas Dei ſit libera? *ſect.*3.
Quænam ſit diuinæ voluntatis virtus, & omnipotentia? *ſect.* 4. *num.*1.
An ſit in Deo impotentia non poſſe mori, non poſſe peccare, &c. *ibid.n.*2.

An & qua ratione in diuina voluntate ſit odium, amor, iuſtitia, miſericordia, &c. *ſect.*5.
An ſit in Deo prouidentia, & ad quæ ſe extendat? *ſect.*6.

Eccleſia.

Quænam ſit vera Eccleſia? *tract.*1.*cap.*2.*ſect.*4.
Quibus notis vera Eccleſia dignoſci poſſit? *ibid.n.*3.

Epiſcopus.

An vnuſquiſque Epiſcopus dici debeat caput ſuæ Eccleſiæ? *tract.* 5. *cap.*7.*ſect.*9.*n.*4.

Fides, & eius neceſſitas.

Quid ſit fides, & quotuplex? *tract.*1.*cap.*1.*ſect.*1.
An fides ad ſalutem neceſſaria ſit neceſſitate præcepti? *ſect.*2.
Quotuplex ſit præceptum fidei? *ibid.n.*3.
An fides ad ſalutem neceſſaria ſit neceſſitate medij? *ſect.*3.
Qua ratione ignorantia myſteriorum fidei dici poſſit vincibilis in infidelibus? *ibid.n.*3.
An explicita fides myſteriorum aliquorum ſit neceſſaria. *ſect.*4.
Qua ratione adulti teneantur ad habendam fidem explicitam? *ibid. num.*2.
An externa fidei confeſſio ſit neceſſaria ad ſalutem? *ſect* 5.
An præceptum obligans ad externam fidei confeſſionem ſit affirmatiuum? *ibid. n.*2.
Quo tempore præceptum illud obliget? *ibid.*
An liceat aliquando fidem occultare? *ibid.* & *num.*3.

Obiectum materiale fidei.

Quodnam ſit obiectum materiale fidei? *cap.*2.*ſect.*1.
An obiecta fidei creuerint ſucceſſu temporis? *ſect.*7.
An eadem fides fuerit in Patriarchis ante Chriſti aduentum, & in Apoſtolis & in alijs Chriſtianis? *ibid n.* 1.
An Concilia & ſummi Pontifices condiderint nouos articulos fidei? *ibid.n.*2.

Obiectum formale fidei.

Quodnam ſit obiectum formale fidei? *cap.*3.*ſect.*1.
An ſuprema & infallibilis Dei veritas ſit obiectum formale fidei? *ibid.n* 2.
An actualis reuelatio pertineat ad rationem obiecti formalis fidei? *ibid.n.*3.
An diuina reuelatio debeat eſſe obſcura & ineuidens? *ſect.*2.
An obiectum fidei poſſit ſciri, aut à ſenſibus percipi? *ibid.n.*3.
An reuelatio diuina debeat eſſe publica? *ſect.*3.
An fidei diuinæ poſſit ſubeſſe falſum? *ſect.*5.
An veritates fidei ſint euidenter credibiles? *ſect.*6.
Quæ ſint rationes illius credibilitatis? *ſect.*7.

Quodnam ſit illud in quod vltimò fides reſoluitur? *ſect.* 8.
Quomodo actus fidei ſit in praxim redigendus? *ſect.*9.
Gratia.
Quid nomine gratiæ intelligendum ſit? *tract.6.cap.1.ſect.1.*
Quotuplex ſit gratia? *ibid.*
Quid ſit gratia gratis data? *ibid.n.3.*
An gratia gratis data æque peccatoribus ac iuſtis tribuatur? *ibid. num.4.*
Quid ſit gratia gratum faciens? *ibid.*
Quid ſit gratia habitualis, quid actualis? *ibid.*
Quid ſit gratia præueniens, excitans, operans? *cap.2.ſect.1.*
Quid ſit gratia adiuuans, cooperans, concomitans, & ſubſequens, *ſect.1.*
Gratiæ neceſſitas.
An gratia aliqua actualis neceſſaria ſit ad cognoſcendum quodlibet verum? *ſect.5.*
An poſſit homo facere aut velle aliquod bonum ſine gratia actuali? *ſect.6.*
An poſſit homo tentationem vllam perfectè vincere abſque gratia actuali? *ibid.n.4.*
An poſſit homo ſine gratia habituali aliquod bonum opus exercere? *ſect.7.*
An poſſit ſine fide aliquod bonum opus exercere? *ſect.8.*
An homo in gratiæ ſanctificantis ſtatu indigeat aliquo gratiæ actualis auxilio ad operandum bonum? *ſect.9.*
An poſſit in tali ſtatu perſeuerare abſque ſpeciali aliquo gratiæ auxilio? *ibid.n.2.*
An poſſit in tali ſtatu omnia & ſingula peccata venialia deuitare? *ibid.n.3.*
Gratia ſufficiens.
Quid nomine gratiæ ſufficientis intelligatur? *cap.2.ſect.3.num.1.*
Deturne gratia aliqua ſufficiens? *ibid.num.2.*
An cuilibet homini detur gratia ſufficiens ad ſalutem? *ſect.4.*
An Deus velit omnes homines ſaluos fieri? *ſect.5.*
Deturne gratia ſufficiens ad mandata Dei ſeruanda omnibus, qui ea ſeruare tenentur, & peccant non ſeruando? *ſect.6.*
Deturne etiam peccatoribus obduratis ſufficiens auxilium gratiæ ad conuerſionem? *ſect.7.*
An verè dici poſſit etiam paruulis abſque Baptiſmi perceptione decedentibus dari media ſufficientia ad ſalutem? *ſect.8.*
Gratia efficax.
Quid ſit gratia efficax, & qua ratione à ſufficiente diſtinguatur *cap.3.ſect.1.*
Verùm

Vtrùm ex duobus æquali gratia præuentis & excitatis, contingat aliquando aut contingere poſſit, vt vnus gratiæ conſentiat, alter minimè? *ibid.num.*4.
In quo propriè conſiſtat efficacia gratiæ? *ſect.*2.

Hæreſis.

Quid ſit hæreſis, & quinam hæretici cenſeri debeant? *tract.* 1.*cap.*4. *ſect.*3.*n.*1.
Quænam pertinacia faciat hæreticum? *ibid.num.*3.
An ille cenſendus hæreticus, qui ſcienter & deliberatè de aliqua fidei veritate dubitat? *ibid.*
Quanam ratione dignoſci poſſit an doctrina aliqua ſit hæretica? *ſect.* 4.*num.*1.
Quænam ſit differentia inter propoſitionem hæreticam, erroneam, ſchiſmaticam, ſuſpectam, temerariam, ſcandaloſam, piarum aurium offenſiuam, &c. *ibid. n.*2.
Qua ratione quiuis Theologus de doctrina aliqua ſeu propoſitione in materia fidei iudicium ferre poſſit? *ibid* §. 5.

Imagines Chriſti & Sanctorum.

Quæ ſit differentia inter imaginem & idolum? *tract.* 5.*cap.*8 *ſect.*4. *num.* 1.
An ſacrarum imaginum vſus ſit licitus? *ibid.n.*2.
An ſacræ imagines ſint à nobis venerandæ, & quo cultu? *ibid. num.* 3.

Incarnatio Verbi diuini.

Quid nomine Incarnationis Verbi Diuini intelligi debeat? *tract.*5. *cap.* 1.*ſect.*1.
Quibus argumentis myſterii Incarnationis veritas contra Ethnicos, Iudæos, & hæreticos, propugnari poſſit? *ſect.*2.3.& 4.
An Incarnatio Verbi diuini fuerit conueniens? *ſect.*5.
An fuerit ad reparationem generis humani neceſſaria? *ſect.*6.
An ſi primus homo non peccaſſet, Filius Dei incarnatus fuiſſet? *ſect.*7.
An ſola Filii perſona humanam naturam aſſumpſerit? *cap.*1. *ſect.*2.
An poſt duarum in Chriſto naturarum vnionem, manſerit proprietatum vtriuſque naturæ diſtinctio? *ſect.*3.
Quænam humanæ naturæ partes à Filio aſſumptæ fuerint? *ſect.*4.
Quo ordine aſſumptæ fuerint *ſect.* 5.
An Filius Dei aliquos defectus corporis aſſumpſerit, & quos? *ſect.*6.
An Chriſtus in anima ſua aliquos defectus habuerit? *ſect.*7.
An in Chriſto inter vtramque naturam diuinam & humanam aliqua proprietatum communicatio admittenda ſit? *cap.*3.*ſect.*1.
Quænam obſeruanda ſint in illa proprietatum communicatione? *ſect.*2.& 3.

Infidelitas.

An infidelitas eorum qui nihil vnquam de fide audierunt nec audire potuerunt, ſit peccatum? *cap. 4. ſect. 1.*

Quot ſunt ſpecies infidelitatis? *ſect. 2.*

Innocentia ſeu Iuſtitia originalis ſtatus.

Qualiſnam fuit conditio primi hominis in ſtatu Iuſtitiæ originali, ſiue quoad intellectum, ſiue quoad voluntatem? *tract. 4. cap. 4. ſect. 2. & 3.*

An in illo ſtatu appetitus inferior fuerit rationi perfectè ſubditus? *ibid. n. 2.*

An illo ſtatu animantia omnia fuiſſent homini ſubdita & obtemperantia? *ibid. n. 3.*

An Iuſtitia originalis fuerit habitus aliquis ſimplex, an plurimum habituum ſupernaturalium complexio? *ibid. n. 3.*

An primus homo Iuſtitiam in poſteros transfudiſſet ſi non peccaſſet? *ibid. n. 4.*

An in illo ſtatu homo fuiſſet immortalis? *ſect. 4. n. 1.*

An arbor vitæ virtutem habuiſſet conferendi immortalitatem? *ibid. n. 5.*

Iuſtificatio.

In quo propriè conſiſtat hominis iuſtificatio? *tract. 6. cap. 4. ſect. 1. num. 1.*

An iuſtificatio ſit ſolummodo aliquis Dei fauor purè extrinſecus? *ibid.*

An fuerit donum aliquod ſupernaturale nobis inhærens? *ibid. num. 2.*

An donum illud inhæreat animæ per modum habitus: *ibid. n. 4.*

Quinam ſunt effectus iuſtificationis? *ſect. 2.*

An ſimul cum gratia habituali iuſtificante aliqui virtutum ſupernaturalium habitus in animam infundantur? *ſect. 3. n. 1. & 2.*

An præter virtutes, dona etiam Spiritus ſancti ſimul cum gratia habituali ſanctificante infundantur? *ibid. num. 3.*

An gratiæ ſanctificantis habitus ſit à charitatis habitu diſtinctus? *ſect. 4.*

An charitas actualis per ſe hominem formaliter iuſtificet? *ibid. num. 3.*

Quænam diſpoſitiones ad iuſtificationem requirantur? *ſect. 5.*

An in adultis bonus aliquis vſus liberi arbitrii ad iuſtificationem prærequiratur? *ibid.*

An fides prærequiratur neceſſariò ad iuſtificationem? *ibid. n. 2.*

An aliquarum aliarum virtutum actus ad iuſtificationem prærequirantur, & quarum? *ibid. n. 3.*

An gratia habitualis ſeu habitus charitatis poſſit augeri? *ſect. 6.*

An augmentum illud producatur per actus, & an ſit à ſolo Deo? *ibid.*
An gratia ſeu charitas poſſit minui vel amitti? *ibid.*
An aliquis certò ſcire poſſit ſe eſſe iuſtificatum? *ſect.7.*

Liberum arbitrium.

Quotuplex ſit libertas? *tract.2.cap.4.ſect.3.n.1.*
Quæ ſit differentia inter libertatem naturæ, gratiæ & gloriæ? *ibid.*
An neceſſitas obſtet libertati arbitrii? *tract.5.c.ſect.2.n.1.*
An indifferentia tam quoad ſpecificationem quàm quoad exercitium actus, ſit ad rationem liberi arbitrii neceſſaria? *ibid. & nu.2.*
Qua ratione libertas voluntatis humanæ cum infallibilitate præſcientiæ diuinæ poſſit concordari? *tract.2.cap.3.ſect.3.*

Maria Virgo.

An ſanctiſſima Virgo Maria verè & propriè ſit, & dici debeat Mater Dei? *tract.5.cap 1.ſect.4.& cap.7.ſect.3.*
An & qua ratione maternitatem illam promeruerit? *ibid.num.5.*
An in partu & poſt partum Virgo permanſerit? *cap.7.ſect.1.*
An omnis doloris expers in partu fuerit? *ibid.n.3.*
An nullum vnquam actuale peccatum commiſerit? *cap.8.ſect.3.n.2.*
An peccati originalis maculam nullam contraxerit? *ibid.*
An omnibus Sanctis & Angelis gratia & ſanctitate excelluerit? *ibid.*
An ſit & dici debeat omnium creaturarum Regina & Domina? *ibid.n.5.*
An ſingulari & maxima veneratione præ omnibus Sanctis colenda ſit? *ibid.n.3.*

Meritum.

An poſſit homo aliquid à Deo mereri? *tract.6.cap.5.ſect.1.*
Quid ſit mereri de condigno, vel de congruo? *ſect.2.*
Quænam conditiones requirantur ex parte eius qui meretur? *ſect.3.*
Quænam ex parte actus meritorii? *ſect.4 n.1.*
An requiratur vt ſit à charitate elicitus vel imperatus? *ibid.n.3.*
An ad meritum requiratur pactum vel promiſſio ex parte Dei? *ibid. n.6.*
Quænam res cadant ſub meritum? *ſect.5.*
Poteſtne iuſtus ſibi promereri reparationem poſt lapſum? *ibid.n.2.*
Poteſtne ſibi mereri finalem in gratiæ ſtatu perſeuerantiam? *ibid. n.3.& 4.*
Poſſuntne bona temporalia cadere ſub meritum? *ibid.num.5.*
Poteſtne iuſtus de condigno vitam æternam mereri? *ſect.6.*
Poteſtne vnus iuſtus alteri primam gratiam & alia media ad ſalutem neceſſaria mereri? *ſect.7.*

Natu-

Naturæ ſtatus varij.

Quot naturæ ſtatus communiter à Theologis numerentur? *tract.6. cap.1.ſect.3.*
Quis ſit ſtatus puræ naturæ, & an in eo creatus aliquis fuerit, aut creari potuerit? *ibid.num.2.*
Quis ſit ſtatus naturæ integræ? *ibid.n.4.*
Quis ſtatus innocentiæ ſeu iuſtitiæ originalis? *ibid.*
Quis ſtatus naturæ lapſæ ſibi relictæ? *ibid.*
Quis ſtatus naturæ lapſæ per Chriſtum reparatæ? *ibid.*

Nomen ſanctiſſimum Ieſu Chriſti.

Quæ ſit dignitas & excellentia nominis Ieſu? *tract.7.cap.5.ſect.2.*
Quid ſignificet (Ieſus) quid (Chriſtus) *ibid.*

Paradiſus terreſtris.

An Paradiſus terreſtris fuerit locus aliquis corporeus? *tract.4.cap.4. ſect.4.*
An Paradiſus terreſtris adhuc extet? *ibid.*

Peccatum originale.

Quodnam fuerit peccatum primi hominis? *tract.4.cap.5.ſect.1.*
An fuerit vnum vel multiplex? *ibid.*
An peccatum ſuperbiæ fuerit primum & præcipuum peccatum primi hominis? *ibid.n.3.*
An peccatum primi hominis traducatur in omnes eius poſteros? *ſect.2.*
Quid ſit propriè peccatum originale? *ſect.3.*
An conſiſtat in priuatione Iuſtitiæ originalis? *ibid.n.3.*
Quinam ſint effectus peccati originalis in hac vita? *ſect.4.*
Quo ſenſu dicatur natura humana per peccatum originale corrupta? *ibid.n.2.*
An dolores, morbi, & mors, ſint effectus peccati originalis? *ibid.n.3.*
Quinam ſint effectus peccati originalis in futura vita? *ſect.5.*
Quo in ſtatu erunt paruuli cum ſolo peccato originali decedentes? *ibid.num.2. & 3.*

Pelagiani & Semipelagiani.

Quinam fuerint Pelagianorum errores circa gratiæ neceſſitatem? *tract.6.cap.1.ſect.2.*
Quid ſuper Pelagianorum erroribus cenſuerint Africana Concilia Carthaginenſe ac Mileuitanum; *ibid.§.1.*
Quale fuerit iudicium Innocentij Papæ ſuper iiſdem erroribus? *ibid. §.2.*
Quid contra eoſdem errores in altero Concilio Carthaginenſi fuerit ſtatutum? *ibid.§ 3.*
Quid ſuper Pelagianorum & Semipelagianorum erroribus Papa Cele-

Cæleſtinus edixerit ? *ibid*. §. 4.
Quid Gelaſius Papa, quid item Concilium Arauſicanum ſecundum contra Pelagianorum & Semipelagianorum reliquias decreuerint? *ibid* § 5.
Quæ ſit ſumma totius Pelagianæ hæreſis & reliquiarum eius, necnon veritatum contra illam hæreſim ab Eccleſia definitarum? *ibid. num*. 2. & 3.

Pontifex Romanus.

An Pontificis Romani authoritas in iis, quæ fidem ſpectant, ſit medium certiſſimum ad doctrinam orthodoxam dignoſcendam, eamque ab orthodoxa & hæretica ſecernendam? *tract*.1.*cap*.4.*ſect*. 4.§.4.*num*.1.
An quiuis Chriſtianus teneatur in iis quæ fidem ſpectant Romani Pontificis iudicio aſſentiri, & decretis obtemperare ? *ibid. num*. 4.
An illi qui Apoſtolicæ Sedis iudicio in materia fidei damnati ſunt, pro hæreticis haberi debeant? *ibid*.*c*.5.
An Pontifex Romanus ſit caput totius Eccleſiæ ? *tract*.5.*cap*.7.*ſect*. 4.*num*.1.

Prædeſtinatio.

Quid ſit prædeſtinatio ? *tract*.2.*cap* 5.*ſect* 3.
An Deus aliquos prædeſtinauerit? *ſect*.2.*n*.1.
An detur aliqua cauſa prædeſtinationis ex parte prædeſtinati? *ibid. num*. 2.
An detur cauſa aliqua reprobationis ex parte reprobi ? *ibid*.*n*.4.
An ſolum peccatum originale ſit cauſa reprobationis poſitiuæ ? *ſect*.3.
An prædeſtinatio ad gloriam ſit ante vel poſt præuiſa merita ? *ſect*.4.
Quis ſit ordo gratiarum & donorum in diuina prædeſtinatione ? *ibid*.*num*.2.
Quinam ſint effectus prædeſtinationis & reprobationis ? *ſectione* 6.
An prædeſtinatio à prædeſtinato cognoſci poſſit? *ſect*.7.

Reliquiæ Sanctorum.

An reliquijs Sanctorum honor aliquis deferri debeat ? *tract*.5.*cap*.8. *ſect*.4.*num*.5.
Quo cultu honorandæ ſint Reliquiæ Sanctorum? *ibid*.*num*.6.
Quæ ſit differentia cultus qui Reliquiis, & qui ſacris imaginibus defertur ? *ibid*.

Reuelatio.

An reuelationes priuatæ ſufficiant ad rationem fidei ? *tract*. 1. *cap*. 3.*ſect*.3.

Quo-

Quomodo dignoſci poſſit an reuelationes priuatæ ſint à Deo necne? *ſect.* 4.

Salutatio Angelica.

Quis ſit ſenſus verborum Salutationis Angelicæ *tract.* 5. *cap.* 7. *ſect.* 3.

Sancti.

Quis cultus Sanctis in cælo beatis deferendus ſit? *tract.* 3 *cap.* 8. *ſect.* 2. *n.* 1.

An Sancti ſint à nobis inuocandi, & pro nobis intercedant? *ibid. num.* 2.

Quomodo Sancti in cælo cognoſcant orationes noſtras? *ibid. n.* 4.

Satisfactio.

An purus homo poſſit pro peccatis aliorum condignè Deo ſatisfacere? *tract.* 5. *cap.* 1. *ſect.* 6.

An Chriſtus de condigno ſatisfecerit pro peccatis hominum? *ibid. num.* 2.

Scriptura Sacra.

Quinam libri Sacræ Scripturæ habendi ſint canonici? *tract.* 1. *cap.* 2. *ſect.* 1.

Quænam editio Scripturæ pro authentica haberi debeat? *ſect.* 2.

Quid de editione Hebraica, Chaldaica, Syriaca, Græca, & Latina tenendum ſit? *ibid. n.* 2.

Ad quem pertineat definire verum Scripturæ ſenſum? *ſect.* 3.

An in Scriptura reperiatur aliqua contradictio vel falſitas? *cap.* 3. *ſect.* 5.

Symbolum fidei.

An fuerit neceſſarium condi Symbolum fidei? *tract.* 1. *cap.* 2. *ſect.* 5.

An Symbolum fidei fuerit ab Apoſtolis conditum? *ibid. n.* 2.

An alia ſymbola fuerint ab Eccleſia edita, & quæ? *ibid. num.* 3.

An teneantur adulti omnes ſcire Symbolum fidei? *cap.* 1. *ſect.* 4.

Theologia.

Quid ſit Theologia, & quodnam eius obiectum? *quæſt. proœmial.*

Ex quibus locis argumenta Theologica adducantur? *quæſt.* 2.

Quænam ſit certitudo concluſionis Theologicæ? *quæſt.* 3.

Quænam diſpoſitiones ad ſtudia Theologica requirantur? *quæſt.* 4.

Traditio.

An præter ſcripturas aliquæ traditiones admittendæ ſint? *tract.* 1. *cap.* 2. *ſect.* 5. *n.* 1.

Quid nomine traditionis intelligatur? *ibid.*

Quænam ſint traditiones diuinæ & Apoſtolicæ? *ibid. num.* 2.

Qua ratione traditiones Eccleſiaſticæ differant ab Apoſtolicis? *ibid. num.* 3.

Tri-

Trinitatis Myſterium.

An Myſterium SS. Trinitatis naturali ratione cognoſci poſſit? *tract.3. cap.1. ſect. 1.*
An ſint plures in Deo perſonæ inter ſe diſtinctæ, & quot? *ſect.2.*
An ſint aliquæ proceſſiones in perſonis diuinis, & quot? *ſect.3.*
An conueniat perſonæ diuinæ procedere ab alia? *ibid n.2.*
Quodnam ſit principium immediatum diuinarum proceſſionum? *ibid.n.3.*
An ſint aliquæ relationes reales inter perſonas diuinas, & quot? *ſect.4.*
An ſint aliquæ notiones in perſonis diuinis, & quæ? *ſect.5.*
Quænam nomina primæ perſonæ conueniant? *cap.2 ſect.1.*
Quid fides catholica docet de ſecunda perſona? *ſect.2.*
Qua ratione Filius dicitur Patri conſubſtantialis? *ibid.num.3.*
Cur Filii proceſſio dicitur & verè eſt generatio, Spiritus ſancti non item? *ſect.3.*
Quo ſenſu ſecunda Perſona dicitur Verbum? *ſect.4.*
Ex quarum rerum cognitione Verbum diuinum procedat? *ibid. num.3.*
Quid fides catholica de tertia perſona doceat? *ſect.5.*
Cur vocetur Spiritus ſanctus? *ibid.*
An Spiritus ſanctus à Patre & Filio tamquam ab vnico principio procedat? *ibid.num.3.*
Quo ſenſu Spiritus ſanctus vocetur amor? *ſect.6.*
Qua ratione vna perſona in diuinis dicitur mitti ab alia? *ſect.7.*
Quomodò de SS. Trinitatis myſterio loquendum ſit? *ſect.8.*

Viſio beatifica.

An clara & intuitiua Dei cognitio ſit intellectui creato poſſibilis? *tract.2. cap.6. ſect. 1.*
An de facto nunc beati eſſentiam diuinam intuitiuè videant? *ſect.2.*
An intellectus creatus indigeat ſpecie aliqua intelligibili ad videndum Deum? *ſect.3.*
An ad Deum clarè videndum intellectus creatus aliquo lumine gloriæ indigeat? *ſect.4.n.1.*
Quid ſit illud lumen gloriæ? *ibid.n.2.*
An per aliquod lumen gloriæ oculus corporeus ad intuitiuam Dei viſionem eleuari poſſit? *ibid.n.4.*
Quid intellectus gloriæ lumine illuſtratus in diuina eſſentia videat? *ſect. 4.*
An beati in cælo cognoſcant futura contingentia libera, & cordium cogitationes liberas? *ſect.5.*
An omnes beati æqualiter Deum videant? *ſect.6.*

Va

Vnio hypoſtatica.

Quid ſit vnio hypoſtatica? *tract.5.cap.2.ſect.1.*
An vnio hypoſtatica ſit modus aliquis ſubſtantialis? *ibid.*
An ſit relatiuus? *ibid.*
An vnio Verbi diuini cum natura humana ſit vnionum maxima & arctiſſima? *ibid.*

FINIS.